Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT
K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK
4.Z.6

Digitized by Google

4. Z. 6.

VIII

Digitized by Google

Digitized by Google

SUBSIDIA DIPLOMATICA
AD
SELECTA JURIS
ECCLESIASTICI GERMANIAE
ET
HISTORIARUM CAPITA ELUCIDANDA
EX
ORIGINALIBUS ALIISQUE
AUTHENTICIS DOCUMENTIS
CONGESTA, NOTIS ILLUSTRATA ET EDITA
a

STEPHANO ALEXANDRO WÜRDTWEIN.
Eminentiſſ. ac Celſiſſ. Archi Epiſcopi Princ. Elect. Moguntini Conſiliario Eccleſ. Officiale &c. Inſigni Eccleſiæ Colleg. B. M. V. ad Gradus Decano &c.

TOMUS SEPTIMUS.



J. Nüſsbiegel fe.

HEIDELBERGÆ,
SUMPTIBUS TOBIÆ GOEBHARDT,
BIBLIOPOLAE UNIVERSITATIS BAMBERGENSIS
MDCCLXXVI.

4.Z.6
7

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE HOFBIBLIOTHEK

BIBLIOTHECA PALAT. VINDOBONENSIS.

Digitized by Google

LECTORI AMICO SALVTEM.

Concordata Aſchaffenburgenſia inter Nicolaum V. PP. Apoſtolicamque ſedem ac Nationem Alamanicam per Fridericum III. Romanorum Regem ſuper collatione beneficiorum, electione Prælatorum, exactione Annatarum &c. an. MCCCCXLVIII. die decima ſeptima menſis Februarij inita*) non

)(2 uno

*) Concordata Principum Francofurti Kalendis Septembris an. MCCCCXLVI. pro levandis gravaminibus fuere inita & a legatis Eugenii PP. cum plena & libera facultate eo transmiſſis confirmata & ratificata, proviſo tamen, quod in recompenſam gravaminum quæ ex aliquibus decretis (a natione Alemanica Moguntiæ acceptatis) nobis & Apoſtolicæ ſedi (ut verba Commiſſorii Eugeniani ſonant) inferuntur, debita fiat per nationem ipſam proviſio nobis & ipſi Apoſtolicæ ſedi, quod demum Aſchaffenburgi factum eſt, concedendo ſedi Apoſtolicæ alternativam menſium, annatas &c. &c.

Digitized by Google

uno halitu conflata fuere, ſed commercio hinc inde epiſtolico diu continuato, frequentibus ambaſſiatis, congreſſibus haud paucis, præviisque tractatibus bene multis erat opus, donec illa pro partis utriusque compaciſcentis bene placito conficerentur.

Illuſtri hac de materia hactenus prodiere magno numero ſcripta, tractatus, diſſertationes multo labore multoque ingenio elaboratæ, ſed cum in iis plerumque deſiderentur documenta, queis ipſa innituntur concordata, operæ pretium eſſe duxi, tot tantisque laboribus & meos addere edendo omnia & ſingula, antequam Concordia iniretur, acta inter partes & actitata ſicque tandem ſiſtendo Hiſtoriam concordatorum Diplomaticam ſucceſſive maturandam. Quam utilis & neceſſaria hæc ſit, paucis demonſtratum imus exemplis:

Circa finem Concordatorum leguntur hæc verba: *In aliis autem quæ per felicis recordationis Dominum Eugenium Papam quartum*

tum

Digitized by Google

tum pro natione præfata usque ad tempus futuri Generalis Concilij permiſſa, conceſſa, indulta atque decreta & per memoratum ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa concordiæ præſenti non obviant, iſta vice nihil extitit immutatum. Paſſus hujus interpreti hiſtoria diplomatica non inſtructo hærebit aqua, cum coram ſe videat referens ſine relato; redibit autem animus, cum ei ſubminiſtrentur Bulla Eugenii IV. de reſtitutione Jacobi Treverenſis & Theoderici Colonienſis Archi Epiſcoporum nonis Februario anno MCCCCXLVII. data. Item: Breve Eugenii quarti ad Fredericum V. Romanorum Regem, Theodericum Archi-Epiſcopum Moguntinum & Fredericum Marchionem Brandeburgenſem de celebratione novi Concilii ſub eodem dato. Item Eugenij Papæ IV. conceſſio ut decreta Concilii Baſileenſis ab Alberto Rege acceptata porro in Germania obſerventur, donec aliud concordatum vel in Concilio Generali fuerit ordinatum. Item Bulla Eugenii IV. Papæ ſuper diverſis indultis, diſpen-

Digitized by Google

penſationibus ac conceſſionibus datis Friderico V. Regi Romanorum & Principibus Germaniæ, qui receſſerant a Neutralitate & obedientiam ei præſtiterunt, ſeptimo Idus Februarij anno MCCCCXLVII. &c.

Num quis genuine interpretabitur illa concordatorum verba: *De cæteris Dignitatibus & beneficiis &c. Majoribus dignitatibus & principalibus exceptis, de quibus jure ordinario provideatur, per illos inferiores, ad quos alias pertinet &c.* niſi ad manum ſumat Concordata Concilii Conſtantienſis, ubi hæc ipſa verba recurrunt & niſi utatur autentico Concordatorum exemplari additis pro lubitu interpunctionibus non adulterato?

Collectio hæc diplomatica ante annos complures jam fuerat deſtinata Conciliis Moguntinis, prout videre eſt in Elencho Conciliorum Moguntinorum an. MDCCLXI. edito, ubi pag. 61. inter alia occurrit: Inſtrumentum acceptationis Decretorum Concilii

Digitized by Google

cilii Baſileenſis per Principes Almanniæ factæ. Et in Elencho Conciliorum Mog. novis acceſſionibus aucto an. MDCCLXVI. Mannhemii typis academicis impreſſo a pag. 19. usque 33. cujus theſauri magnam partem, ut tunc palam jam profeſſi fuimus, in acceptis referimus ſingulari litteratorum fautori Cl. D. Adamo Franciſco Kollario Auguſtiſſimæ Mariæ Thereſiæ a Conſiliis & Vindobonenſis Bibliothecæ Palatinæ Cuſtodi primario, qui ea, quæ Hiſtoriam Moguntinam propius attingunt, ex actis manualibus Æneæ Sylvii facili negotio ſuppeditavit; ex quo divite fonte fors plura haurire licebit.

Modo non immoramur recenſendis iis, quæ in Conciliis Conſtantienſi & Piſano pro pace Eccleſiæ reſtituenda & tollendis Nationis noſtræ Gravaminibus pertractata fuere & concluſa; neque ex ſæculis remotioribus concordias ſacerdotium inter & Imperium initas adducimus, multo minus ex Elenchis ſuprafatis huc reponimus Chartas pro ſcopo noſtro ordine chronologico jam diſpoſitas;

Hæc

Hæc enim omnia ſimul ac ſemel in uno filo tempore oportuno proferre intendimus. Pleraque huius Tomi inedita quæ nunc ad manum ſunt, ſiſtit

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS CHARTARVM.

I.

Aviſamenta ad Sigismundum Regem Romanorum ex parte Concilii Baſileenſis. pag. 1

II.

Capita Concordiæ inter Eugenium Papam & Concilium Baſileenſe ſanciendæ Moguntiæ confecta. 17

III.

Inſtrumentum proteſtationis a Germanica Natione per Johannem Epiſcopum Lubecenſem in Generali Congregatione Concilii Baſileenſis factæ ad hoc, ut medium indulgentiarum & per eas colligendæ pecuniæ proſit & non potius obſit religioni & ſtatui eccleſiaſtico. 24

IV.

Poſtulata Nationis Germanicæ in Concilio Baſileenſi circa gratias expectativas penitus tollendas & beneficia perſonis graduatis conferenda &c. 30

Digitized by Google

V.

Litteræ totius Nationis Germanicæ ad Sigiſmundum Imperatorem, ne de translatione Concilii pro unione Græcorum quidquam decernat non audito legato, qui eam ob cauſam ad eum mittitur. 37

VI.

Germanicæ Nationis litteræ ad executores indulgentiarum in regno Poloniæ ut pecunias collectas numerari curent perſonis intus deſignatis. 38

VII.

Eugenius PP. IV. univerſitatem Erfordienſem citat ad Concilium Ferrarienſe. 40

VIII.

Inſtrumentum Proteſtationis Nationis Germanicæ nomine a Nicolao Eccleſiæ Lubecenſis Decano in Concilio Baſileenſi adverſus decimam interpoſitæ cum poſtulato: ut æqualitas in taxatione inter nationes ſervetur. 41

IX.

Proteſtatio Nationis Germanicæ in Concilio Baſileenſi interpoſita adverſus impoſitionem decimæ pro negotio reductionis Græcorum. 47

X.

Proteſtatio Nationis Germanicæ ſuborta diſcordia de loco ycumenici Concilii decretando in Concilio Baſilienſi. 55

XI.

XI.
Ludovici de Roma reſponſio data in congregatione generali legatis Principum Electorum ſacri Romani Imperii. 57

XII.
Propoſitio facta ad Principes Electores ſacri Imperii per Reverendiſſimum Patrem & Archi-Epiſcopum Panormitanum ex parte Concilii Baſileenſis miſſa. 98

XIII.
Synodus Baſileenſis Univerſitati Erfordienſi ſcribit, ne quemquam ſuorum ad Conventum Ferrarienſem ableget. 138

XIV.
Propoſitio facta Principibus S. R. I. Electoribus per Archi-Epiſcopum Panormitanum &c. ex parte Concilii Baſileenſis miſſos. 143

XV.
Nationis Germanicæ in Concilio exiſtentis litteræ ad Collectores & Cuſtodes pecuniæ in Conſtantienſi, Curienſi, Baſileenſi & Lauſanenſi Civitatibus & Diœceſibus collectæ, eam ut perſonis a Concilio nominatis tradant. 145

XVI.
Sequitur reſponſio per Oratores Regis Romanorum Alberti & Principum Electorum Imperii data Nurenbergæ Ambaſiatoribus ſacri Concilii Baſilienſis in feſto ſanctæ Margarethæ MCCCCXXXVIII. ſuper hiis quæ propoſita fuerunt ex parte ejusdem Concilii coram Rege Romanorum prædicto. 147

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Poſtquam pervenerunt Ferrariam ad Papam dicti Ambaſſiatores ſuper propoſitionibus ſuis iſtam reſponſionem habuerunt a Papa, quæ ſequitur. 151

XVIII.

Nationis Germanicæ litteræ ad Ulricum Epiſcopum Arauſienſem ut Johanni Ynari favere velit in transmittendis pecuniis pro Concilii neceſſitatibus collectis. 154

XIX.

Ejusdem Nationis ad Archi Epiſcopum Colonienſem litteræ, ut mandet ſolvi intus nominatis florenos auri de Camera quatuor mille de pecunijs in ejusdem diœceſi & provincia pro Concilio collectis. 157

XX.

Miſſiva Electorum Imperii ad Concilium, ne contra Eugenium Pontificem aut pœnis aut cenſuris procedat. 159

XXI.

Litteræ Electorum Imperii ad Eugenium PP. e Conventu Francofordienſi. 161

XXII.

Electorum Miſſiva ad Concilium qua petunt Oratoribus ſuis fidem adhiberi. 162

XXIII.

Tenor Appellationis interpoſitæ per Principes Electores Imperii a requiſitionibus factis hinc inde Franc-

Digitized by Google

Francfordiæ per Oratores Concilii & Papæ ſuſpenſi tempore proteſtationis prædictæ. 163

XXIV.

Electorum miſſiva ad Cardinales, ut pacem & tranquillitatem conſervent & miſſis oratoribus fidem adhibeant. 165

XXV.

Electorum miſſiva ad Regem Angliæ, ut pro reſtituenda pace Eccleſiæ collaboret. 166

XXVI.

Miſſiva Electorum ad Dnũm Imperatorem Orientis. 169

XXVII.

Miſſiva ad ſpirituales ex parte proteſtationis & appellationis. 170

XXVIII.

Copia Miſſivæ ad Principes ſeculares ex parte proteſtationis & appellationis. 172

XXIX.

Copia Miſſivæ ad Civitates. 174

XXX.

Nationis Germanicæ ad Guilelmum Marchionem de Hochberg litteræ, ut diligentiam omnem adhibeat pro Oratoribus Concilii e Cuſtodia dimittendis. 176

XXXI.

Digitized by Google

XXXI.

Oratores Principum a Papa reduces ad Concilium & ad quatuor ſacras deputationes hanc ſupplicationem porrexerunt. 178

XXXII.

Joannis Epiſcopi Miſnenſis epiſtola ad nationem Germanicam. paratum ſe dicit ad facienda nationis mandata &c. 179

XXXIII.

Reſponſio concepta per unum ex oratoribus ſacri Baſileenſis Concilii ad Oratores Regis Romani & Principum Electorum in diæta Nurembergenſi, ſed non fuit exhibita. 180

XXXIV.

Difficultates per Ambaſiatores ſacri Concilij motæ Oratoribus Regis Romanorum, Principum Electorum & aliorum Prælatorum & Communitatum in diæta Nurenbergenſi in die ſancti Galli habita & volebant illis provideri, antequam tertius locus eligeretur. 241

XXXV.

Nationis Germanicæ epiſtola ad Epiſcopum Halberſtadenſem. Gratulatur ei Epiſcopatum. Poſtulat liberum dimitti Joannem Sundis indulgentiarum ſacri Concilii preconem. 287

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI.

Ejuſdem Nationis litteræ ad fratrem Stephani Ducis Bavariæ. 289

XXXVII.

Ejuſdem Nationis litteræ ad Regem Angliæ hortatoriæ, ut ſynodo Baſileenſi ad exemplum aliorum Principum adhærere velit. 291

XXXVIII.

Ej. Nat. reſponſum ad litteras Stephani C. P. R. Bavariæ Ducis. 296

XXXIX.

Concorditer aviſata per Oratores Principum pro pace & quiete totius Eccleſiæ. 302

XL.

Oratio habita in Concilio. Proponuntur in ea pacis & unionis capita ſanciendæ inter Papam & Concilium. Concepta eſt a Legatis Principum. 306

XLI.

Reſponſio facta per Ambaſſiatores ſacri Concilii Generalis Baſileenſis in Noremberga & data Ambaſſiatoribus Domini Regis Romanorum & Electorum Imperii. 313

XLII.

Inſtrumentum acceptationis Decretorum Concilii Baſileenſis per Principes Almanniæ factæ. 330

XLIII.

Digitized by Google

XLIII.

Vale, Lector Amice! & certus eſto, quod ea, quæ ſuperſunt præclaræ hujus materiæ monumenta, ſine ulteriori mora ſit exhibiturus Tomus ſequens. Dabam Moguntiæ e Muſæo Idibus Julii MDCCLXXV.

Digitized by Google

I.

AVISAMENTA AD SIGISMVNDVM REGEM ROMANORVM EX PARTE CONCILII BASILIENSIS, ANNO &c. TRIGESIMO TERCIO.

Quia Regia veſtra majeſtas auida eſſe debet ſcire, que acta ſunt cum Bohemis narrabis ſue ſerenitati, quid cum illis geſtum ſit, & quomodo pleniſſima & pacifica data ſit eis audiencia cum Magna modeſtia & paciencia pro quo ipſi nobis finaliter valde regraciati ſunt, & quod per tres Menſes & ultra materia illorum quatuor articulorum plene diſcuſſa eſt & quod apertiſſime per noſtros reſponſales veritas ipſis Bohemis patefacta fuit, & tandem ex utraque parte aliqui deputati ſunt ad auiſandum modum aliquem unitatis & pacis. Et cum ipſi Bohemi perſuaderent, multum

Digitized by Google

paci eſſe accomodum, quod aliqui oratores noſtri in regnum accederent, decreuit ſacrum concilium decere, notabiles viros illuc deſtinare, qui iter arripuerunt ſimul cum Bohemis feria tercia poſt paſca. Dederunt ipſi Bohemi nobis magnam ſpem, quod acceſſus dictorum ambaſſiatorum fructum magnum facturus ſit. Prædictis noſtris ambaſſiatoribus inter alia injunctum eſt multum exacte, quod cum omni diligencia ea que concernunt honorem & ſtatum ipſius domini Regis Romanorum ſollicitent & procurent. Narrabis eciam, quod ſi ſua majeſtas fuiſſet hic, dicti Bohemi diucius manſiſſent, & forſitan aliqua pacis concluſio inuenta fuiſſet. Creditur eciam ſi ſua ſerenitas cito ad ſacrum concilium pergeret, quod Bohemi aduentum ſuum audientes ambaſſiatam iterum huc mitterent, & facilius interueniente ipſo domino rege reducerentur, propter quod exhortaberis eum, quod pro tanto bono, quod ſperatur ex ſuo aduentu nolit amplius remorari, & quod neque pro Imperio neque pro uniuerſali eccleſia tantum utilitatis in aliquo loco facere poteſt, quantum ſi preſentem ſe in ſacro concilio exhibeat, multa preterea bona ex ſua preſencia ſuccederent.

Illam partem vero explicabis audacter, qualiter ſacrum concilium magnam admiracionem acceperit de hijs, que proxime ſua ſerenitas ſcripſit, quod cum papa concordauerit ex eo, quod ſacrum concilium approbauit, cum evidenter conſtet omnibus bullam pape videntibus, quod nullo modo approbauit, ymo quantum in ſe eſt, per talem bullam,

lam, fundamentum & auctoritatem concilij deſtruere conatur. Ex talibus regiis literis patres ſacri concilij valde ſcandalizati ſunt, cum per tot literas & nuncios ſua ſerenitas concilio intimauerit nunquam ſe accepturum coronam de manu Pape ſi non integre ac ſimpliciter concilio adhereat, per hujusmodi bullam papa nullomodo adheret concilio Baſilienſi nec recognoſcit aut nominat concilium, ſed tamquam usque nunc non fuerit concilium, & quod diſſoluere voluerit, vultque concilium celebretur per legatos ſuos mittendos, quos ex hoc non manifeſte cognoſcit, quod talis diſpoſicio expreſſe probat hoc non fuiſſe concilium, & quod non eſt, nec erit concilium, niſi legati ſui veniant, & id velint celebrare. Et quod hoc ſuam majeſtatem non lateat, apparet ex his, que nobis in vim credencie expoſuit, ex parte ſue ſerenitatis dominus dux *Wilhelmus* cujus relacionem portabis tecum, & ſi dicat ipſe dominus Rex ſe hanc concordiam iniuiſſe cum papa propter bonum concilij ſperans poſſe papam reducere, ut tandem concilio adhereat, reſpondendum eſt, quod talis ſpes veriſimiliter erit infructuoſa, Quod ſi papa Rege abſente & ſecum non concorde, quem veriſimiliter timere debebat, hoc non fecit, quomodo credendum eſt, hoc eſſe facturum ipſo ſecum concordato & juramento ſibi aſtricto ac conſtituto in jurisdictione ipſius, ymo ex hoc efficietur pertinacior in ſua opinione.

Auiſatam reddes ſuam majeſtatem de periculo honoris ſui ac eciam perſone, quod dicet totus mundus informatus olim de literis regis, per quas expreſſe pollicebatur, numquam ſe accepturum coronam &c. Audita nunc tali concordia & non ſecuta aliqua adheſione pape, non putet ſerenitas ſua nobis diſplicere concordiam, aut ſue majeſtatis coronacionem. Nos optamus, quod ſua ſerenitas non ſolum cum papa, ſed cum omni homine pacem ac concordiam habeat, ymo quantum in nobis eſt ad id omnem operam interponere vellemus, ſed diſplicet nobis, quod talis concordia pocius eſt denigratiua famam ſue majeſtatis quam allatura honorem. Quia ex hoc apparebit ſuam ſerenitatem unum dicere & aliud facere & pollicitacionem feciſſe irritam, coronacionem autem ſuam & exaltationem ſui ſtatus & honoris toto corde concupiſcimus, ſed tamquam ipſum amantes timemus ex hoc honorem & famam ſuam debere notari. Timemus etiam ex hoc, quod ſua ſerenitas modo fecit detrimentum concilij ſecuturi. Nam multi audientes, quod ipſe acquieuit illi bulle exiſtimabunt, quod jam reputet hoc non fuiſſe concilium ſicut nec papa per illam bullam reputat, & quod opus ſit, quod legati ſui veniant & id celebrent, quanquam dici poſſit concilium, ſi papa ſimpliciter adheſiſſet concilio, tunc cum honore potuiſſet hanc coronationem ſuſcipere, & hujusmodi coronacionem ſibi optauiſſemus, quia melior eſt bona fama quam omne aurum & argentum, & ſicut ipſe

olim

olim de coronacione ſenſit, ita & nos modo ſentimus. Nos cum papa diſcordes ſumus, quia non ſat debitum ſuum recognoſcendo ſuſtentat ſacrum Concilium, quod univerſalem repreſentat eccleſiam, nec aliter cum eo concordes eſſe poſſumus. Hic non agimus de intereſſe ſingularium perſonarum, ſed uniuerſalis eccleſie, ſi patimur quod diſſolucio illa pretenſa non irritetur, ſi tolleramus, quod hoc non fuerit concilium, ſed quod oporteat denuo inchoari de nouo actum eſt de concilijs non ſolum futuris ſed preteritis, preterita enim vacillabunt, ſi tale generale concilium tam legitime inchoatum irritetur, futura eciam ad libitum pape diſſoluentur. Fateremur preterea majeſtatem ſuam & nos omnes & alios adherentes huic concilio fuiſſe & eſſe pertinaces ſcismaticos & conſequenter hereticos, quod quantum timendum ſit, ipſemet judicet, ex quo quanta mala prouenire poſſint facile poterit animaduerti. Unde precipua intencio noſtra eſt, quam nullatenus deſerere intendimus, ſcandalis univerſalis eccleſie quantum cum Deo poterimus prouidere & circa extirpacionem hereſum ac reformacionem eccleſie in capite & in membris pacemque in populo Chriſtiano procurandam intendere, prout juſticia ſuadebit, & ſpiritus ſanctus dictauerit. Reddatur eciam attentus, quod ideo papa niſus eſt trahere dominum Regem Romam ſub ſpecie coronacionis, ut ipſum retineat apud ſe, ſperans, quod quam diu apud ipſum erit, nichil hic fiet contra eum. Auiſetur eciam de periculis que ſibi imminent, ſi forſitan

 ipſe

ipſe dominus Rex non receſſiſſet de Senis, perſuadeas ſibi expeditis racionibus, & qualitercunque potes, ne Romam accedat, & ſi jam Rome ſit, curet quantocius inde recedere, quia non eſt ſibi ulterius ibidem permanendum, alioquin ſi diucius ibi morari voluerit, concilium coget ſuſpicari vehementer de majeſtate ſua, quod cum papa concludat. Interim autem ſacrum concilium non intendit ſuperſedere ab hijs, propter que congregatum eſt.

Illuſtriſſime princeps & Sereniſſime Rex ac domine metuendiſſime, motiua & raciones facientes ut veſtra majeſtas acceleret greſſus verſus ſacrum Concilium, ſunt hec.

Primum quod eſt maximum & principaliſſimum, quia ſacrum concilium pro iſto ſupplicat, admonet requirit & mandat, ut veſtra majeſtas reuertatur, obmiſſis omnibus alijs negotijs & iſtud concilium propter reuerentiam ſpiritus ſancti, qui rector & director eſt conciliorum ſacrorum, amplectendum & preferendum eſt omnibus alijs concilijs, quia ipſe ſpiritus ſanctus ſolus eſt, qui ſcit ea que futura ſunt. Ex hijs que veſtra Majeſtas intendit, licet veſtra majeſtas non intendat in bonum, ſed tamen an bonum ſequatur, veſtre majeſtati abſconditum eſt, ſed directori ſacri concilij omnia nota ſunt et aperta.

Item ad conſeruandum honorem regiæ majeſtatis erga Deum & homines, non eſt caucius quam

ſim-

ſimpliciter acquieſcere concilijs & requiſicioni ſacri concilij, quia hec faciendo poterit quicquam veſtre majeſtati imputari qualitercunque eciam ſuccedant, quia concilium tante eſt poteſtatis & tali duce regitur ſcilicet ſpiritu ſancto, ut quibus quantumcumque alte ſciencie vel profundi conſilij ſacro concilio pocius quam ſibi credere debent, quia judicium hominis fallitur in multis.

Item quia veſtra regia majeſtas multis literis ſcripſit, & nuncijs intimauit velle parere & acquieſcere concilijs & mandatis ſacri concilij & eccleſiæ, ſacrum concilium jam non ſemel ſed pluries ſupplicauit, monuit requiſiuit ymo mandauit nuncijs & bullis, ut veſtra ſerenitas reuertatur ad concilium pro tanto bono uniuerſalis eccleſie, quod eciam explicari non poterit quibuscunque racionibus, quantum bonum conferret preſencia veſtre majeſtatis. Quia ex aduentu veſtre ſerenitatis confluerent Reges & principes in modico temporis ſpacio, quia propter abſenciam veſtre majeſtatis multi non bene informati de affectione veſtra dubitant de adherentia & ſtabilitate veſtre ſerenitatis, qui omnes certificarentur & attraherentur per aduentum veſtre majeſtatis.

Item potiſſime ex eo, quia Bohemi in tractatibus in *Egra* & per literas & nouiſſime per nuncios ſuos requiſiuerunt ſacrum Concilium, quatenus operam daret efficacem, ut in aduentu ambaſſiatoris regni Bohemie veſtra majeſtas ſit preſens in concilio, ſed raciones iſtius requiſicionis nemo

 ſcit

ſcit niſi ipſi ſoli ſed veri ſimile videtur, quod ipſi ſciant tales difficultates circa regnum & inter ſe mutuo quas non exiſtiment poſſe terminari niſi per preſenciam veſtre ſerenitatis. Ipſi non requiſiuerunt, ut veſtra majeſtas procuratorem cum mandato mittat, ſed majeſtatis veſtre preſenciam, licet ſacrum Concilium in reſponſo ſuo poſuerit, ne retardaret aduentum ipſorum pro excuſacione veſtre ſerenitatis de mandato pleno mittendo. Item ſi veſtra majeſtas hoc non faciet, quid aliud ſequetur, niſi quod multi de ſacro concilio non habentes plenam notitiam veſtre majeſtatis, incipient grauiter & egre ferre, quia veſtra majeſtas non acquieſcit tot & tantis monicionibus & requiſicionibus. Et forte ſimpliciter dubitare poſſent Bohemi de adherencia veſtre majeſtatis.

Item legat majeſtas veſtra libros hiſtoriales & inueniet que & qualia occurrerunt Regibus, recte non volentibus acquieſcere Mandatis domini, ecce mandatum Concilij non eſt Mandatum hominum, ſed Dei, attendat bene majeſtas veſtra, cui reſiſtat, ecce Deus qui puniuit preteritos, adhuc regnat & imperat.

Item ſacrum Concilium hoc pro certo tenet, quod preſencia veſtre majeſtatis multum faciet ad reductionem ipſorum Bohemorum ad fidem & eciam ad reductionem regni ad debitam obedienciam veſtre Serenitati, ſic eciam abſencia veſtra in hijs multum nocebit.

Item

Digitized by Google

Item quis faciet pacem inter illos de regno, qui ſe mutuo in tantum dampnificauerunt, nullus ſine preſencia veſtra.

Item quis faciet, quod illi qui tenent bona ecclesiarum, quod reſtituant illa, nonne veſtra majeſtas, & ea omnia negligerentur per abſenciam veſtre Serenitatis.

Item ſi hodie eſſent reducti ad fidem & pax non daretur & expedicio ſuper illis nichil prodeſſet.

Item ſi Majeſtas veſtra non erit preſens & iſti Bohemi non reducerentur totum veſtre ſerenitati imputabitur, & confirmabitur id quod papa ſcripſit in bullis ſuis & multi emuli veſtri ſcripſerunt & predicauerunt per totum Mundum dicentes, vos eſſe fautorem hereticorum.

Item omnia mala que poſtea ſequentur ex non reductione ipſorum, aſſcribentur veſtre Majeſtati, & ex illo poſſetis perdere & Imperium & Regnum Bohemie & ſimiliter Ungarie, quia ſcit veſtra ſerenitas, quod papa jam diſpoſuit dare alijs, ymo dedit, & forte quia principes & alij domini temporales & communitates non pacientur ſe deſtrui, ſi concilium vellet diſſimulare, ipſi ſibi prouidebunt, videntes ſe derelictos per veſtram regiam maieſtatem & non volentes omnino deſtrui ſibi providebunt de capite.

Item adhuc mouebuntur per illa noua, que modo veſtra maieſtas miſit tam concilio quam aliis

 prin-

Digitized by Google

principibus de confederacione Bohemorum cum Rege Polonie contra Alemannos, nulli dubium quin jam in iſta magna congregacione que erit in ſacro concilio cogitabunt iſti principes, nobiles & communitates quomodo prouideatur, vere ſi non eſſet aliud motivum iſtud ſolum deberet mouere veſtram majeſtatem, & ſine requiſicione quorumcumque.

Item iſta querra ytalie non tantum nocere poteſt univerſali eccleſie, quantum nocebit ſi non reducentur iſti heretici modo confederati cum Bohemis cum Polonis.

Item ſi perdat veſtra majeſtas iſtud regnum Bohemie, ſicut timendum eſt, ſi non reducentur, non recuperabitis per iſtos & ytaliam, ſed ytaliam facilius per Alamanniam & Bohemiam.

Item ex quo veſtra majeſtas metuit partes ytalie propter pacem non diſpoſita ad querram, nec veriſimile eſt, quod per literas vel nuntios poſſit adducere gentes preſertim de Alamannia, ſed nulli dubium, quin preſencia veſtre majeſtatis in congregacione principum & communitatum faceret mirabilia, & ipſa obtineret gentes & potenciam.

Item ſi remanebit veſtra ſerenitas in illis partibus, ſtabit quin potius per totam hyemem inutiliter vel ſaltem modicum faciet, & in concilio multa & magna uniuerſalis eccleſiæ bona eccleſiaſtica reductione Bohemorum, que omnia poſſet veſtra majeſtas expedire ante Mayum & poſtea cum magno

gno

Digitized by Google

gno honore & potencia redirè impoſita ad bellum & exequi negocia Imperij.

Item nulli dubium quin dominus noſter papa plus timeret veſtram majeſtatem, quum eſſet in concilio, quam interim quod ſcit, eam in ytalia eſſe, quia timeret depoſicionem vel alia & ſciret, quod per aduentum veſtre ſerenitatis mirabiliter creſceret & fortificaretur concilium, quia papa & ſui homines tenent, quod concilium non faciat non voluntatem veſtram.

Item ſereniſſime Rex, attendat veſtra majeſtas regia, anne prouidendum ſit ſcandalo futuro tam magno, quoniam omnes veſtre ſerenitati conclamant; Ecce quomodo Imperator diligit reductionem Bohemorum. O ſereniſſime Rex, quid dicitur? ſi non erit veſtra Majeſtas ibi & ſi non reducerentur, diceretur forſitan ecce ipſi veniunt ad Concilium populi reductionem requirunt & petunt preſenciam regie Majeſtatis, & ſacrum Concilium ſimiliter requirit & mandat & ipſe fugit ad prepoſitum papam, qui totus contrariatur concilio & reductioni Bohemorum, videat veſtra ſerenitas, anne providendum ſit ſcandalo tam maximo.

Item quod abſencia veſtre ſerenitatis multum noceat ſacro concilio, probatur ex hoc, quia factum eſt unum proclama per Lombardiam, quomodo veſtra majeſtas ſit concors cum papa, & Concilium ſit prorogatum ad decem & octo Menſes

ſes & translatum in ciuitatem Senarum & cottidie talia finguntur & ſcribuntur per totum orbem ad impediendum volentes venire ad concilium & ad faciendum tedium conſiſtentibus in concilio ut tandem ſine fide recedant & ita omnia tollerentur per preſenciam veſtre majeſtatis per illud modicum tempus, & appareret clare veritas & felicitas & obſtruerentur ora loquencium iniqua.

Item ſi dicitur quod non ſit pro honore veſtre majeſtatis recedere & non flectere papam nec ſuſcipere coronationem Imperialem nec dare pacem ytalie: Ecce toti mundo conſtat diligencia magna circa hec habita, & contentatur & quod iſtam coronam corruptibilem dimittit & ſpernit veſtra majeſtas ad conſequendum incorruptibilem coronam glorie & honoris quam indubie apprehendet veſtra ſerenitas proſequendo continuacionem ſacri concilij ad expedicionem eorum propter que congregatum eſt, pro quibus merito debetur veſtre majeſtati corona glorie & honoris hic & in perpetuum.

Item in caſu ſi Bohemi non poſſunt reduci quod Deus auertat, ſed tamen poſſet bene contingi propter abſenciam veſtre majeſtatis, tunc ſine dubio oportebit ſubito prouideri de Alamannia quo quo modo armis defendatur eccleſia. Quomodo hoc melius fieri poteſt quam per preſentiam veſtre majeſtatis in ſacro concilio tam tot & tantis Principibus & communitatibus ſimul ibidem congregatis.

Item

Item ſi Bohemi videbunt veſtram majeſtatem non eſſe ibi, & ipſi tociens requiſiuerunt & poſtulauerunt ſimiliter concilium, quid aliud cogitare poterunt, niſi quod ſerenitas veſtra non habeat curam de ipſis nec de regno iſto, & poſſent eis prouidere alio modo, quod nulla eſſet ulterius ſpes de regno iſto veſtre majeſtati ſubiciendo. Et certè alij habebunt occaſionem cogitandi & dicendi, quod non ſit majeſtati veſtre cura de extirpacione iſtius hereſis ſicut pluries dictum eſt, licet non bene.

Item non eſt dubium quin veſtra majeſtas ibi conſtituta per magnam induſtriam & altam ſapienciam veſtre ſerenitati a Deo datam & largiter ultra alios homines infuſam poterit inuenire & cogitare diuerſos modos & practicas neceſſario habendas circa reductionem ipſorum, que valde poſſent prodeſſe & indubie magis confidenter acquieſcerent veſtre majeſtati propter honorem ipſorum quam alicui alteri.

Item multi bene notabiles in eccleſia ſancta hoc pro certo tenent, quod non ſint reducibiles, niſi veſtra majeſtas ſit preſens. Ecce ſereniſſime rex, quantum malum eſſet negligere bonum tam magnum tocius univerſalis eccleſie, veſtra ſerenitas melius omnibus alijs ſcit, quanta innumerabilia mala ſint in foribus toti Chriſtianitati, ſi non reducentur. Quapropter Inuictiſſime Rex recurrat veſtra majeſtas regia non ſolum ad ſapienciam huma-

Digitized by Google

humanam ſed & ad diuinam & videat & diſcuciat bene, quid agendum ſit in re tam magna tangens honorem omnipotentis Dei & totam chriſtianitatem, & nullo modo negligat tantum meritum anime veſtre tam leuiter promerendum indubie cum nulla re mundi poterit veſtra ſerenitas gloriam majorem obtinere hic & in futuro quam dare operam ad reducendum illos Bohemos & ſaluare tot animas, quas Chriſtus ſuo ſanquine redemit.

Penſet inſuper veſtra majeſtas, ſi per abſenciam veſtre ſerenitatis tantum bonum negligitur, & tot anime manebunt in perdicione eterna, qualem racionem juſtus judex pro omnibus illis requiret in extremo judicio a veſtra majeſtate, ubi nec erit accepcio perſonarum nec omnia regna veſtra prodeſſe poterunt. Ecce quid mirum, ſi veſtra majeſtas vadat ad Concilium & reuertitur propter ſaluare tot animas, cum unigenitus Dei filius ad redimendum nos deſcenderit de celo, homo factus, & mortuus in cruce.

Item ad veniendum & inueniendum modum exequendi reformacionem fiendam in ſacro Concilio non ſolum in ſpiritualibus ſed & ſecularibus vere preſencia majeſtatis veſtre eſt multum neceſſaria & ſupra modum, quia modicum proderit, multa ſtatuta condere, niſi habeatur execucio, veſtra majeſtas ſcit quomodo plures domini temporales impediuerint & hodie impediunt reformacionem eciam religioſorum, qui nec curant excommunicationem

cationem

cationem, nec mandata Apoſtolica nec Imperialia & breuiter reſiſtencia circa hoc erit magna, & neceſſarium erit bene prouidere.

Item veſtra majeſtas clamauit querulando a tempore conſtancienſis concilij, quod reformacio non fuit facta in *Conſtancia.* Ecce Deus audiuit clamorem veſtre ſerenitatis & aliud ſacrum concilium congregauit, licet cum maximis laboribus, & per Dei gratiam ibi congregati ſunt & congregantur, & confluunt de die in diem plures ex Reverendiſſimis dominis Cardinalibus & alij magni prelati eccleſie & alij doctiſſimi viri multi, affecti & optime inclinati ad omne bonum univerſalis eccleſie, qui ſe & corpora ſua & omnia que habent in temporalitate expoſuerunt maximis periculis volentes tendere ad reformacionem eccleſie ſancte Dei usque ad mortem petentes adjutorium veſtre majeſtatis. Et ecce tardat veſtra ſerenitas venire cooperari.

Item exitus iſte veſtre majeſtatis non erit ab hijs, qui adherent veſtre majeſtati ſed ſolum ſubtraccio ad iſtud modicum tempus, ad diſponendum ſe ad arma & potenciam, ut veſtra ſerenitas poſſet effectualiter ſubuenire ipſis, & diſponere & inuenire modum quod non deſperent per iſtud tempus, ſed ſe conſeruant & eos certificarent de ſuccurſu eis præſtando in tali tempore. Et non eſt dubium, quin majeſtas veſtra exiſtendo cum veſtris diſponet talem potentiam, quod eis ſuccuratur

tur

tur potenter, nec aliquis hoc conſuleret, quod veſtra majeſtas ita recederet, & veſtros in illis partibus omnino relinqueret.

Item Majeſtas veſtra adhuc hodie habet in Regno Bohemie plures Barones, milites militares & ciuitates adherentes veſtre ſerenitati audientes veſtram Majeſtatem, non eſſe in concilio & Bohemos non reductos, quid aliud facere poterunt, niſi quod compellentur adherere Bohemis, deſperati de veſtra majeſtate, nec habentes ſpem futuræ unionis.

Item ſi ſacra ſynodus cooperante directore ipſius ſcilicet Spiritu ſancto tantum facere poſſet, ut ſperatur de benignitate Spiritus ſancti quod ipſi Bohemi poſſent reduci ad fidem, & plene uniri ecclesie ſancte Dei, adhuc remanebit difficultas inter illos, quo usque ad preſens adheſerunt Deo & veſtre majeſtati, qui ſe ipſos multipliciter dampnificauerunt inter ſe mutuo, & niſi ab illo reducantur ad pacem & concordiam plenam inter ſe, ſurget error pejor priore, quia veſtri videntes ſe derelictos a veſtra majeſtate, quia non curauit eſſe preſens in tali tractatu tam magno nec Eam pacem & concordiam ordinare, certe ipſi neceſſitate compulſi artabuntur ſe jungere illis Bohemis ymo ſubdere & recedere penitus a veſtra ſerenitate & imperio. Et ſi ſacrum concilium quod propter pacem congregatum & vices ſuas exactiſſime interponeret, timendum eſt, quod ſine preſencia veſtre majeſta-

tis

Digitized by Google

tis proficere non poſſet circa illa, quia non ſcit diſpoſicionem rerum, & majeſtas veſtra perdet eciam illos & conſequenter totum Regnum.

Item ſi Bohemi non reducerentur per ſacrum concilium, nec veſtra majeſtas gentes habere poterit nec de Hungaria, nec de Alamannia quia neceſſario ſe defendere habebunt.

Item preſencia majeſtatis veſtre in Concilio magnum fructum conferet ad faciendum pacem, vel ad minus treugas inter Reges francie & Anglie, ex quo magnus honor aſſcriberetur regie veſtre majeſtati.

Item in cauſis propriis devolutis jure hereditario veſtre Regie majeſtati, ex preſencia perſonali in ſacro Concilio poſſet acquirere magnum fructum, & motiua ad illa ſunt.

II.

CAPITA CONCORDIAE INTER EVGENIVM PAPAM ET CONCILIVM BASILEENSE SANCIENDAE MOGVNTIAE CONFECTA.

Nos A. B. C. Licet ad tollendum ſubortum diſſidium inter Sanctiſſimum dominum noſtrum papam *Eugenium* & generale Sacrum Baſilienſe concilium noſtros jam dudum impenderimus fideles labores, nec dum ea euenerit, quam ſemper deſideramus, optata concordia. Nichilominus

animis noſtris conſtituimus ab incepto opere minime deſiſtere, ſed ea Summo Studio proſequi, que & pacis ac eccleſiaſtice unitatis conueniencia media fore cognouerimus, ut ſic Deo altiſſimo, cui fidele preſtamus obſequium Suffragante eccleſiam ſuam Sanctam pacis dulcedine quandoque reflorere videamus. In hac itaque *ciuitate Moguntina* ob eam rem conuenientes per noſtros oratores matura deliberacione non nulla annotauimus capitula, que tam apud prefatum ſacrum Baſilienſe concilium, quam apud ipſum dominum noſtrum Summum pontificem offerenda pro bono pacis & concordie cenſuimus, quomodo tenor ſequitur & eſt talis &c.

Item quod de quacunque queſtione juris vel facti jam exorta inter ipſum ſacrum Baſilienſe concilium & dominum noſtrum papam *Eugenium* aut forte in antea oritura poterit ipſum ibi concilium ſiue generale ſiue ycomenicum exiſtat ſi pax interim & concordia inter eos ſecuta non fuerit absque ullo cujuscunque impedimento aut importuna deinceps interceſſione libere cognoſcere & eam ſinodaliter terminare ſeu diffinire, ita quod predicte determinacioni, diffinicioni & ordinacioni ipſius ibi concilij ycumenici ſeu generalis in hoc & in alijs pertinentibus ad auctoritatem, poteſtatem & officia ſacrorum conciliorum generalium omnino acquieſcemus & ea acceptabimus & faciemus in noſtris Regnis & dominijs illibata & inuiolabiliter teneri ab omnibus & ſeruari.

Ut

Digitized by Google

Ut autem per predicta media optatum conſequi finem, omniſque diſſidij differentiam Deo fauente aufferre valeamus noſtro unanimi aſſenſu ad ea proſequenda & per noſtros ſollennes Oratores atque conſiliarios, Nos omnes & ſinguli Reges & principes prefati, quatenus noſtra unita virtute & firmiori concordia ea efficere atque procurare poſſimus, concorditer conueniemus, atque uniti eſſe volumus in premiſſis & his que ſequuntur, videlicet.

Quia valde indecens rationique incongruum fore exiſtimamus ſi ſtantibus noſtris tam fidis laboribus atque tractatibus & pacis proſecutione ab ipſis contendentibus aut altero eorumdem in ſui invicem aut alterius eorum prejudicium inſuper & in noſtrorum hujusmodi laboris obſtaculum aut impedimentum quicquam pacis hujusmodi turbacionum acceptaretur, aliquidque fieret quo uniuerſalis eccleſie tranquillitas longius differri poſſet, dicimus ac noſtre intencionis eſſe declaramus & preſentibus proteſtamur, quod ſi quod abſit dominus noſter Summus pontifex aut ipſum Sacrum concilium infra tempus ſaltem ſex menſium predictorum proceſſus, penas, ſentencias, cenſuras aut quascunque alias ordinaciones ſiue diſpoſitiones, ex quibus eccleſie pax & unitas in toto vel in parte veriſimiliter quacunque hujusmodi diſſidij occaſione directe vel indirecte turbari aut quomodolibet impediri poſſent contra ſe inuicem incorporatos veniant eis adherentes reſpective ſeu

alios quoslibet occaſione hujusmodi diſſidiorum protulerit, decreuerit fulminauerit aut quidquam innouauerit illos ſiue illas interim non ſuſcipiemus nec acceptabimus, niſi quid in his omnibus ſit tenendum, fuerit per ipſum ſacrum concilium ibi aut alibi declaratum diffinitum ſeu ordinatum, cujus declaracioni, diffinicioni & ordinacioni ſtabimus omnino & acquieſcemus.

Verum ut hujusmodi tractatibus pacis quiecius atque liberius vacare & intendere poſſimus, & ne majora ſcandala atque pericula ex diuerſitate & aduerſitate quorumcunque proceſſuum ſeu cenſurarum in noſtris Regnis prouincijs dyoceſſibus & dominiis ſuſcitari valeant, dicimus noſtre intencionis eſſe, declaramus & expreſſe proteſtamur, quod proceſſus, edicta, Mandata, cenſuras ſeu Sentencias contrariorum effectuum hinc inde eciam contra nos aut ſubditos noſtros, quoquomodo fulminandos, fulminandas ſeu fulminanda neque acceptabimus aut illis aliquatenus aſencieмus, quinnimo animos noſtros in illis totaliter in ſuſpenſo tenebimus, usque ad ſepedicti ycumenici aut generalis concilij diſcuſſionem, per ea tamen decretis ſacri concilij Baſilienſis prouide per nos acceptatis ſeu eciam acceptandis aut proceſſibus eorumdem occaſione emanatis aut emanandis non intendimus derogare. Præterea ut dictum ycumenicum vel generale concilium auxiliante deo laudabilem & proſperum habere poſſit Succeſſum pariter & effectum, & ne poſſit propter perſona-

rum

rum defectum actione aliqua impediri, dabimus operam, quod ex omnibus regnis, prouincijs & dominijs noſtris venient aut mittentur ad ipſum prelati & alij literati ceterique deuoti ac Religioſi viri & generaliter omnes & ſinguli, que ad generalia concilia de jure aut conſuetudine vocari conſueuerunt, rebus inibi tractandis conſulturi.

Prouidebimus quod per eosdem & per noſtros oratores & ambaſſiatores ne paſſim & indiſtincte omnes in eodem concilio recipientur ſed illi dumtaxat, qui humiles ſint ſciencia moribus & etate.

Ne eciam circa modum procedendi in eodem Concilio in ſuo ibi exordio aliqua inſurgat difficultas, ſiue inter patres congregatos diuerſitas expreſſe conſentimus, quod grecis abſentibus quo ad actus conciliares, in procedendo illi ſeruentur modi & ordinaciones, qui in preſenti Baſilienſi concilio ſtatuti, ordinati & racionabiliter obſeruati ſunt, quousque Romanum tunc congregatum concilium illos procedendi modos per alias canonicas ordinaciones mutauerit ipſis autem, ſicuti ſperamus aduenientibus omnino ſupra hujusmodi procedendi modum locum habeat prouiſio, que in decreto compactatorum de eisdem continetur.

Ceterum operam dabimus ut pecunia indulgentiarum per Regna, prouincias & dominia noſtra congregata ſatisfiat dominacioni & in eum uſum conuertantur, ad quem collecte ſunt.

Pro ſecuritate vero perſonarum ad dictum concilium accedere volencium offerimus Nos Albertus Romanorum & &c. Rex. Cum uniuerſis noſtris Imperio & Regnis atque dominijs liberum & ſecurum tranſitum tam in accedendo, quam ibi ſtando & ab inde recedendo, conceſſuros & ordinaturos ipſi primo domino noſtro ſummo pontifici, Reuerendiſſimis ſancte Romane ecclesie cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiſcopis & epiſcopis nec non reliquis univerſis & ſingulis, cuiuscunque dignitatis ſtatus & gradus exiſtant prelatis doctoribus & alijs tam eccleſiaſticis quam ſecularibus perſonis, quamquam non permittemus alicui violenciam inferri ſiue in corpore ſiue in rebus, ſed quod liceat unicuique libere ſecundum deum & rectam conſcienciam rebus intendere concilialibus, ſuper quibus omnibus nichilominus dabimus ſaluum conductum in forma pleniori ſub majore noſtre majeſtatis ſigillo, ſimiliter illi quem diue memorie dominus & pater noſter Sigismundus Imperator preſenti Baſilienſi Concilio conceſſerat, conſtituemusque, quod inibi noſtri loco fidelem protectorem, qui ſuper premiſſis & alijs Concilio neceſſarijs plenarie prouideat & debitam faciet execucionem in omnibus & ſingulis, quorumlibet premiſſorum. Idemque fiet per nos, alios Reges & principes ſuper ſecuritatibus & saluis conductibus per Regna, prouincias dominiaque noſtra prouidendis circa premiſſa.

Poſtremo vero ut omnes neceſſarie prouiſionis cautela habeatur, conuenimus nos prefati A.

B. C.

B. C. quod ſi contingat, quod Deus auertat neque ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam ſiue patres preſentis Baſilienſis concilij aut utroſque noſtris ſuperius annotatis aduiſamentis, requiſitionibusque tam juſtis & racionabilibus aſſentire obmittant, in omnem euentum ad aliquem tercium locum pro celebrando ycumenico ſiue generali Concilio condescendere ne matrem noſtram eccleſiam ſanctam in tantis turbacionibus & eminenti ſciſmati expoſitam derelinquamus, conuenimus, proteſtamur ex nunc preſentes & in hijs ſcriptis, quod illi predictorum diſſidentium aut eciam illis, qui ulteriori diſſidio occaſionem præſtiterit aut preſtiterint adherere interim differemus. Et nichilominus nos Albertus ante dictus pro nobis & noſtris ſubjectis & adherentibus proteſtamur, confiſi de omnipotentis Dei auxilio & aſſiſtencia quod cum aſſiſtencia & auxilio omnium aliorum Regum & principum & eccleſiarum, regnorum & principatuum noſtrorum atque eorumdem, quod in tam extrema eccleſię neceſſitate poteſtate & officio aduocacionis eccleſie Dei quibus fungimur, prout ſecundum Deum & ſanctorum patrum decreta expedire videbitur pleniſſime utemur, ut omnimodo pacem & unitatem in eccleſia Dei procurare & conſeruare valeamus.

Per hec tamen capitula in que conuenimus & de liberate concordauimus, Nos A. B. C. ut prefertur pro ſubmouenda hujusmodi tam periculoſa differencia inter ſanctiſſimum Dominum noſtrum

Digitized by Google

Eugenium Papam & ipſum ſacrum Baſilienſe Concilium non intendimus ſedis apoſtolice aut uniuerſalium ſinodorum auctoritatibus, honoribus ſeu Reuerencijs in aliquo derogare, ſeu aliquod jus de novo acquirere talia nunc aut deinceps niſi prout licuerit faciendum ſeu promouendum, ſed duntaxat ad hoc inducit nos Spiritus pietatis ad eccleſiam Dei, quam prochdolor videmus ante oculos jam ſciſmati expoſitam, ut ipſum jam eminens ſciſma tollatur de medio & alteri auctore domino valeat obviari cenſentes omni jure divino pariter & humano in tam extrema catholice eccleſie & tocius chriſtiane rei preſente neceſſitate, ad quecunque remedia oportuna per que poſſit integritas & unitas eccleſie conſeruari fore, poſſe & debere, eſſe merito recurrendum.

III.

INSTRVMENTVM PROTESTATIONIS A GERMANICA NATIONE PER JOHANNEM EPISCOPVM LVBECENSEM IN GENERALI CONGREGATIONE CONCILII BASILEENSIS FACTÆ AD HOC VT MEDIVM INDVLGENTIARVM ET PER EAS COLLIGENDÆ PECVNIÆ PROSIT ET NON POTIVS OBSIT FIDEI ET STATVI ECCLESIASTICO.

In nomine Domini amen tenore preſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter & ſit notum, quod anno a nativitate ejusdem milleſimo qua-

Digitized by Google

quadringenteſimo triceſimo quinto Indictione tertia decima die vero veneris undecima menſis fébruarij pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri Eugenij divina prouidencia pape quarti anno quarto Reuerendiſſimis ac Reuerendis in Chriſto patribus ac dominis dominis *Juliano* Sancti *Angeli* Dyacono Sancte ſedis Apoſtolice in Germania Legato, *Ludouico* tit. Sancte Cecilie presbitero Arelatenſi, *proſpero* ſancti *Georgij* ad velum aureum de Columpna, *Dominico* Sancte *Marie* in via lata eciam Dyaconis Sancte Romane Eccleſie Cardinalibus volgariter nuncupatis *Johanne* archiepiſcopo Tarentino *Petro* Epiſcopo Paduano, *Johanne* Anthioceno *Ludovico* Aquilegienſi Patriarchis, *Amedeo* Lugdunenſi, *Philippo* Turonenſi Archiepiſcopis, *Nicolao* Regionenſi *Petro* Dignenſi, *Franciſco* Pergamenſi, *Johanne* Niuernenſi, *Matheo* Albinganenſi Epiſcopis ac alijs Dominis Epiſcopis, abbatibus ceterisque dominis Doctoribus & magiſtris in magna multitudine & numero copioſo ſacrum Baſilienſe concilium repreſentantibus & celebrantibus in generali congregatione unde in majori eccleſia Baſilienſi de mane more ſolito congregatis præfatis Reuerendiſſimis Dominis Cardinali legato Archiepiſcopo Tarentino & Archiepiſcopo Paduano vice & nomine ſanctiſſimi domini noſtri pape preſidentibus in noſtrorum Notariorum publicorum & teſtium Infraſcriptorum preſentia non nullis actibus in ipſa generali congregatione agitatis & expeditis lectisque concordatis dominorum duodecim, ſuper indulgentijs

in materia grecorum per ſacrum concilium dandis & concedendis ſed non concluſis Reuerendus in Chriſto pater ac dominus *Johannes* Epiſcopus Lubicenſis Nacionis inclite Germanice ſuis tenens in manibus quandam papirij proteſtationis cedulam, quam mihi *Petro Bruncti* alteri Notariorum infra ſcriptorum ad legendum tradidit, illamque de mandato ſacri concilij legi de verba ad verbum hujusmodi ſub tenore verborum circa medium indulgenciarum pro ſancta grecorum reductione acceptum ut proſit propoſitio & non obſit potius fidei & ſtatui eccleſiaſtico Germanica Nacio neceſſaria eſtimat infra ſcripta quibus intendit firmiter inherere *primo* cum Catholice fidei cauſa cautionis ſit & onera grandia oportet per univerſas naciones queſtum liberaliter & efficaciter admitti pro colligenda diffinita neceſſaria Summa pecuniæ ſublatis omnibus impedimentis & ſuſpenſis quibuſcunque alijs publicis plenarijs indulgencijs iſta durante. *Secundo* ne timor fraudis impediat executionem, oportet Germanicæ nacioni poteſtatem dari de ordinandis queſtoribus per ſuas provincias & conſervanda pecunia recollecta. *Tertio* ne aduenientibus Grecis una nacio ſe per aliam de comportando excuſare poſſit, oportet ſervari ordinem & equalitatem, ſic quod primo prior in ordine nacio teneatur ſecundum ratam contribuere, ſecundo loco ſecunda nacio & ſic deinceps qualibet nacio ſecundum ratam immediate poſt illam que eam ordine præcedit. *Quarto* ne populus ſub nomine reductionis Grecorum decipi per clerum opinetur oportet

tet

Digitized by Google

tet germanice nacioni poteſtatem dari, ſi non venerint Greci ipſam totam pecuniam, aut ſi venerint, eam que ſoluta rata ſupereſt conuertendi in pios utiles ac neceſſarios publicos uſus nacionis ubi fuerint recollecte. *Quinto* ne ſuſpicetur populus præſcripta infringi, oportet antequam bulle indulgenciarum per naciones mittantur omnia ante dicta ſollempniter & ſecundum ea decerni cum decreto irritanti in omnes alias ordinationes, conceſſiones indulgenciarum mandata & proceſſus etiam apoſtolicos quatenus pro execucione prefatorum que cum ſint juſta & racionabilia & ad profectum rei in ea Nacio Germanica non ſolum conſentit, quod fiant, ſed etiam paternitates veſtras obnixe deprecatur, quibus peractis & non alijs Nacio ipſa Germanica licet pro Catholica fide ad deſtruendam Bohemorum perfidiam in retro actis temporibus multa dampna in corporibus & rebus paſſa ſit & pluries maximas Summas contribuerit tam clerus quam populus adhuc liberali animo pro tam ſalutari augmento Catholicæ eccleſie ſe offert ad diligenter perficiendum debitum ſuum, quod ſi hec non fiant, cum non videat, que hujusmodi via indulgenciarum potius reductioni Grecorum ac fidei, quo ad efficaciam indulgentiarum & eccleſiaſtico ſtatui, quo ad detractiones popularium valde obſit ac eciam cum nullo jure plus aſtringatur ad dimittendum queſtum hujusmodi quam alie naciones palam ſuam intencionem inſinuat paternitati veſtre, & proteſtatur per eum non ſtare, quo minus per viam indulgenciarum ſatisfiat ordinacioni

ſacri

Digitized by Google

ſacri Concilij pro reductione Grecorum, quam finire optat premiſſis obſervatis; qua quidem proteſtationis cedula ſic ut prefertur lecta prefatus Reuerendus pater Dominus Epiſcopus Lubicenſis nomine ejusdem nacionis Inclite Germanice dixit, fecit & proteſtatus fuit, prout & quemadmodum dicta proteſtacione ſuperius inſerta continetur petens & inſtanter requirens nomine quo ſupra hujusmodi proteſtationem apud acta ſacri concilij Baſilienſis per nos notarios publicos & ejusdem ſacri concilij ſcribas infraſcriptos in ſcriptis redigi, ſibique & alijs quorum intereſt de premiſſis fieri adque tradi unum & plura publicum & publica inſtrumentum & inſtrumenta ad futuram rei memoriam, ſubſequente vero anno a nativitate Domini Millesimo quadringenteſimo triceſimo ſexto indictione quarta decima pontificatus ejusdem domini noſtri domini *Eugenij* pape quarti anno ſexto die vero veneris tertia decima Menſis Aprilis adveniente in generali congregatione ibi & prout ſupra celebrata preſidente in eadem vice & nomine dicti ſanctiſſimi domini noſtri pape prefato Reuerendiſſimo patre domino *Juliano* titulo ſancte *Sabine* presbitero cardinali legato lectis concordatis dictorum dominorum duodecim ſupra forma indulgenciarum in materia Grecorum lectaque eciam forma hujusmodi indulgenciarum per me prefatum *Petrum Bruneti* alterum notariorum infra ſcriptorum venerabilium, ac circumſpectus vir dominus *Richardus* de Cleen canonicus Maguntinus ambaſſiator & nuncius in ſacro Baſilienſi concilio

vice

vice & nomine Reuerendiſſimi domini archiepiſcopi Maguntini ac preſidentis dicte Inclite nacionis Germanice ſurrexit in medium proponens & narrans, qualiter anno preterito, dum agitabatur materia indulgenciarum in facto Grecorum in generali congregacione Reuerendus in Chriſto pater dominus Epiſcopus Lubicenſis pro nomine ejusdem inclite nacionis Germanice quandam in ſcriptis circa hujusmodi materiam indulgenciarum, quam quidem proteſtationem tamquam preſidens ipſius inclite nacionis Germanice & nomine ejusdem publice repetebat, & repetijt petens & inſtanter requirens eandem publice legi & pro repetita haberi tandem prefatus Reuerendiſſimus pater dominus Cardinalis legatus & preſidens vice & nomine ſacri Concilii eandem proteſtacionem pro lecta & repetita habuit & habere voluit. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis premiſſis præfatus dominus *Richardus*, nomine quo ſupra petijt a nobis notarijs publicis & dicti ſacri Concilij Baſilienſis ſcribis infra ſcriptis ſibi & alijs quorum intereſt fieri atque tradi unum & plura publicum & publica inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc *Baſilee* ſucceſſive in dictis generalibus congregacionibus ſub annis, indiccionibus, diebus Menſibus & pontificatu, quibus ſupra. Preſentibus ibidem venerabilibus ac circumſpectis viris & magiſtris *Jordano Morun*, *Rudulpho* de *Porta* in ſacra pagina *Elpina fiene* Canonico Cameracenſi utriusque juris *Galeaceo* de *Mantua* decretorum

Docto-

Doctoribus & *Guidone de Urſellis* magiſtro in artibus teſtibus ad premiſſa aſtantibus.

Et me *petro Bruneti* Baccalario in decretis Canonico Atrebatenſi publico Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus dictique ſacri Concilij Baſilienſis notario & ſcriba jurato, qui premiſſis omnibus & ſingulis dum ſic, ut premittitur in dictis generalibus congregationibus ſucceſſive fierent & agerentur unacum prenominatis teſtibus & notarijs infra ſcriptis preſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui, ideo huic preſenti publico inſtrumento manu propria fideliter ſcripto hic me ſubſcribens una cum ſignis & ſubſcriptionibus notariorum ſubſcriptorum ſignum meum apposui conſuetum requiſitus & rogatus in fidem & teſtimonium premiſſorum.

IV.

POSTVLATA NATIONIS GERMANICÆ IN CONCILIO BASILEENSI CIRCA GRATIAS EXPECTATIVAS PENITVS TOLLENDAS ET BENEFICIA PERSONIS GRADVATIS CONFERENDA &c.

Perſpiciens inclita nacio Germanica, quod expectativarum graciarum nimia effuſio plurimis malicijs hactenus fomitem miniſtrauit, quodque in eadem nacione inter beneficiatos graduatorum cetus ſufficiens non habetur, petit igitur humiliter

militer ſibi & ſuis ſuppoſitis pro medio predictorum concedi a ſacro Baſilienſi concilio infra ſcripta cum proteſtatione, quod ſi forſan utiliter ab eodem concilio premiſſa in melius aliquando reformarentur, ipſa inclita nacio expers reformacionis illiùs annuere cenſeatur.

In primis ſiquidem petit ſibi concedi executiones generales decretorum hujus ſacri Concilij de eleccionibus & reſervacionum ſublacione & alijs editorum, ita quod nulla reſervatione aut aſſecucione papali aut legatorum ejus obſtante decreta electionis & alia debitum ſuum effectum ſortiantur.

Item ſibi concedi petit & indulgeri ut nullus collatorum aut collatricum in ipſa nacione teneatur admittere ad parochiales eccleſias quavis auctoritate expectativas, ſed de illis & quibusvis electivis beneficijs ordinario jure debeat prouideri.

Idem ut nullus collatorum aut collatricum teneatur quempiam expectantem admittere ad alia beneficia niſi ad vacantia in menſibus alternatis, ita quod primus menſis ſcilicet Januarij ſit ordinariorum & ſecundus expectantium & ſic deinceps alternate.

Item quod expectantie gratie ſuper quibus proceſſus nunc decreti ſunt ſalvis premiſſis, locum habeant duntaxat ad vitam domini noſtri *Eugenij* pape moderni.

Item quod omnes expectantie religioſis quibuscunque conceſſe ex nunc ſint caſſe & extincte, quia

quia magis vagandi quam religionem edificandi cauſam ambire judicantur.

Item quod ſalvis præmiſſis collatores & collatrices predicti ac ecclefie quatenus ad nullius expectationem gratie deinceps & in antea quamlibet quavis auctoritate concedente admiſſionem vel execucionem quamlibet ad eorum execucionem teneantur, niſi gratia hujusmodi facta juxta factum & intellectum & mandatum de Receptis, cum clam ſi pro alio non ſcripſerimus eciam non obſtantibus, quo ad omnia premiſſa quibuscunque proceſſibus & cenſuris factis & fiendis quibuscunque eciam apoſtolica auctoritate quam quo ad premiſſa caſſe ſint & inanes.

Ut autem ordinarij per premiſſa in aliqualem libertatem ſuarum collacionum & electionum ſic reſtituti ipſa libertate in edificationem honorabilem ſtatus ecclefie pociantur petit dicta nacio pro regulacione circa collacionem & de priuacione beneficiorum quavis auctoritate fiendam concedi & indulgeri infraſcripta.

Primo quod in omnibus Metropolitanis Cathedralibus & collegiatis eccleſijs dicte nationis quinta aut ſexta pars canonicatuum & prebendarum proxime vacancium & habencium communi extimatione annuatim omnibus videlicet fructibus, prouentibus cottidianis, diſtribucionibus, pertinencijs, & alijs emolumentis quibuscunque computatis, octo marcas argenti, nec non parochiales eccleſiæ usque ad numerum trium millium cum predialibus decimis, aut ſive hujusmodi decimis

usque

usque ad numerum ſex millium communicancium communiter habentes ecianiſi de jure patronatus laicorum vel religioſorum exiſtant ex nunc reſeruentur pro diuini & humani juris doctoribus & licenciatis ac in Theologia baccalarijs & magiſtris in artibus vel medicina, qui in altero jurium predictorum per tres annos in ſtudio generali ſtuduerint cum vigore examinis & ſine diſpenſacione, de quo per literas ſtudij vel alias legitime conſtare debeat promotis & alias juxta ſtatuta, aut conſuetudines eccleſiarum predictarum habilibus, ita quod nulli alteri conferatur, aut inſtitutio fiat de eis, in quantum intra quindecim dies a tempore vacacionis computando ſe aliquis talis per ſe vel procuratorem obtulit, quorum ſi plures in tempore hujusmodi offerrent electio collatori aut inſtituenti ac inſtituentibus vel collatoribus ſit conceſſa, qui omnes ſic aſſumpti in huiusmodi prebendis & eccleſijs teneantur perſonaliter reſidere, alioquin ſi ultra menſem in aliquo anno ſe absque collatoris aut collatorum quo ad prebendatum aut absque immediate Superioris quo ad eccleſias parochiales licencia ex racionabili cauſa conceſſa abſentaverit extunc ſint prebendis & eccleſijs hujusmodi privati ipſo facto, & alijs ſimilibus libere conferantur, collaciones autem & inſtituciones alijs, quam ut prefertur qualificatis quavis auctoritate facta & fiende ſint nulle ipſo jure.

Item ut hujusmodi reſeruacio effectum ſemper aſſequatur petit dicta nacio ſtatuta & conſuetudines. & aſſenſus cujusuis & alia hijs contraria

ſeu hec impedientia in eccleſijs predictis, quo ad hujusmodi prebendas & eccleſias proxime vacaturas duntaxat tolli perpetuo & caſſari, ita quod dicta quinta vel ſexta pars prebendarum ut premittitur pro ſic qualificatis acquiſita ſemper pro talibus remaneat, interim quod valor predictus comitetur, quo vero deficiente & una tali prebenda vacante loco illius reformacio ad aliam prebendam predicti valoris in eadem eccleſia tunc proxime vacante extenſa cenſeatur ne umquam quinta vel ſexta pars deficiat ſupradicta.

Item quod qualificatorum hujusmodi, e quibus ut premittitur aſſumptus teneatur, quod corporis & mentis compos fuerit, ſub pena duarum marcarum argenti pro qualibet vice neglecta in ciuitate vel dioceſibus ſuis vel predicando ad clerum, aut ad populum, uel legendo in cathedra, ſeu diſputando publice, ſe & alios exercere juxta ordinationem Collatoris uel collatorum, quo ad prebendas & immediate Superiori, quo ad parochiales eccleſias predictas, quam ordinationem in aſſumpcione cujuslibet ſic qualificati ſecundum illius corporalem habitudinem teneantur, ſtatim cum effectu facere collator aut collatores vel immediatus Superior predicti, alioquin ad alium immediatum Superiorem & iterum ad tercium, ſi ſecundus eciam neglexerit, hec ordinacio ſit deuoluta, & quilibet negligencium ſupplenti Superiori ad ſolucionem ſimilium marcarum duarum ipſo facto pro neglecta ſit obligatus, quam & extorquere in virtute ſancte obedientie teneatur.

Item

Digitized by Google

Item quod Canonici regulares metropolitanorum, cathedralium, collegiatarum eccleſiarum & quorumcumque monaſteriorum ſiue exemptorum ſiue non exemptorum in dicta nacione quinta vel ſexta parte qualificatorum predictorum in communi eorum cetu non habencium, ut & ipſi viros literatos inter ſe habeant, unum duos uel tres canonicos ſiue monachos ſui cetus ſecundum quod facultates ſuppetunt ſemper in aliquo ſtudio generali habere teneantur in theologia aut jure canonico ſtudentes ſub pena X Marcarum argenti archiepiſcopo vel epiſcopo loci cum ipſis bona communia non habenti applicandorum, quam incurrant ipſo facto totiens quotiens per quartale unius anni iſta neglexerint adimplere; quando autem aut ad quot tenendos, facultates ſuppetant concilium provinciale proximum & ſecundum curſum temporis futura teneantur declarare, & dictam penam, quin excepti fuerint, Superior in virtute ſancte obediencie exigere non deſit aſtrictus.

Item quod ex tunc medietas omnium aliorum a predictis beneficiorum reſeruetur pro pauperibus, ſic quod omnes collatores aut collatrices teneantur non alteri quam illis dummodo infra XV. dies a vacacione proxime tales ſe obtulerint alterius menſibus vacantia beneficia conferre, ita videlicet quod primus ordinariorum menſis ſit pro pauperibus hujusmodi, & ſecundus eorundem ordinariorum menſis ad arbitrium ipſorum ordinariorum, dum tamen non conferant alicui duo beneficia, jam habenti, niſi loco aſſumendi dimittat

 reali-

realiter unum de obtentis, quod eciam in inſtituendis ad preſentacionem quorumcunque Laicorum quolibet menſe obſeruetur graduatis a primo articulo deſcriptis ac illuſtribus & nobilibus duntaxat exceptis. Pauperes autem quo ad iſta dixerimus, qui nullum Beneficium a nobis ultra duas Marcas argenti communi extimatione in redditibus annuis habere cenſeantur, ſed & inter hos pauperes, dum ſe offerant in dicto tempore plures ſimul, graduatus ſine diſpenſatione habilis & ydoneus non graduato & inter graduatos ſine diſpenſatione magis graduatus, inter hos graduatos vero is qui in ſtudio generali diucius laudabili teſtimonio ſtetit, ydoneus tamen & beneficio juxta illius qualitatem ſeruire velle ſe obligans preferatur, & electio inter alios ſe offendentes ordinario ſit relicta, quecunque collacio vel inſtitucio altera vel aliter facta ipſo jure nulla habeatur.

Item quod beneficia curam animarum habencia non alteri quam ſcienti perferre ydonio, nec inſtitutio aliter fiat de illis, ubi tamen hujusmodi ſcientes haberi poterint commodoſe & ydonei, alioquin collacio & inſtitutio ipſo jure nulle habeantur.

V.

Digitized by Google

V.

LITTERÆ TOTIVS NATIONIS GERMANICÆ AD SIGISMVNDVM IMP. NE DE TRANSLATIONE CONCILII PRO VNIONE GRÆCORVM QVIDQVAM DECERNAT NON AVDITO LEGATO, QVI EAM OB CAVSAM AD EVM MITTITVR.

Glorioſiſſimo Romanorum Imperatori domino *Sigismundo* ſemper Auguſto, ac Vngarie, Dalmacie, Croacie & Bohemie &c. Regi.

Parata obſequia & in domino feliciter gubernare, ſi priſca Imperialis Veſtri culminis geſta, quibus ad intimum peculiaris veſtre felicis Inclite nacionis Germanice decus ſemper ſategiſtis, attenderimus, profecto ex hoc jam nata eſt nobis ſponſio ut ad incrementum honoris ejusdem nacionis per amplius intendatis. Cum itaque nunc de loco, in quem Grecorum eccleſia cum veſtra occidentali pro implenda reductione optata in proximo conveniant, ut plurimum diſceptetur dignum duximus ad veſtram Imperialem majeſtatem paulo poſt hæc ſcripta oratorem aliquem pro hijs & pleriſque alijs & dictam veſtram majeſtatem & partes ac honorem dicte veſtre Germanice nacionis concernencia deſtinare, precamur ob id obnixe humiles & devoti, quatenus Imperialem veſtram celſitudinem intra ſacrarium ſue exaudicionis nullius preces ſuper loco hujusmodi admittat, donec dictus noſter orator adveniens qualitates & conditiones intrinſecos agendum hoc quomodolibet re-

Digitized by Google

ſpicientes veſtre majeſtati declaret luculenter, nam ex hoc arbitramur veriſimiliter ceſarij culminis animum ad pereligendum quod in iſtis ſalubrius eſt non modicum poſſe informari. Ex Baſilea die XXX Martij Anno Domini &c. XXXVI. ſub ſigillo venerabilis *Richardi de Cleen* Canonici eccleſiæ Maguntinenſis veſtre nacionis Germanice jam præſidentis.

Richardus de Cleen Canonicus eccleſie Maguntinenſis, præſidens ceterique patres veſtre inclite Germanice Nationis.

VI.

NATIONIS GERMANICÆ LITTERÆ AD EXECVTORES INDVLGENTIARVM IN REGNO POLONIÆ VT PECVNIAS COLLECTAS NVMERARI CVRENT PERSONIS INTVS DESIGNATIS.

L. &c. ad preſens inclite Nacionis Germanice in ſacro Generali Baſilienſi Concilio preſidens omnibus & ſingulis indulgenciarum a dicto Generali Concilio pro Grecorum reductione conceſſarum in Regno Polonie ceteriſque altinentibus ac tota provincia Gnesnenſi executoribus & ſub executoribus capſarumque ſiue truncorum propterea poſitorum Clavigeris nec non collecti ex ejusdem indulgencijs offertorij depoſitarijs communiter vel diuiſim deputatis & ipſorum cujuslibet ſalutem in domino ſempiternam. Quia ſacrum Generale Concilium

cilium pridem ex ſponſione cum Grecis facta per menſem Januarij proxime futuri pro parandis galeis nauibus & gentibus, quibus ipſi Greci Septingenti numero in terras occidentales eccleſie adducentur LXX millia ducatorum expedire efficaciter obligatur, ac preterea per omnes Naciones & prouincias de Collectis jam ex hujusmodi indulgencijs contribuere eſt neceſſe, hinc eſt quod ex parte dicte noſtre Nacionis Germanice vobis per preſentes literas intimamus exhortantes, ut collectam jam aut apud vos ſeu ſub veſtris clavibus depoſitam ratione, dictarum indulgenciarum pecuniam providis viris *Coſme & L. de Medicis* & ſocijs mercatoribus florentinis in *Baſilea* exiſtentibus dicti ſacri Concilij quo ad Germaniam generalibus depoſitarijs, qui grandes jam ſummas pecuniarum in eodem facto Grecorum mutuarunt, vel *Roberto de Martellis* negociorum ipſorum geſtori, aut illi ſeu illis, quibus ipſa ſocietas vel ipſe *Robertus* hoc commiſerit juxta mandatum ejusdem Concilij vobis ſub bulla deſuper factum & juxta preſentis Cenſoris diſcreti viri *H.* jurati ad hoc nuncij informacionem realiter tradere & innumerata pecunia debeatis aſſignare ſignificareque ſcriptis veſtris venerabili domino N. generali pecuniarum dicte noſtre nacionis receptori quantitatem quiuis veſtrum tradiderit & aſſignauerit iſta vice, in hoc Nacioni noſtre prefate rem gratam & ſacro Concilio debitam obedienciam exhibentes, datum *Baſilee* &c. noſtro ſub ſigillo preſentibus impreſſo, quo pro dicta Nacione Germanica que proprio caret, utimur de preſenti.

VII.

EVGENIVS PP. IV. VNIVERSITATEM ERFORDIENSEM CITAT AD CONCILIVM FERRARIENSE.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filijs Rectoribus & univerſitati ſtudij Erfordienſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum Baſilienſe Concilium ad civitatem Ferrarienſem pro œcomenico Concilio inibi celebrando tam propter occidentalis & orientalis Eccleſiarum unitatem, quam reformationem Eccleſie ac pacem Chriſtiani populi & alijs rationabilibus cauſis totis viribus Deo Auctore procurandas duxerimus transferendum, prout veſtra devotio videre poterit per copiam litterarum preſentibus interclusam, eidem devotioni veſtre in virtute ſancte obedientie injungimus & mandamus, quatenus cum per Dei gratiam ſperemus imo certi reddamur, quod Cariſſimus in Chriſto filius noſter johannes Grecorum Imperator illuſtris ac Venerabilis frater noſter Patriarcha Conſtantinopolitanus cum ceteris Prelatis & Eccleſijs dictis, pro quibus jam dudum cum Galleijs & alijs nuncijs & conventibus miſimus circa Kalendas Novembris proxime futuras accedent ad Concilium mentionatum, quantocyus poteritis aliquos de univerſitate veſtra inſignes Doctores vel Magiſtros Deum timentes, qui hujusmodi Concilio interſint, ad ipſum Concilium deſtinare curetis, ut in eo Altiſſimi cooperante miſeri-

ſericordia per ipſorum Doctorum & Magiſtrorum ac aliorum prudentiam & virtutem ea tractentur & agantur, que cedant ad laudem Dei, pacem Chriſtianorum ac ſtatum & exaltationem Eccleſie ſue ſancte. Datum *Bononie* Anno Incarnationis Dominice M°CCCC°XXXVij° tertio decimo Kalendas Octobris Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

VIII.

INSTRVMENTVM PROTESTATIONIS NATIONIS GERMANICÆ NOMINE A NICOLAO ECCLESIÆ LVBECENSIS DECANO IN CONCILIO BASILIENSI ADVERSVS DECIMAM INTERPOSITÆ CVM POSTVLATO; VT ÆQVALITAS IN TAXATIONE INTER NATIONES SERVETVR.

In nomine Domini Amen. Tenore hujus publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter & ſit notum, quod anno a Natiuitate ejuſdem Mileſimo quadringenteſimo triceſimo ſeptimo indictione decima quinta die vero Veneris octava menſis februarij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri domini *Eugenij* pape quarti anno ſexto Reuerendiſſimis in Chriſto patribus ac Dominis, dominis titulo ſancte *Sabine* ſancte ſedis Apoſtolice in Germania legato, *Johanne* titulo ſancti *Petri* ad vincula, *Ludouico* titulo ſancte *Cecilie* arelatenſi ſancte Romane Eccleſie presbyteris Cardinalibus vulgariter nuncupatis, *Johanne* antiocheno,

no, *Ludovico* acquilegienſi Patriarchis *Amedeo* Lugdunenſi, *Nicolao* Panormitano, *Franciſco* Mediolanenſi archiepiſcopis *Johanne* aurelianenſi, *Petro* Dignenſi *aluaro* Conchenſi, *Alfonſo* Burgenſi, *Antonio* Portugalenſi *Ludovico* Viſenſi, *Matheo* albinganenſi Epiſcopis, Abbatibus, Doctoribus & Magiſtris in magna multitudine & numero copioſo ſacrum Baſilienſe Concilium repreſentantibus & celebrantibus in generali Congregatione, videlicet in majori eccleſia Baſilienſi de mane more ſolito congregatis, prefato Reuerendiſſimo patre Domino Cardinali legato vice & nomine ſanctiſſimi domini noſtri pape preſidente in eodem in noſtrum Notariorum publicorum & teſtium infra ſcriptorum preſencia non nullis actibus in ipſa generali congregatione agitatis & expeditis inter cetera concordata dominorum duodecim lecta fuerunt & concordata, que ſequuntur ſuper auiſamento dominorum deputatorum in materia Grecorum concernencia decimam pro facto Grecorum imponendam &c. concordate omnes ſacre deputationes, quod hujusmodi decima ex nunc imponatur, & hodie in generali congregacione concludatur, ſed non decretetur, nec leuetur, donec habeatur uniuerſum ab Ambaſſiatoribus ſacri concilij tranſeuntibus ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum papam. Quibus quidem concordatis dictorum dominorum duodecim per me *Georgium Frey* alterum notariorum infra ſcriptorum lectis, ſurrexit in medium venerabilis ac circumſpectus vir, Dominus & magiſter *Nicolaus* Decanus eccleſie Lubicenſis ut & tan-

Digitized by Google

tanquam officiarius generalis inclite Nacionis Germanice & nomine ejusdem, non tamen cauſa ſive occaſione ut aſſeruit, impediendi concluſionem ſuper hujusmodi decima imponenda, ſed ſolum pro tutela ipſius Nacionis Germanice dixit, fecit & proteſtatus fuit, prout & quemadmodum in quadam papiri cedula per eundem dominum Decanum nomine, quo ſupra tradita & per me *Petrum* Bruneti alterum Notariorum infraſcriptorum de Mandato ſacri Concilij alta & intelligibili voce lecta lacius continetur, cujus tenor ſequitur, & eſt talis: quoniam in leuacione ſemidecime dudum per hoc ſacrum concilium pro Bohemorum reductione & oneribus ecclefie univerſalis ſupportandis impoſite magna inequalitas per Naciones ſeruata eſt germanis ſecundum verum valorem & alijs dumtaxat ſecundum taxas antiquas & gratioſas, aut ſecundum reductionem benigniſſimam in comparacione ad Germanos, alijs vero penitus nichil ſoluentibus, ne igitur inequalitas hujusmodi in futurum obſeruetur; proteſtor ego *Nicolaus* Decanus ecclefie Lubicenſis ſuper impoſitis hujusmodi collectis & colligendis, quo ad inclitam nacionem Germanicam officiarius generalis nomine dicte nacionis in quantum ratum habuerit, quod impoſitio decime aut ſemidecime, de qua nunc pro Grecorum reductione agitur, dictam nacionem aut ejus ſuppoſita obligare non debet, niſi & alie naciones ſingule omni taxa & reductione qualitercunque factis non obſtantibus ſolvant ſecundum verum Valorem ſuorum beneficiorum, & niſi

ſoluta

ſoluta hujuſmodi ſecundum ratas earumdem nacionum racionabiliter cum effectu ad omnes Expenſas fiendas exponantur, quam proteſtacionem peto apud acta concilij regiſtrari, & eciam plenarie obſervari, qua eciam non ſalua nomine dicte nacionis & omnium adherere volencium non conſencio in aliquam concluſionem, inſuper repeto proteſtacionem alias in fauorem indulgenciarum factam & apud acta ſacri concilij regiſtratam. Qua quidem proteſtationis cedula ſicut prefertur lecta, petitaque per eundem dominum Decanum Lubicenſem nomine quo ſupra ipſam proteſtacionem per ſacrum concilium admitti & in actis ejusdem in ſcriptis regiſtrari & redigi, præfatus Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis ſancte *Sabine* legatus, antequam ſupra hujuſmodi concordatis concluderet, dixit, fore racionabile, quod inclita nacio Germanica aut ſuppoſita ejusdem in hujuſmodi decima imponenda non grauentur, ſed ſeruetur cum eadem equalitas, quia non habet taxam beneficiorum deſignatam, quibus premiſſis ſaluis ipſe Reverendiſſimus dominus Cardinalis legatus & preſidens ſupra hujuſmodi decima juxta concordata dominorum duodecim ibidem lecta & deliberata communibus ſacrarum deputacionum ut eſt moris nomine & auctoritate ſacri concilij concluſit & pro concluſo habuit. Subſequenter vero die veneris quinta decima ejusdem Menſis februarij aduenientе in generali congregacione preſidente in eadem prefato domino Cardinali ſancte *Sabine* legato poſt nonnullos actus in ipſa congregatione generali agitatos

tatos & expeditos. prefatus dominus decanus Lubicenſis nomine ſupradicto nacionis inclite Germanice narrauit, qualiter ſupradicta die veneris octava dicti Menſis februarij nomine quo ſupra fuerat proteſtatus ſupra hujusmodi concordatis dominorum duodecim decimam pro facto Grecorum impoſitam concernentibus, quam proteſtacionem poſtmodum dicta inclita nacio germanica ratificauerat & approbauerat, prout Conſtare dixit ex nota per me *Georgium Frey* dicte inclite nacionis Germanice notarium & ſcribam inde ſumpta & demandato ſacri concilij inſtante dicto domino Decano Lubicenſi publice lecta de verbo ad verbum hujusmodi ſub tenore: Die dominica Decima februarij anno &c. triceſimo ſeptimo inclita nacio Germanica hora tercia poſt meridiem in refectorio conuentus fratrum Auguſtinenſium ſollempniter congregata lecta fuit quedam cedula proteſtacionis per venerabilem virum dominum Decanum Lubicenſem alias in generali congregacione ſuper facto decime imponende interpoſite, poſt cujus lecturam votis ſingulorum inibi exiſtencium ſcrutatis gratificata, ratificata & approbata fuit hujusmodi proteſtatio, in quantum tamen ipſa concluſio de decima imponenda ſuum ſortiatur effectum & non alias; Et placuit quod hujusmodi ratificacio & approbacio in proxima generali congregacione nomine Nacionis legatur & publicetur, qua quidem ratificacione & approbacione proteſtacionis hujusmodi ſic ut prefertur lecta, prefatus dominus Decanus Lubicenſis hujusmodi ratificacionem & ap-

proba-

Digitized by Google

probationem pecijt & inſtanter requiſiuit per nos notarios publicos & dicti ſacri Concilij ſcribas infra ſcriptas regiſtrari & redigi, nec non de omnibus alijs & ſingulis premiſſis nomine quo ſupra ſibi fieri atque tradi ad futuram rei memoriam unum & plura, publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hec *Baſilee* in dictis generalibus congregacionibus ſucceſſiue ſub anno, indiccione, diebus, menſe & pontificatu, quibus ſupra; preſentibus ibidem Venerabilibus & circumſpectis viris, dominis & magiſtris *Johanne* pulchripons, *Johanne de Segobia* in ſacra pagina, *Johanne* de *Bacheſtein* archidiacono Zagrabienſi, *Johanne Leonis* decretorum, *Stephano* de *Nouaria* legum Doctoribus & *Guidone* de *Verſellis* Magiſtro in artibus pariſienſi una cum pluribus alijs dominis teſtibus ad premiſſa aſtantibus.

Et me *Petro Bruneti* Baccalario in decretis Canonico Atrebatenſi publico apoſtolica & Imperiali auctoritatibus dictique ſacri concilij Baſilienſis Notario & ſcriba jurato, qui premiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic ut premittitur in dictis generalibus congregacionibus ſucceſſive fierent & agerentur, una cum prenominatis dominis teſtibus & Notario infra ſcripto preſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui, Ideo huic preſenti publico inſtrumento manu propria fideliter ſcripto hic me ſubſcribens ſignum meum appoſui conſuetum, una cum ſigno & ſubſcripcione ſubſcripſi requiſitus in fidem & teſtimonium præmiſſorum.

Et

Et ego *Georgius Frey* de *Vilsbouen* clericus Pataueñſis diocefis publicus Imperiali auctoritate, nec non dicti ſacro ſancti Baſilienſis Concilij Notarius quia omnibus & ſingulis premiſſis, dum ſic ut premittitur ſucceſſive in generalibus congregacionibus una cum prenominatis, convocatis teſtibus interfui, & ea ſic fieri vidi & audiui, ideo hoc publicum inſtrumentum manu mea propria ſubſcripſi ac ſigno & nomine meis conſuetis una cum connotario meo ſuſpraſcripto conſignaui in teſtimonium omnium premiſſorum rogatus & requiſitus.

IX.

PROTESTATIO NATIONIS GERMANICÆ IN CONCILIO BASILEENSI INTERPOSITA ADVERSVS IMPOSITIONEM DECIMÆ PRO NEGOTIO REDVCTIONIS GRÆCORVM.

In nomine Domini Amen. Tenore preſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter & ſit notum, quod anno a natiuitate ejusdem milleſimo quadringenteſimo, triceſimo ſeptimo. Indictione quinta decima die vero Veneris viceſima ſexta menſis Aprilis, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri Domini Eugenij diuina prouidencia pape quarti anno ſeptimo, Reuerendiſſimis, Ruerendisque in Chriſto patribus ac dominis, dominis *Juliano* titulo ſancte *Sabine* in Germania, *Johanne*

Johanne titulo ſancti *Petri ad vincula* ſancte ſedis Apoſtolice legatis *Ludouico* titulo ſancte *Cecilie* arelatenſis ſancte Romane eccleſie presbiteris Cardinalibus vulgariter nuncupatis, *Johanne* archiepiſcopo Tarentino, *Johanne* anthioceno, *Ludouico* aquilegienſi patriarchis, *Amedeo* Lugdonenſi, *Nicolao* Panormitano, *Franciſco* Mediolanenſi archiepiſcopis, *Petro* Dignenſi, *Aluaro* Conchenſi, *Alfonſo* Burgenſi, *Anthonio* Portugalenſi, *Martiali* Ebroicenſi, *Mattheo* Albinganenſi Epiſcopis, ac alijs dominis Epiſcopis, Abbatibus ceterisque dominis Doctoribus & Magiſtris in magna multitudine & numero copioſo ſacrum Baſileenſe Concilium repreſentantibus & celebrantibus in generali congregatione videlicet in majori eccleſia Baſilienſi de mane more ſolito congregatis, prefatis, Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus ſancte *Sabine* & Sancti *Petri* legatis, nec non archiepiſcopo Tarentino vice & nomine ſanctiſſimi Domini noſtri pape preſidentibus in eadem, in noſtrum Notariorum publicorum & teſtium infra ſcriptorum preſencia poſt nonnullos actus in ipſa generali congregacione agitatos & expeditos inter cetera concordata dominorum duodecim lecta fuerunt concordata, que ſequuntur ſuper proteſtaoionibus inclite nacionis Germanice ſuper impoſicione decime alias & nuper factis concordatis omnes ſacre deputationes quod admittantur hujusmodi proteſtationes, quibus quidem concordatis ſic ut prefertur lectis venerabilis ac circumſpectus vir Dominus *Nicolaus Sachols* Decanus eccleſie Lubicenſis

Digitized by Google

ſis ſuper impoſitis collectis & colligendis, quoad inclitam nacionem Germanicam in dicto ſacro Baſilienſi Concilio officiarius generalis nomine ejusdem inclite Nacionis Germanice illiusque ſuppoſitorum quorumcumque & eisdem adherencium ſurgens in medium, poſtquam narraſſet, ſe habere a dicta nacione Germanica in mandatis, quod quodcunque neceſſarium foret, quascunque proteſtaciones opportunas de & ſuper hujusmodi Collectis & colligendis facere & interponere poſſet, ſicuti ex nota per me *Georgium Frey* ejusdem ſacri Concilij & Inclite nacionis Germanice notarium & ſcribam ſubſcriptum inde ſumpta, & de Mandato ipſius ſacri Concilij publice lecta aſſeruit clarius conſtare, ſuisque tenens in manibus quandam proteſtacionis cedulam dixit, proteſtatus fuit & alia fecit, prout & quemadmodum in ipſa proteſtationis cedula, eciam de mandato ejusdem ſacri Concilij per me *Petrum Bruneti* alterum notariorum ſubſcriptorum publice lecta lacius continetur. Quarum quidem note & proteſtacionis cedularum tenores ſuo ordine ſequuntur & ſunt tales. Die Mercurij decima ſeptima Menſis Aprilis Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo triceſimo ſeptimo in inclita Nacione Germanica loco & more conſuetis ſollempniter congregata Preſidente Reuerendo patre domino Epiſcopo Gurcenſi, placuit quod venerabilis vir dominus decanus Lubicenſis innouet proteſtacionem nacionis in materia indulgenciarum ac decime in tacto reductionis Grecorum impoſitæ quantumcumque neceſſarium

fuerit, & alias opportunas, de quibus ſibi videbitur, interponat, & quod cras cum aliquibus de ſe aſſumendis eas in deputacionibus ac tandem in congregacione generali admittit petat ſic ſignatus *G. Frey*, cum nunc de decretacione decime nuper pro expediendo negocio Reductionis Grecorum concluſe agatur & pro parte inclite nacionis Germanice ſuppoſitorumque ejusdem tunc certo modo efficaciter fuerit proteſtacio circa eandem impoſitionem & concluſionem decime emiſſa apud acta hujus ſacri generalis Baſilienſis Concilij cum inde ſcriptis regiſtrata, ne igitur per taciturnitatem quicquam de proteſtacione & inde ſequutis pereat; Ego *Nicolaus Sachols* Decanus eccleſie Lubicenſis ſuper impoſitis hujusmodi collectis & colligendis, quo ad inclitam dictam nacionem Germanicam in dicto ſacro Concilio officiarius generalis nomine ejusdem nacionis inclite illiusque ſuppoſitorum quorumcunque dictam proteſtacionem & omnia inde ſecuta circa decretacionem predictam repeto & innovo ac in ea & in omnibus alijs actibus circa dictam decimam ejusque expedicionem quomodolibet factis & in futurum fiendis pro repetita & innouata habere volo, & nichilominus illi nunc addendo eciam ſollempniter proteſtor nominibus, quibus ſupra, quod licet dicta decima, ut premittitur, impoſita & concluſa per ſacrum Concilium quantumcunque decretaretur papa tamen conari in parte vel in toto aut ejus pretextu executores vel collectores per dictam inclitam nacionem Germanicam aut in aliqua ejus parte poni & deputati

forian

forſan jam vel deputandi ſua officia ſive poteſtatem exequi aut aliquid circa iſtud diſponere non debent, niſi offertoria ex indulgencijs pro dicta reductione conceſſerit pro reverencia ad ratam in ſolucionem ſeptuaginta millium florenorum de Camera mutuatorum vel mutuandorum dictam Nacionem tangentem non ſufficerent, quo Caſu usque ad ratam hujusmodi exigatur & non ultra niſi quo- usque Greci in portu Latino juxta decretum dicti ſacri Concilij deſuper factum fuerint perſonaliter conſtituti, & tunc eciam ac alias non aliter ſolui, leuari aut diſtribui debet ipſa decima niſi ſecundum primam proteſtacionem ſuperius expreſſam nullisque quomodolibet dari debet poteſtas coactiva in partibus Germanie dictam decimam, ut premittitur, exigendi aut leuandi, niſi hijs, qui per dictam nacionem Germanicam aut ejus provinciales eligentur, quemadmodum in priori ſemidecima & indulgenciarum execucione eſt obſeruatum, qua prima proteſtacione & eciam preſenti, quod abſit, non ſaluis nomine dicte inclite nacionis & ſuppoſitorum ejus predictorum & omni adherere volencium non conſentio in aliquam concluſionem, Impoſicionem, decretacionem, aut diſpoſicionem quamcumque, hanc hujusmodi decimam concernentem Inſuper repeto & innouo quo ſupra nominibus proteſtacionem alias infra indulgenciarum pro dicta reductione conceſſarum eciam dictis nominibus factam, eamque ſimiliter in omnibus actibus factis & fiendis reductionem hujusmodi concernentibus volo habere pro repetita & innovata

Digitized by Google

ac ipſas omnes & ſingulas iterum aut tacite vel expreſſe admitti ſupplico cum inſtancia debita & ſollempni, & hec omnia eciam apud dicta acta ſacri Concilij peto regiſtrari & deſuper tot, quot neceſſaria fuerint fieri publica per Reuerendos dominos prothonotarios apoſtolice ſedis & honorabiles notarios dicti ſacri Concilij hic preſentes inſtrumenta, quibus quidem nota & proteſtationis cedula ſicut prefertur per me *Bruneti* notarium ſupra & infra ſcriptum lectis, petitoque per venerabilem virum magiſtrum *Hugonem Bacardi* alterum promotorem ſacri Concilij per prefatos Reuerendiſſimos dominos præſidentes ſanctiſſimi domini noſtri pape ſupra hujusmodi ſupraſcriptis & alijs concordatis dominorum duodecim concludi, prefati Reverendiſſimi domini preſidentes per organum Reverendiſſimi Domini Cardinalis *ſancte Sabine* legati alterius præſidentis nomine & auctoritate ſacri Concilij juxta deliberaciones ſacrarum deputacionum & concordata dictorum dominorum duodecim ſupra hujusmodi concordatis ſuperius inſertis, ut eſt moris, concluſerunt proteſtacionemque ſupra ſcriptam eciam nomine & auctoritate ejusdem ſacri Concilij duxerunt admittendam pariter & admiſerunt. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis premiſſis prefatus dominus decanus Lubicenſis nomine dicte inclite nacionis Germanice & omnium ſuppoſitorum ejusdem & eisdem adherere volencium petijt a nobis notarijs publicis & dicti ſacri Concilij Baſilienſis ſcribis infra ſcriptis ſibi fieri & tradi ad futuram rei memoriam

unum

Digitized by Google

unum & plura, publicum, & publica, inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hec *Baſilee* in dicta Generali Congregacione ſub anno, indictione, die, Menſe & pontificatu, quibus ſupra, preſentibus ibidem venerabilibus ac circumſpectis viris dominis & Magiſtris *Dyoniſio Sambrenais*, *Johanne de Segobia* in ſacra pagina *Johanne Leonis*, *Johanne de Bachenſtein* Archidiacono Zagrabienſi decretorum doctoribus & *Sindone de Vercellis* Magiſtro in artibus Bariſienſi teſtibus ad premiſſa aſtantibus, ſubſequenter vero anno Indiccione & pontificatu quibus ſupra & die martis ſeptima menſis maij advenientis, dum in dicta, majori eccleſia Baſilienſi viceſima quinta hujus ſacri Concilij Baſilienſis Seſſio publica ſolempniter celebraretur prefatus dominus Decanus Lubicenſis nominibus quibus ſupra ſenciens & intelligens, quod in ipſa Bublica Seſſione decretari deberet decima per ſacrum Concilium pro unione & reductione Grecorum uniuerſaliter impoſita preſcriptam proteſtationem & ceteras alias hactenus per eundem Dominum decanum & alios nomine dicte inclite nacionis Germanice eisdem firmiter adherendo repetijt & pro repetitis haberi voluit & habuit petens & requirens de hujusmodi repeticione & ceteris premiſſis a nobis Notariis ſupra & infra ſcriptis ſibi fieri atque tradi unum & plura ad futuram rei memoriam inſtrumentum & inſtrumenta. Acta ſunt hec *Baſilee* in dicta Seſſione publica preſentibus ibidem nobilibus ac egregiis viris, dominis *Georgio Fiſchel* milite ſereniſſimi ac Inuictiſſimi do-

Digitized by Google

mini *Sigismundi* Romanorum Imperatoris in dicto ſacro Baſilienſi Concilio ambaſſiatore, *Mauricio de Spellebergk Comite de Spelckeberg* Canonico Colonienſi & Venerabili Magiſtro *Henrico Ubelin* cauſarum rote ejusdem ſacri Concilij procuratore teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et me *Petro Bruneti* Baccalario in decretis Canonico Atrebatenſi publico ex apoſtolica & Imperiali auctoritatibus dictique ſacri Concilij Baſilienſis Notario & ſcriba jurato, qui premiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic ut premittitur in dicta generali congregacione fierent & agerentur, una cum prenominatis teſtibus & notario infra ſcripto preſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui, ideo huic preſenti publico inſtrumento manu aliena fideliter ſcripto, hic me propria manu ſubſcribens ſignum meum una cum ſigno & ſubſcripcione notarij ſubſcripti appoſui conſuetum, requiſitus & rogatus in fidem & teſtimonium premiſſorum.

Et ego *Georgius Frey* de *Vilshouen* Clericus Patauienſis dyoceſis publicus Imperiali autoritate nec non dicte ſacroſancte generalis Baſilienſis ſynodi ac inclite nacionis Germanice Notarius, quia omnibus & ſingulis premiſſis una cum domino notario ſupra ſcripto interfui & ea ſic fieri vidi & audiui, ideo hoc publicum inſtrumentum manu mea propria ſubſcripſi ac ſigno & nomine moris conſueti conſignaui in teſtimonium omnium premiſſorum rogatus & requiſitus.

X.

Digitized by Google

X.

PROTESTACIO NACIONIS GERMANICE SVBORTA DISCORDIA DE LOCO YCVMENICI CONCILII DECRETANDO IN CONCILIO BASILIENSI.

Quia inclita nacio Germanica, in qua inueteratum olim ſciſma a ſacro Conſtancienſi concilio opere & interuentu Glorioſiſſimi & inuictiſſimi domini noſtri Sigismundi Romanorum Imperatoris exterminatum extitit, non minus conſiderans nunc ſuppoſita preſentis ſacri concilij Baſilienſis grauem fore diſpenſacionem extortam ſuper materijs circa concluſionem & decretacionem locorum ycomenici concilij cum Grecis & pro eorum unione nobiſcum fienda. Adquam quidem diſſenſionem ſopiendam, ne illius prætextu aliquod denuo ſciſma in eccleſia Dei ſuboriri contigerit, ſuos pluribus vicibus ordinauit deputatos, ad reperiendum & tractandum media pacis, quæ tamen magna circa id adhibita diligencia hucusque prochdolor non ſunt reperta. De qua re ipſa inclita nacio dolet ab intimis, & de hac ſua diligencia, ac quod per ipſam nacionem non ſteterit, neque ſtabit inpoſterum, quominus doctrine hujusmodi ſopite fuerint atque ſopiantur ſolemniter & expreſſe proteſtatur. Secundo prefata nacio inclita ſimiliter ad vitandum omne ſcisma in eadem eccleſia Dei, quod abſit quouismodo proceſſura, quia prochdolor pretextu diſſenſionum predictarum hijs proximis diebus ad duas ut apparet contrarias ſeu

incompatibiles concluſiones proceſſus exiſtit, de quo eadem nacio reuera eciam dolore nimio concutitur, cum ex illis veriſimiliter poſſint ſciſmata nephandiſſima ac ſcandala horrenda plurima in Dei eccleſia ſuboriri, id circo eciam ſolemniter & expreſſe proteſtatur, quod non intendit conſentire in contrarias ſeu incompatibilis predictarum aut aliarum quarumcumque concluſionum factarum ſeu fiendarum decretaciones ſimul aut ſucceſſiue faciendas.

Tercio etiam ſaluis premiſſis eadem nacio in caſum & euentum in quem ſeu quos premiſſis non attentis nichilominus ad duas contrarias ſeu incompatibiles decretaciones premiſſorum occaſione aut alias, quod abſit, faciendas devenire contingat, quod in illa, que dicti ſacri concilij ordinacionibus & decretis per ejus ſuppoſita receptis juratis & approbatis obuiaret, aut difformis exiſteret, nullatenus vult neque intendit conſentire, nec eciam ei aliquatenus adherere de quo eciam ſolemniter & expreſſe proteſtatur.

In cujus rei teſtimonium omnes Reuerendos patres dominos prothonotarios & ejusdem ſacri concilij notarios eosque ſingulos rogat, hortatur & requirit, ut unum & plura publica, tot quot fuerint neceſſaria deſuper conficiant inſtrumenta.

Petit inſuper hanc ſuarum proteſtacionum cedulam apud acta ejusdem ſacri concilij redigi & conſcribi ad perpetuam rei memoriam.

Do-

Digitized by Google

Dominica XXVIII. Aprilis lecta & per majorem partem non recepta &c. 1437.

XI. *)

LVDOVICI DE ROMA RESPONSIO DATA, IN CONGREGATIONE GENERALI LEGATIS PRINCIPVM ELECTORVM SACRI ROMANI IMPERII.

Venerabiles patres, ſpectabiles viri Reverendiſſimorum patrum ac illuſtriſſimorum principum Electorum ſacri Imperij oratores digniſſimi; oracio veſtra in medio noſtri ſacri cetus propoſita tres habet effectuales particulas, quarum prima continet ſeruandam a nobis eſſe manſuetudinem juxta catholicam doctrinam, laudabile verbum & ſapienti viro dignum hoc fuit nos ad manſuetudinem inſtruens, de qua ſex priuilegia in ſacra ſcriptura inueniuntur. *Primum* quia juxta illud ſapiencia, & diſciplina timor domini & complacet ei fides & manſuetudo; *ſecundum*, quia manſuetus a Deo in curam ſuſcipitur juxta illud Pſalmiſte: ſuſcipiens manſuetos dominus &c. *tercium* quia manſuetis dat Deus gratiam paruulorum dum dicitur, ipſe deridet irriſores & manſuetis dabit graciam *quartum* quia manſuetudo preparat ad

*) In hiſce actis ſynodalibus unum alterumve paſſum animadvertimus haud ſatis clarum, quem tamen defectum facile ſupplebit ac emendabit Lectoris amici induſtria & ſagacitas.

ad intelligenciam verbi Dei ſecundum eccleſiaſticum V. dum dicitur: Eſtote manſueti ad audiendum verbum Dei, ut intelligas & cum ſapiencia proferas, eciam apud pſalmiſtam dicitur; docebit mites vias ſuas, quod verbum transfert *Gracianus XVI. q. I.* vos autem. *Quintum* quod ex manſuetudine per oracionem a Deo impertitur *Judith IX.* dicitur, humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit temptacio &c. atque per eam miſericordiam conſequuntur, juxta ewangelicum verbum dicitur, beati miſericordes, beati mites, quoniam ipſi miſericordiam conſequuntur, que verba transfert *Gracianus XXIII. q. IIII. in c. hec autem vita. Sextum* quia per ipſam eterna habetur hereditas, juxta illud *Mathei V.* Beati mites quoniam ipſi hereditabunt terram, omnia hec archireferens formaliter colligit *de pe. diſtinct. II. in c. querendum*, ſed ut ante manſuetudinem ſeruauerimus, videamus, inſpiciendum eſt, quid manſuetudo ſignificet, & certe ſecundum archireferentem Papiam *in c. nos autem XVI. q. I.* manſuetus dicitur miſericordie aſſuetus vel miſericordiam ſequens. Numquam igitur hæc ſancta ſynodus non in Romanum pontificem miſericordiam fuerit inſecuta & ſynodalis proceſſus aduerſus eum, atque eciam ipſius pontificis geſta deducunt luculenter in medium, primum enim & ſi juxta decretum *XII. Seſſionis* fuit Romanus pontifex monitus, ut infra dies LX. a tercio tunc labentes pure ſimpliciter realiter & cum effectu huic ſacro concilio adhereret, alioquin ex tunc eundem ab omni admi-

adminiſtratione Papatus ipſo facto ſuſpenderet, propter quod & cum numquam pure, realiter & cum affectu adheſerit, eundem ejus ſynodi decreta non ſeruando, eumdem ejusdem ſuppoſita varie moleſtando, potuiſſet ipſe declarari tamquam realiter non adherens eo ex ipſo capite fuiſſe ſuſpenſus tamen neſciens ſynodus parcere pietatis & manſuetudinis obliviſci ab ipſa declaratione abſtinuit illum in papali adminiſtracione tolerans, *ſecundo* quia etſi ex eo, quod ipſe Dominus Eugenius egit ſcilicet iſto durante ſacro concilio, quod in ſua prochdolor verbali non reali adheſione ſcriptis profeſſus eſt, ſe non potuiſſe diſſoluere, ſynodum aliam, quam tamen conuenticulum eſſe judices, potuerit ex hoc ipſo papali dignitate priuari juxta ſententiam beatiſſimi *Cypriani* epiſcopi & Martyris, dum de Romano pontifice formaliter loquitur, ſic dicens: Quisquis Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, neque habeat eccleſiaſticam ordinacionem, qui eccleſie non tribuit unitatem, qui enim nec conjunctionem pacis, nec unitatem ſpiritus obſervat, & ſe ab eccleſie vinculo atque ſacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem habere poteſt, nec honorem, cum epiſcopatus ſui nec unitatem voluerit habere nec pacem, ut transfert hec verba formaliter *Gracianus VII. q. I. in capite ſanctus eſt Cornelius, & in c. Nouacianus.* Tamen manſuetudinem ſeruans non ſeueritatem hec ſancta ſynodus eumdem ob hoc nondum papali dignitate depoſuit, 3°. quia etſi in ſua nouiſſima peruerſa diſſolucione dixerit,

hanc

Digitized by Google

hanc ſacram ſynodum aduerſus eum jurisdictionem uſurpaſſe, dum de ſuis abuſibus, de ſuis deformitatibus facere judicium queunt, cum tamen ſynodi jurisdictio hoc in caſu notoria ſit, ut ſacri Conſtancienſis concilij decreta denunciant; Ex quibus *Joannes XXIII.* a papatu depoſitus extitit, per cujus depoſitionem ipſe poſt felicis recordacionis dominum *Martinum* apoſtolice ſedi præſidet, potuerit, quia declinans tribunal, cujus notoria ſuper ipſum eſt jurisdictio tamquam contumacem condempnari, & iterum ob hoc ipſum ſolum excommunicationis ſententiam innodari, ut eleganter denunciat *Jvo de elect. in c. cumana additione ſua, quam ibi refert I° an in no. & eſt caſus ſingularis in L. II. C. ubi quis decuriali vel teatrali.* Tamen hec ſancta ſynodus in ſolita pietate perſeuerans hujusmodi excommunicationis ſentenciam non emiſit, quam tamen ſi voluiſſet licite promulgaſſet, 4to etſi ex eo proteruiter contumax, quod a ſancta ſynodo citatus, ut ſupra criminibus, de quibus delatus eſt, reſponderet, nec dum non comparuit, ſed eandem temere diſſoluit, ejusdem ſuppoſita excommunicauit, quod non aliud eſt, quam ſynodum ipſam ſanctam anathematizare, potuiſſet eo ipſo a papali adminiſtracione ſuſpendi, cum & ſi particulari eccleſie preſidens in jus vocatus eo quod illam ſuis malis manibus & dilapidacione ſcandaliſans, qui judicis preſenciam per continuum adire contempnit, in primo litis ingreſſu ſuſpenſionem ſuam pati poteſt, ut eſt caſus *de dolo & contu. in c. veritatis*, multo magis idem

dici

Digitized by Google

dici poſſe arbitrandum ſit in eo, qui contumax, & in judicij limine cum citatur, qui univerſalem eccleſiam notorie ſcandaliſat. Hec tamen ſancta ſynodus ſolita ſibi benignitate compaciens, expectare eligens, ſi aliquali ſibi temporis mora conceſſa reuerti voluerit ad cor, jurisdictionem eccleſie ſuper ſe eſſe cognoſcens eidem comparendo obtemperans, trium menſium terminum ſibi prefixit, intra quos reuocande ſue pretenſe diſſolucionis obtineat facultatem. Quod ſi ſecus egerit, eum ab adminiſtratione papali ſuſpendit, non novum aliquid preſenti juſſione precipiens, ſed id quod olim in decreto hujus ſancte ſynodi per ipſam Romano pontifice dempto ſtatutum eſt, ſeruans, in quo forma traditur procedendi aduerſus Romanum Pontificem temere generale concilium diſſoluentem. Numquam igitur hec ſancta ſynodus tanta clemencia aduerſus Dominum *Eugenium* uſa, tum penas quas poterat acerrimas infringere obmittens, tum quia non oportunitatem temporis, quod ille infringere captans, ſed poſt temporis longa interualla mitiorem ex ſupra Relatis penam eligens, non quidem ut nouiter illam ſtatuens, ſed ut ex antiquo decreto eandem ſumens, dum repetitis vicibus ammonens ipſum, ut ſe ac gregem ſibi commiſſum in viam ſalutis dirigeret. Hijs medijs omnibus apud ipſum prodeſſe non valens ulterius debeat manſuetudinem obſeruare, docemur 1um ex beatiſſimo *Celeſtino* papa *in c. docendum LXII. di.* dicente ſic ſcilicet, quod ejus ſola ammonicionis auctoritate non corri-

Digitized by Google

corrigimus, neceſſe eſt, ut per ſeueritatem congruam vindicemus, 2dum ex textu beatiſſimi *Proſperi*, quem transfert *Gracianus in c. ecce autem XXIIII. q. III.* ſic dicentis, crimina quorumlibet, & ſe ipſis criminoſis confiteri nolentibus undecumque claruerint, ſi non fuerint paciencie leui medicamento ſanata, igne quodam pie increpacionis urenda ſunt & curanda, quod ſi nec equanimiter ſuſtinentis ac pie increpantis medela profecerit, in eis qui diu portati ac ſalubriter objurgati corrigi noluerunt tanquam putride corporis partes ferro debent abſcindi, ne ſicut caro morbo mortua ſi abſciſſa non fuerit ſalutem relique carnis putredinis ſue contagione corrumpit, Ita iſti qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi deprauatis moribus in ſanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſue perdicionis interficiant, 3°. nos docet beatiſſimus apoſtolus *paulus*, dicens, paratus ſum ulciſci omnem inobedienciam cum completa fuerit per viam inobediencia: quaſi dicat, primum debet Superior ſalubri ammonicione ſubditi male agentis obedientiam exprobrare, quod ſi pareat a peccato deſiſtens, bonum operans Deo gracias, quia obedire completum eſt, quod ſi ſecus non proficiente manſueta ammonicione, paratus eſſe debet prelatus admoniti ſe non corrigentis ulciſci inobedientiam. Ita verba iſta beatiſſimi *Pauli* exponit glorioſus *Auguſtinus XXIII. q. VI. in c. Sciſmatici ad finem.* Ita eciam declarat glorioſus *Gregorius in c. de excommunicatione XXIIII. q. III.* Ita eciam interpretatur *Jus in c. adhec uſus*

ſc. de

ſc. de poſtu prela. 4to nos docet glorioſus *Jeronimus*, quem refert *Gracianus in c. non eſt inquir. XXIII. q. V.* ſic dicit: non eſt iniquitatis ſed caritatis ac pia racione deuictus, qui propterea eſt criminis perſecutor, ut ſit hominis liberator, que enim eſſet iſta miſericordia, que iſta pietas, uni parcere, omnes vero in diſcrimen adducere. Dicit idem *Jeronimus* referente *Graciano XLV. di c. ſcilicet illud.* 5to Docet nos beatiſſimus *Auguſtinus in c. non putes. & in c. qui Vicijs XXIII. q. V.* ſic dicens: non putes te amare Seruum tuum, quando eum non cedis, aut tunc amare filium tuum, quando ei non das diſciplinam, aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis, non eſt iſta caritas, ſed languor, ferueat caritas ad emendandum aut corrigendum, ſi ſunt boni mores, diligant, ſi ſunt mali, emendent, qui enim vicijs nutriendis parcit & fauet, ne contriſtet peccancium voluntatem tam non eſt miſericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timeat, ne vulneratum videat vel extinctum. Hec ille, alibi dicit: melius fore cum ſeueritate diligere, quam cum lenitate decipere *XXIII. q. IIII. c. nimium.* 6to Docet nos glorioſus *Auguſtinus v. q. v. inc. non omnis* ſic dicens: quis nobis poteſt amplius miſericors & manſuetus eſſe quam Deus, & tamen nos non ſolum docere ſuaviter verum eciam ſalubriter terrere non ceſſat, fomentis leuibus, quibus omnes conſolatur ſepe eciam mordaciſſimum medicamentum tribulacionis adjungit, exercet fame patriarchas eciam pios

&

& religioſos, populum contrariantem penis gravioribus agitat, non aufert ab apoſtolo ſtimulum carnis tercio rogatus, ut virtutem in infirmitate perficiat, & infra ſic ſubdit: noveris aliquando furem auertendis pecoribus pabulum ſpargere, & paſtorem aliquando flagello ad gregem pecora errancia reuocare. 7mo. Nos docet glorioſus *Jeronimus in c. legi XXIII. q. VIII. ſic dicit:* Non eſt crudelitas crimina pro Deo punire, ſed pietas, verum & in lege diuina dicitur, ſi frater tuus & amicus tuus & uxor, que in ſinu tuo dormit depravare voluerit veritatem, ſit manus tua ſuper eos & effundens ipſorum &c. 8vo nos docet dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, qui & diſcipulis ſuis dixit, diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, ut eciam transfert *in c. qui ſcit ſe II. q. VI.* Tamen ſollicite conſiderandum eſt, quod per totum textum ſancti Ewangelij nunquam repertus eſt in tanta ſeveritate tam diſtricta cenſura juſticie peccatorum genus aliquando corripuiſſe, ut Symoniacos, quos non ſolum eloquio increpans, verum eciam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminauit de templo, aperte demonſtrans, illos non ut ceteros peccatores corripiendos ſed a templo Dei, id eſt ſancta eccleſia longius projiciendos, verba ſunt hec formalia *Alexandri* Pape, translata per *Gracianum I. q. III. in e. ex multis.* Poſtremo nos docet beatiſſimus *Gregorius* in moralibus *in e. diſciplina LXV. di.* qui docens qualiter decet ſuperiorem eum ſeueritate juſticie miſcere manſuetudinem; Sic dicit: ſit itaque manſuetudo, ſed non

ſe-

ſeueritatem emolliens, ſit rigor, ſed modice exaſperans, ſit zelus, ſed non immoderate ſeviens, ſit pietas, ſed non, plus quam expedit, parcens.

Secunda quidem particula fuit, ut offenſarum quidem ac injuriarum per Romanum pontificem huic ſancte ſynodo illatarum obliuionem in nobis induceremus, quod non aliud eſt, quam ex hijs ipſum non corripere, ſed indulgere, probatum quidem & elegantiſſimum verbum hoc eſt; ſed pro ejus declaracione ſciendum eſt, duplicem offenſam intelligi poſſe, primum prout infertur perſone tanquam priuate conſiderate, illius quidem in nobis tam debet obliuio offenſori indulgeri, perſecucio vindicte non fieri, 2do quidem prout infertur eccleſie & communiter Deo & Spiritui ſancto, & eciam in hoc quidem venie non eſt locus ſed acerrime correpcioni. Hoc quidem primum nos docet glorioſus Ambroſius qui relatus per *Gracianum XXIII. q. IIII. in c. quod Chriſtus* dicit, apoſtolos non zelo, ſed amaritudinis odio ob injuriam ſue expulſionis vindicandam Samaritanos igne conſumere volentes, dominus volens injuriam proprie perſone per pacienciam & cum gaudio tolerare, injuriam vero Dei non inultam relinquens, increpat dicens: neſcitis, cujus ſpiritus eſtis, Hinc eciam *petrus*, qui cum aliis audiuerat; beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſus vos, gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in celis, contumelias ſibi illatas cum gaudio ſuſcipiebat, peccata vero, que in dominum committeban-

tebantur, acerrime puniebat, unde *Ananiam* & *Sephiram* Spiritui ſancto mentientes mortis ſentencia percuſſit. Sic eciam *paulus* magum illum, qui crediturọs ſue predicacioni corinthios retrahebat cecitate percuſſit, ut ceteri perterriti predicacionem ejus non impedirent. Et corintheum illum fornicatorem, qui in dominum peccauerat ſathane ad uexandum tradidit, hec ille 2do nos docet glorioſus *Gregorius*, qui relatus *XXIII. q. IIII. in c. inter querelas* 2. *in c. ſi is*, qui ſic dicit, nil ſe de celeſtibus cogitarẹ, ſed terrenam ſe tantum conuerſationem habere ſignificat, qui pro injurie proprie ulcione in offenſorem ſeuit, ceterum ſi is, qui prelatus eſt, Dominico debitori culpam impune dimittit, non mediocriter profecto deum offendit, quia debita celeſtis regis & domini propria preſumpcione reſoluit, ea namque, que in nobis committuntur, facile dimittere poſſumus, ea vero, que in Dominum ſuum commiſſa, cum magna diſcrecione non tamen ſine penitencia poſſumus relaxare. 3° Docet nos idem glorioſus doctor & pontifex, qui relatus in *c. ſalamitane LXIII. di. ſic dicit;* Ego que in me commiſſa ſunt ex corde relaxo, alia vero, que in Dominum commiſſa ſunt, propter Deum irrequeſita preterire non poſſum, 4to nos docet glorioſus *Auguſtinus in c. duo ſunt XLV. di.* dicens: Eleemoſinam cordis eſſe, cum offenſa propria illi dimittitur, a quo leſus es, cum tamen illi non ſit dimittendum, a quo Deus offenditur, 5to nos docet canon concilij *cartaginenſis*, qui relatus *in c. ſedicionarios XLVI di. c.* & qui

emen-

emendat, dicit: Injuriarum propriarum ultores in hoc puniendos, 6to nos docet elegans Epiſtola cleri Romani ſcripta *Cypriano* pape, que relata *in c. abſit l. di.* ſic dicit: abeſſe debet ab eccleſia tunc neceſſarias ſeueritates dimittere, cum ſancte fidei majeſtas euertitur, cum non unius, ſed plurimorum adeſt preparata ruina, ſi quis princeps delicti eſt non corrumpitur, injuria quippe atque offenſa Romani pontificis non in nos, ſed in Deum vertitur; Quod primum patet, quia ſacerdotes hic ſub nomine concilij legitime congregatos blasphemijs contumelijsque proſequitur, dum ad principes literatorie dicit, eos in ipſum calumpnioſe varia crimina conſumpſiſſe, nec ex illis unum veritate fulciri ſuccedit, igitur textus Alexandri pape relatus *III. q. in c. nulli dubium* ad finem dicens: Qui dominum crucifigunt, qui eum in ſuis ſacerdotibus perſequuntur, papa ſcandalizat quoque eccleſiam & igitur Deum, dum in ſua pretenſa diſſolucione dicit, ſacrum concilium adverſus ipſum jurisdictionem uſurpaſſe, dum citatus, ut ſe de crimine purget, in ſuos judices anathematis ſententiam profert, dum unitatem eccleſiaſticam ſcindere molitur, quando concilio hic legitime congregato, quod ipſe alias profeſſus eſt, ſe non potuiſſe diſſoluere, illius temere attemptata diſſolucione aliud concilium pronunciat in civitate ſibi ſubjecta, cujus ipſe directe dominus eſt, ubi nemo eum ob ſui potentatus metum corripere poteſt, Eccleſiam ipſam dehonorat, cum grecos, qui primo cum illa conuenerant, & ad quam *Eugenius*

ipſe reductionem ipſorum tractandam remiſerat, pro quorum transfretacione hec ſancta ſynodus tam innumeros labores perpeſſa eſt, tam magnum theſaurum expoſuit, nobis abjectis penitus & contemptis adducere ad ſe querit, quid plura? decreta noſtra contempnit, & ſic Spiritum ſanctum, cujus inſpiracione edita ſunt, violat, reſeruacionibus jam irritatis innititur, electiones preſentaciones, annatas jam dampnatas ut prius recipit cardinalem hac durante ſynodo & decreta contra ipſum noſtre citacioni atque in ejus noticiam deuenta contra Synodi decreta creat, ſuccedit igitur textus *Anacleti* pape relatus *in c. ille XCIII. di.* dicens : Sic ille procul dubio ſcandaliſatur in Deum, qui recta non docet, & qui ejus eccleſiam ſcandaliſat, dicit apoſtolis congregatis dominus, quorum cetum hec ſancta Synodus repreſentat, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, habentur hec verba transſumptive *II. q. VII. c. accuſacio. VIII. q.* 1. *c. qui vos.* Quoniam a nobis miſericordiam conſequentur, aſpiciat ſibi manſuetudinem obſeruari, cum nunquam manſuetudinem preceſſit poſtulacio vocis proprie, vel amicorum, ipſo apud illos inſtanciam faciente, ymmo nobis ubique calumpniatur, nos apud principes omnes varijs blaſphemijs literatorijs afficit. Veniat igitur in mentem textus *de. pe. di* 1. § *denique & §. fleat.* Sic dominus Chriſtus alios legitur ſuscitaſſe a mortuis, alios lepra mundaſſe, alios illuminaſſe, aliorum membra paraliſi diſſoluta conſolidaſſe, omnem tamen

ſuaui-

ſuauitatem peticio vocis proprie vel amicorum legitur preceſſiſſe. Amat igitur Deus, ut pro uno multi rogent. Quomodo obliuionis hujusmodi offenſa digna eſt, cum nulla in offendente pareant penitencie ſigna, ymmo contrarie major creſcit duricies, major in delinquendo contumacia, major in ſuo errore perſeueracio ſuccedit igitur textus ille *Gelaſij* pape, atque *Leonis XXIIII. q. III. in c. legatur*, *& in c. dampnacione.* Sic dicens, legatur, ex quo eſt religio Chriſtiana, vel detur in eccleſia exemplum a quibuslibet pontificibus aut ab ipſis apoſtolis, aut ab ipſo denique ſaluatore, veniam, niſi ſe corrigentibus fuiſſe conceſſam, auditum autem ſub iſto celo non legitur hoc ſcilicet, data venia nobis, ut tamen nos in errore priori perſeueremus, cum prime diſſolucionis hujus ſanĉte ſynodi penitentiam egerit, & ab eadem veniam conſecutus extiterit, iterum diſſoluere attemptauit, ut injuriam vindicaret ſimiliter illatam dicit, nunquam ergo rurſus veniam mereatur. Audi referente *Graciano de pe. di IIII.* §. *qui domini* quid dicat *Auguſtinus* in *omelia prima*, ſic ſcilicet, qui divini beneficij oblitus ſuas vult injurias vindicare, non ſolum de futuris peccatis veniam non merebitur, ſed eciam preterita, que ſibi dimiſſa credebat ad vindiĉtam replicabuntur. Sciſma deteſtabile facit, dum ſe a corpore uniuerſalis eccleſie ſeparat, ſibi ſequales querit, triremes, ad Grecos dirigit ſeorſim ab univerſali eccleſia & ſic occaſionem illis preſtat recedendi a deſiderio unionis, cum *Eugenij* opera nos diuerſos vident. Au-

 di

Digitized by Google

di igitur, que adverſus ſciſmaticos referente *Graciano XXIII. q. V. in c. non vos* dicat *Pelagius* papa referens canonem unum *calcedonenſis ſynodi*, ſic ſcilicet, malum autem ſciſma eſſe, & per exteras eciam poteſtates hujusmodi homines opprimi debere & canonice ſcripture auctoritas & primarum regularum nos veritas docet, quisquis ergo ab apoſtolicis diverſus eſt ſedibus in ſcismate eum eſſe non dubium eſt, & contra univerſalem eccleſiam altare conatur erigere, ſed que de talibus *calcedonenſis ſynodi* canon ſtatuat — — — veſtra conſideret, ubi poſt alia ſic dicit: quia communione ſe ipſum ſuſpendit, & collectam facit, & altare conſtituit, nec voluit vocanti ſuper intendenti ſuo conſentire, noluit idem acquieſcere & obedire primo & 2do. vocatus hunc omnino dampnari, nec unquam oracionem & ſupplicacionem mereri, nec recipere eum poſſe rurſus honorem, ſi enim permanſerit turbas faciens & ſediciones eccleſie per extraneam poteſtatem tanquam ſediciosſum comprimi, hec ille. *Ad idem c. ti. c. de liguribus.* Numquam ſe hucusque humiliauit, ut delicta recognoſceret ſua, ſed prochdolor contumacie redditur pertinacior numquam igitur venia dignus ſit a ſerenitate: Audi quid *Gregorius* dicat referente *Graciano II. q. V. c. quanto ſic* ſcilicet, ſicut humiliatis & penitentibus locum venie erogare non nos debemus, ſic in pertinacia perſiſtentibus conuenit non eſſe ſeueros. Audi quid eciam dicat *Auguſtinus XXIII. q. I. c. noli.* ſic ſcilicet: Bellanti & reſiſtenti violencia redditur, victo vero miſericordia

jam

Digitized by Google

jam debetur, quoniam talis eſt, in quo pacis perturbacio non timetur. Delicta, ſibi per hanc ſynodum alias opponuntur, imponuntur quamuis notoria non fatetur, ſed palam diffitetur; an igitur negacio hujusmodi obliuione ſit digna, an miſericordia? Audi quid *Auguſtinus* dicat, referente *Graciano de pe. di. I. §. quem penitus.* Sic ſcilicet: Deus enim qui miſericors & juſtus eſt, ſicut conſeruat miſericordiam in juſticia, ita & juſticiam in miſericordia, opus enim miſericordie eſt peccanti peccata dimittere, ſed opus eſt quod juſtus miſereatur juſte dignus eſt miſericordia qui ſpirituali labore petit graciam, laborat enim mens paciendo erubeſcere, & dum delicta fatetur, & quoniam verecundia magna eſt pœna, quia erubeſcit pro Chriſto, ſit dignus miſericordia, unde ipſe, ut quanto pluribus confitebitur in ſpe venie turpitudinem criminis, tanto facilius veniam conſequitur, Hec ille & hec de particula 2[da].

Tercio dixiſtis, ſuperſedendum eſſe a proceſſibus inchoatis, querenda fore pacis remedia propter periculum ſcandaloſi ſciſmatis euitandum. Prouidemus proceſſus duos pendere contra Romanum pontificem. Primus dum citatur, ut compareat, de criminibus notorie eccleſiam ſcandalizantibus ſe purgaturus. 2[dus]. ut intra terminum in decreto prefixum diſſolucionem temere attemptatam actu ſtudeat reuocare, alias autem ipſo facto ſuſpenſum ſe eſſe cognoſcat, primum ſuſpendit nec expediens militanti eccleſie videtur, prima quia ex multimoda Romani pontificis transgreſſione Deus

offenditur, ſi igitur illius ultio dilatatur, in iram adverſus nos omnipotens provocatur, quod eccleſie non expedit hoc verum eſſe, probat *Auguſtini* teſtimonium, qui relatus per *Gracianum XXIII. q. IIII. c. ſi ea ſic* dicit: Si ea de quibus Deus vehementer offenditur, inſequi vel ulciſci differimus adiraſcendum, utique diuinitatis pacienciam provocamus. Expectavit ſancta ſynodus diu, atque diu ante decretam citacionem, ut Romanus pontifex reuerteretur, ad cor dirigeret ſe & alios in viam ſalutis, quod cum nunquam factum fuerit, Dei omnipotentis veſtigia ſequitur, cujus actio noſtra inſtructio eſt, elegantibus verbis refertur per *Gracianum* traſſumptiue ex *Siluestro* & *Jeronimo in c. diac. ad finem XCIII. 2. c. XXIII. q. IIII.* ſic dicente: cottidie nonnullos punit Deus, ut diuina prouidencia eciam circa humana inuigilare noſcatur, non nullos eciam per longa tempora ad penitenciam expectat, ut pacienciam ſue benignitatis nobis oſtendat, moderacio enim Dei & pietas ſolum reditum noſtrum requirit, ac nos cupit longa ſua bonitate ſaluari, ſi non conuincimur, ſi duri colli ſumus, ſi in peccatis illicite perduramus, aſſidue peccancium non miſeretur Deus; hec ille. Et alibi *Symachus* papa ſic dicit: Expedit, ut qui moribus propriis ac nullius conſciencie caſtigacione corriguntur, ſaltem eccleſiaſtice & canonice vindicte perfodiantur aculeis, quos enim Dei timor a malo non revocat, ſaltem coherceat ſeueritas diſcipline *XVI. q. I. c. ſimiliter XXIII. q. III. c. ſi quos de ellec. c. cum in cunctis.*

de

de VI. 7. bo. Expedit quia ex ſuſpenſione hujusmodi ipſi aperitur via ad longiorem perſeueracionem in morum ſuorum deformitate in hujus ſanĉte ſynodi decretorum illicita transgreſſione, in ejus adverſus eccleſiam ſcandalizacionem, & igitur ad augendum ſuorum deliĉtorum grauitatem, cum tanto graviora ſint peccata, quanto diucius retinent infelicem animam alligatam juxta ſentenciam *Gregorij* de conſuetudine, cum tanta de ſynodo, cum in eccleſie, de eo, quod duxit in uia cum hereticis de conſanquinitate & affinitate non debet, abſit igitur, ut eccleſia catholica, que nemini debet laqueum peccatorum injicere dicit *textus XXVII. q. I. in c. de judeis de reſti.* Spol, viam aperiat aggrauacionis deliĉti, quam proficiſcitur ex data occaſione continuacionis ejus 3°. ſi ex preteritis futura penſemus, pro ut nos preſumtio juris docet nullum firmum finis optati habet ſuſpenſionem que queritur allaturam eſſe cenſendum eſt, quidnam petita ad poſtulacionem pie memorie ſereniſſimi Domini noſtri Imperatoris ac dominorum veſtrorum conceſſa, attulerint omnes facile intellexiſtis,, ſuſpenſionis vero proceſſum prorogari non debere inferiora ſuadent, quia in illam non introire, in facultate Romani pontificis eſt, ut ſi diſſolucionem revocet, quam temere attemptauit, quod ſi non reuocet, ſuo facto in decretum ſynodali beneficio, qui deliquit in ſynodum vos ipſi intelligitis, ſcriptum eſt, fruſtra legis auxilium inuocare, ſiquis delinquit in legem, ſi diſſolucionem non revocat, propter quod in ſuſpenſionem

 incur-

Digitized by Google

incurrit. Primum univerſalem eccleſiam ſcandalizat, quia illam ſcindit & diuidit cum ſuo facto univerſaliter, in ſolitis varijs reputari videatur in locis, futuris pontificibus viam aperit, ut in jus pro ipſorum reformanda deformitate vocati, vocantem ſynodum exemplo ducti propria voluntate diſſoluent, illam ad locum, ubi non poſſunt corripi, transferentes, & ſic laſſatis frenis propter corripientes defectum libere poterunt debachari in perniciem univerſalis eccleſie atque ſcandalum„ An igitur iſte dignus ſit gratia dilacionis proceſſus. Audi quid dicat *Eugenius III*us nomine & dignitate predeceſſor ſuus in *c. ſacerdotibus in c. cle.* ſic ſcilicet: Indignum eſt eis ab eccleſia ſubuenire, per quos conſtat in eccleſia ſcandalum generari, ſi non reuocat, manifeſtum committit ſacrilegium, quia eccleſiam offendit hic repreſentatam, & legitime congregatam; An igitur dignum ſit, ut ſupplicatio porrecta pro eo exaudiatur. Audi quid elegantiſſime loquatur *Gelaſius* papa relatus per *Gracianum in c. frat. XVII. q. III.* ſic dicens: nec eum jure ad ſupplicandum admitti, qui non dubitauit, committere ſacrilegium, nullus eum inter limina tante veneracioni deputata horum utrumque ſibi licere exiſtimet pro ſuo Voluntatis arbitrio ſcilicet ut & humilitatem aut manſuetudinem ſibi vendicet, delinquendique furorem, hec ille. Porro quis ſani capitis ſynodo expediens fore arbitretur, ut illam a proceſſibus contra Romanum pontificem ſuperſederet ſpiritualem ejus gladium pro tempore in vaginam reponeret,

dum

dum Romanus pontifex vulneri ſynodali gladium diſſolucionis adhuc infixum tenet, quem etſi illicite vibratum ſpernit, tamen euellere, ſi taceret amplius aut diſſimulare ſuperſederet, ne eccleſia catholica in corrigendo Romani pontificis deformitates, cui eccleſia prochdolor ad majora deformia conciliare aſpirat affectus, falſa hoc in tempore illa ſalvatoris noſtri ſentencia eſſet de eccleſia dicentis: aduerſus eam inferi portas non preualituras, id eſt: illum ſubici non poſſe peccato mortali, cum notiſſima ſit in jure ſentencia, in mortale peccatum ſuper intendentem incurrere, ſi inferioris deformitatis correctione cariturus ſit, atque negligens, textus eſt *XL. di. in c. ſi papa* dicens taciturn. in prelato, id eſt, quod magis ſibi officit. & alibi textus *Nicolai* pape poſitus *XLIII. di. c. diſpenſacio* in perſona eccleſie ſic loquens ſic dicit: diſpenſacio nobis eſt celeſtis perſonis injuncta, ve ſi non ſparſerimus, ve ſi tacuerimus, non enim leue diſcrimen, igitur graue ſuccumbit pontificibus ſiluiſſe, quod loqui conuenit, hec ille. Eciam vide quid dicat *textus de accuſa. c. qualiter & quanto* §. *ad corrigendos*, ſic ſcilicet: ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tanto diligencius debet prelatus aſſurgere, quanto dampnabilius illorum offenſas deſerit incorrectas. Reſpice 4to quid dicat *Hilarius* Romanus Epiſcopus *XXXV. q. IX. in c. quod quis.* ſic ſcilicet: quod quis commiſit illicite aut a ſuis commiſſum inuenerit, ſi proprium periculum vult euitare dampnabit. Et hec concluſio clarior eſt *XXV. di* §. *criminis.* Quia ſi mor-

mortale peccatum eſt in tacendo aduerſus correctionem inferioris, quanto magis cum tacetur aduerſus eum, qui in eccleſia nomine vel ordine primatus tenet, cum illo peruerſa agente nemo in eccleſia amplius nocere poſſit. Audi quid dicat *Auguſtinus LXXXIII. di in c. nemo.* ſic ſcilicet: Nemo quippe in Eccleſia Dei amplius nocet, quam qui peruerſe agens nomen & ordinem ſacerdotis & ſanctitatis tamen delinquere aut hunc redarguere nullus preſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerencia ordinis peccator honoratur. hec ille. ſi Romani pontificis culpas vindicare diſſimulamus, ille referuntur ad nos, illius ſanquis in perdicionem vadens, de noſtris manibus requiretur apud omnipotentem. Ad hujus probacionem audi porro, quid dicat *Leo* Romanus Epiſcopus *LXXXVI. di inc. inferioris.* ſic ſcilicet: Inferioris ordinum culpe ad nullos magis referende ſunt, quam ad deſides negligenteſque rectores, qui ulcera ſepe nutriunt peſtilencium, dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam, Aduerte 2do quid dicat beatiſſimus *Gregorius XLIII. di. in c. Epheſius.* ſic ſcilicet: Epheſius *Paulus* ſcribit, dicens; munde ſunt manus mee a ſanquine omnium veſtrum, non enim ſubterfugi annunciare omne conſilium Dei Vobis. mundus enim a ſanquine illorum non eſſet, ſi eis conſilium Dei non annunciaſſet, qui cum increpare delinquentes nolunt, eos procul dubio tacendo paſtor occidit, Ad *idem de offic. ord. c. irrefragabile cum ad noſtram in fi.* Poſtremo audire terribile verbum, quod

per os

Digitized by Google

per os prophete loquitur, dicens ut ſcriptum reperitur *Reg. III° XX° c. in fi.* ſic ſcilicet: quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua erit anima tua, pro anima ejus, & populus tuus, pro populo ejus. Dominus *Eugenius* generale Concilium *ferrarie* conuocauit, & nititur incorrigibiliter congregare, cum autem generalis ſynodus hic perſeuerat, unam chriſti eccleſiam in ſolidum repreſentans, in hereſim labitur, qui dicit alibi eam eccleſiam in ſolidum repreſentari poſſe, ipſa hic manente repreſentata, affirmat impoſſibile, cum enim eccleſia una ſit, & illa hic intus repreſentatiue ſit, extra hunc locum eſſe non poteſt. Audi quid dicat *Ciprianus* ad propoſitum *XXIIII. q. I. in c. didicimus.* ſic ſcilicet: Eccleſia una eſt, que una & intus eſſe, & foris eſſe non poteſt, hec ille ſi igitur apud *Baſileam* eſt, apud *ferrariam* eſſe non poterit, quippe eciam in hereſim labitur, quia offendit articulum illum: & unam ſanctam eccleſiam Catholicam, quemadmodum concluditur racione predicta per *VII. q. 1. c. non autem.* hereticum eſſe, qui aſſerit, eodem in tempore duos Petri ſucceſſores, cum non aliter hoc poſſet contingere, quam quod fateri neceſſe ſit, non unam ſed duas repreſentari poſſe univerſales eccleſias. ſi igitur catholica eccleſia hic repreſentata continua diſſimulacione uti velit, liberat *Eugenium* hujus ſceleris principem, quem facile poſſit ſequi hominum multitudo, non ne Synodus ipſa multitudine illam perdere dicetur. Audi, quid dicat *Ambroſius XXIII. q. IIII. c. eſt injuſta.* ſic ſcilicet: Nonne

Digitized by Google

ne innocentes tradit exicio, qui liceat multorum exicia cogitare. Si ſancta ſynodus errori premiſſo non reſiſtat illum exſtirpare negligat, nonne tacite premiſſam hereſim approbabit, ſic certe, quod tamen abſit, ſcriptum reperimus, quod error, cui non reſiſtitur, approbatur, negligere quippe cum poſſumus perturbare peruerſos non eſt aliud, quam fauere, Predicant iſti illuſtriſſimi principes nobis pacem nullum quidem jocundum verbum ſynodo applicari poteſt, in nullo magis delectatur auditus ſuus, cum enim pacem aliis predicamus, honeſtum eſt, ut illa cum noſtri animi voluntate concordet, pacem, quam alijs predicamus, ſeruare debemus, inuicem & in omnes gratiſſimum extitit ſancte Synodo intelligere principes hos illuſtriſſimos, quod ad eos pertinebat implere, cum teſte *Auguſtino XXIII. q. IIII. in c. quin vult Deus*, nil magis ad principes ſcilicet Chriſtianos pertinet, quam ut eorum tempore pacatam eſſe velint matrem ſuam eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt. Ita ſeruabimus, prout ab *Auguſtino* docemur *XXIII. q. I. c.* noli ſcilicet pacem inter nos habere, velle erit continue voluntatis, quoniam ſi pax humana tam dulcis eſt pro temporali ſalute mortalium, plurimum dulcior erit pro eterna ſalute animarum, pacem illam ſemper amplectemur, per quam auctoritas uniuerſalis eccleſie ſeruatur illeſa, Romano pontifici ſuperintendenti poteſtas ſua conſeruatur intacta, pacem aliter inire, non pax foret, ſed diſſidij majoris accenſio. Pontifex enim quia peccabilis pro ſua libera voluntate ha-

bens

bens laſſatas habenas in perniciem uniuerſalis ecclesie ſua abuteretur poteſtate ſolus univerſa ſibi vendicans, ſolus dicere valens, non enim neceſſe eſt, alteri racionem reddere, cur ita faciam, inde denuo inter ipſum ac clerum contra ſe gerent odia, inde principiant lites, inde directa rurſus cauſa, inde criminis origo, cur venerit ad ineunde pacis tractatum juſti mediatoris eſt ab altero diſceptancium, ut que alteri parti moleſtia ſunt, tollat, non antea poſtulare quam egerit, explotum eſt atque indubitatum partem alteram pariter expedituram, quoniam ſancta ſynodus in ſuſpenſionis decreto ſuperſedebit, quod non eſt aliud, quam pene metu errantes, & ſe ſeparare volentes ad unitatem eccleſie reuocare. Si Romanus pontifex per prius ſuam temere attemptatam diſſolucionem non reuocet, que non aliud ſonat, quam unitatem eccleſie hic repreſentate diuidere, ſciſma ſimul & hereſim cauſare, & boni mediatoris eſt, prius utriusque diſcrepantis jura rimari, demum eo pro qua juſticia cedet minus offenſa pacem indicere, poſtremo ita agere, ut vindicta pacis execucionem abſtineat, quod ſi prius in eſſe execucionem pacis ponat, quam illam utrimque indixerit, hoc non recte componere eſt, ſed ab execucione compoſicionis incipere. quid enim ſi prius eccleſia prorogacionem ſuſpenſionis vobis polliceretur, poſtmodum vero Romanus pontifex ejus attemptatam diſſolucionem reuocare pertinaciter denegaret, cum ſue in hoc voluntatis, ut dicitis, vos non certitudinem, ſed ſolum ſpem, que fallibilis

eſt,

eſt, habeatis, nonne & vos contra veſtrum deſiderium eluſi ac ſpe fruſtrati catholica vero eccleſia in nouiſſimo ſcandalo primo deteriore maneret, vos ipſi judicate.

Supra hac ſuſpenſione Romani pontificis non depoſicio cauſatur, & ſi neceſſe fuerit, ad illam venire longa per prius habentur tempora, tractent igitur interim iſti illuſtriſſimi principes pacis media cum Romano pontifice, inducant illum ad pacem, qui prochdolor obſtinatus videtur ad lites. Hec ſancta ſynodus pollicetur, nunquam ſe pacem recuſaturam, que Deo acceptabilis ſit, auctoritati vero eccleſie non pernicioſa, nec erit ſibi cure, ſi ex eadem aduerſus particularia ſynodi ſuppoſita inſurgat obprobrium, nec dignum poſtulacione videtur, nec exaudicione juſtum, ut eccleſia, que aduerſus Romanum pontificem inter reum conuictum partem judicis cepit, ad illum in contumacia exiſtentem, notorie eccleſie jurisdictionem declinantem, deſtinet, per quam ſe reo & contumaci ſubdito ſuo inclinari videatur, pacem querendo, tacite ſe non recte egiſſe fatendo. ubinam umquam lectum extitit aut auditum, in pertinacia perſiſtentem talem pro ſua proternitate gloriam promereri, ut judex ad ipſum precaturus accedat, dicens: pacem cupio, a limine inſtituti juſte judicij recedere intendo „ de noua autem loci electione, quam propoſuiſtis in medium pro futuro ycomenico concilio celebrando in preſenciarum nichil reſpondet ſancta ſynodus, ſunt enim in limine ingreſſus ad nos legati noſtri ex Grecia reuertentes,

unde

Digitized by Google

unde non rectum videtur, ut illis inauditis ſuper re hujusmodi tractatus inicium ſumat, progreſſumque aliquem habeat, cum & poſſibile ſit eos talia relaturos ex quibus forte hujusmodi nec amplius diſcuti expediriue conueniat. Hijs auditis ſynodus ita accurata eſt, ut & illuſtriſſimis principibus veſtris juſta petentibus grata fuiſſe cenſenda ſit, & honorem & auctoritatem eccleſie non contempſiſſe videatur que ambo non poſſunt ſine leui diſcrimine preteriri hec que dicimus plena humilitatis ſunt, & ejus effectus, quem principibus debet eccleſia ſi quis ſcandalum ex hac re futurum auſpicetur, non ut judex eſt, ſed ut propheta, nos futura Dei judicio reſeruamus, preſumentes, quia principum cor in manu Dei eſt, ea faciant, que eorum officio nouerint conuenire. Quorum primum hoc eſt, ut auctoritatem, quam audiunt a ſacerdotibus approbatam, fiducialiter defendant aduerſus impios & proteruos, ut ex beato *criſoſtimo* transfert *Gracianus XI. q. III. in c. nolite*. 2dum ut leges juſta precipientes, contraria prohibentes competenti vigore faciant obſeruari, ut ex *Auguſtino* transfert *Gracianus XXIII. q. IIII. in c. ſi eccleſia ad fi.*, 3um ut oppreſſam eccleſiam de manu calumpniancium liberent, ut ex *Jeronimo idem* transfert *XXIII. q. V. in c. regem.*, 4tum ut exiſtiment, non umquam ſe inter eccleſiam poteſtatis adepte culmina tenere, ut quod non valent ſacerdotes efficere per doctrine ſermonem, ipſi hoc imperent per diſcipline terrorem, ut *idem* refert *XXIII. q. V. c. principes* 5tum ut exiſti-

ment, nullum Deo magis acceptum ſacrificium offerri poſſe, quam ſi qui in eccleſie univerſalis perniciem debachantur, competenti valeant vigore compeſci, ut ex *pelagio idem* transfert, *XXIII. q. V. in c.* quali indubie credimus magis adheſuros principes eccleſie juſte Romanum pontificem monenti quam domino *Eugenio* injuſte illam contempnenti, magis eccleſie juſte reformanti „ poſtremo memores ſumus elegantis ſententie beati *Hilarij* atque *Johannis* oris aurei, quos transfert *Archi9. XXIII. q. I. in cap. arrepta. hylario* ſic dicente: proprium eccleſie ſolet eſſe, ut tunc vincat, cum leditur, tunc intelligat, cum corrigitur, tunc ſecura ſit, cum ſuperata videtur, archa enim noe, per quam deſignabatur eccleſia, inundacionibus concuſſa, eleuata eſt in ſublime, quare confidimus, quod ille, qui poſt nubilum dat ſerenum, inclitam ſponſam ſuam ſuccedentibus perturbacionibus fluctibus agitatam oculo clementiori ex alto reſpiciat, non ferens eam in ſui nominis injuriam diucius conculcari, hec ille, *Johannes* vero os aureum dicit ſic: non ceſſat impugnari eccleſia, non ceſſat inſidias pati, ſed in nomine chriſti ſemper ſuperat, ſemper vincit, & quamuis alij inſidiantes, quamuis repercuſſerant eam fluctus, fundamentum tamen, quod ſupra petram eſt, non quaſſatur &c. poſtremo ut ea falſa opinacio, quamuis apud imperitos communis, aſſerencium, Romanum pontificem ſynodo eſſe ſuperiorem, penitus deleatur tanquam peſtiferi erroris calumpnia, probabimus manifeſte, primum ſanctorum Doctorum

ſenten-

Digitized by Google

ſentencia 2dum Romanorum pontificum auctoritate ſynodum catholicam eccleſiam repreſentantem Romano Epiſcopo fore Superiorem „ primum enim ſi ſummi paſtoris preeminenciam arguere volueris ex verbo illo ad petrum dicto per ſaluatorem noſtrum. Paſce oues meas &c. Ex quo quidem ejus preeminenciam arguit papa *in c. ſolite de ma. & obe. in c. ſignificaſti de elec.* que quidem verba exponit *archi9. VIII. q. I. c. in ſcripturis VI. q. inc. imitare.* Audite quonam modo verba illa exponat beatiſſimus *Ambroſius* in principio ſui paſtoralis ad finem 2de columpne ſic dicens formaliter ſic certe a Domino ad beatum dicitur *petrum*, *petre* amas me, & ille tu ſcis domine, quia amo te, & cum tertio fuiſſet interrogatus & trina reſponſione fuiſſet ſubſecutus, repetitum eſt a Domino paſce oues meas, quas oues & quam gregem non ſolum tunc ſuſcepit beatus apoſtolus *petrus* ſed & nobiſcum eas accepit, & cum illo nos eas ſuſcepimus omnes, unde regende ſacerdotibus conceduntur, hec ille. audite 2do quid ad eorundem verborum expoſicionem dicat beatiſſimus *Auguſtinus* in libro *de agone Chriſtiano* circa finem ſic ſcilicet: Non enim ſine cauſa inter apoſtolos hujus eccleſie catholice perſonam ſuſtinet *petrus.* huic enim eccleſie claues regni coelorum date ſunt, cum *petro* date ſunt, & cum ei dum ad omnes dicitur; Amas me, paſce oues meas, & infra, nec eos audiamus, qui negant eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere, itaque miſeri, dum in *petro* petram non intelligant, & nolunt credere, datas eſſe eccleſie claues

regni celorum, ipſi eas de manibus amiſerunt, hec ille. Ex iſtorum igitur beatiſſimorum patrum doctorumque ſentencia clariſſime duplex inſurgit concluſio, prima quod cum *petro* dictum eſt, paſce oues meas, non ipſi uni *petro* ſed toti hoc eccleſie dictum eſt, atque dum *petro* claues date ſunt, non ipſi ut uni *petro*, ſed ipſi ut vicem ac perſonam catholice eccleſie gerens commiſſe ſunt. Huic quidem concluſioni prime accedet ſentencia beatiſſimi *Auguſtini ſuper Johannem* relata per *Gracianum XXIIII. q. I. c.* quodcumque dicentis formaliter, *petrus* quando claues accepit eccleſiam ſanctam ſignificauit, que verba ibi exponit archi9. dicens; quod eſt ſub ſigno & nomine accepit. 2do accedit ſentencia beatiſſimi *Auguſtini* in libro *de penitentia*, que relata per *Gracianum de pe. di.* 1. *in c. ante.* ſic dicit ſcilicet: ſi enim ſine arbitrio ſacerdotis penitencia commiſſi peccati ageretur, ſine cauſa claues eccleſie date forent,, 4to accedat ſententia beatiſſimi *Ambroſij* in *libro* 3° *de penitencia* que relata per *Gracianum de. pe. di.* 1. §. *Dei* ſic dicit Deus difficultatem non facit, qui miſericordiam ſuam omnibus premiſit, & relaxandi licenciam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit,, idem confirmat textus *de ſumma trini c.* 1. Hoc utique ſacrum nemo poteſt conficere niſi ſacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſeruari claues eccleſie, quas ipſe conceſſit apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus. 6to confirmatur *ex textu C. a uobis de ſententia excom.* dum dicit Eccleſie legitur attributa poteſtas ligandi atque ſoluendi

homi-

Digitized by Google

homines ſuper terram. ſi igitur *petro* ut vicario cuncte eccleſie commiſſe ſunt oues ſcilicet ſibi ſunt claues regni celorum tradite, quis dubitat eccleſiam congregatam, cujus univerſe poteſtatem illa diſſoluta *petrus* gerit, *petro* ſuo uices gerente fore Superiorem, cum hoc regulare ſic ut ordinarius ſuo vicario recognoſcatur eſſe Superior, unde non immerito in actibus apoſtolorum legitur, quod cum audiſſent apoſtoli, qui erant Jeroſolimis, quod accepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eam *petrum* & *Johannem &c.* Ex qua quidem miſſione petri eccleſie ſuperioritas denotatur„ ſed ſi dicatur; quare uni *petro* claues celorum, paſcua ouium principaliter ſunt commiſſa, reſpondit *ciprianus* martir relatus per *gracianum XXIII. q. I.* loquitur ſic ſcilicet. Quamuis apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat ſaluator dicens: ſicut miſit me pater &c. tamen ut unitatem eccleſie manifeſtaret unitatis ejusdem originem ab uno incipiente ſua auctoritate diſpoſuit hoc, erant utique ceteri apoſtoli quomodo petrus fuit pari conſorcio prediti honoris & poteſtatis, ſed ab unitate exordium proficiſcitur, ut eccleſia Chriſti una monſtretur eccleſia„ 2da eſt concluſio juxta ſententiam *Auguſtini*, qui poteſtatem clauium de ſuis manibus amittit, qui negat eccleſie eſſe datas claues ligandi atque ſolvendi & communiter indulgencias concedi, quam poteſtatem illam *petrus* accepit a Domino non ut ipſum ſed totam eccleſiam repreſentans, quod ſi clarius luce intueri volumus, inſpiciamus 2do verba beatiſſimi

Auguſtini in *Sermone natalis apoſtolorum petri & pauli* ſermonum ſuorum *numero C. XXII.* ubi declarans quod cum *petro* dictum fuit, tibi dabo claves regni coelorum &c. illas recepit non ut homo unus, ſed ut gerens vices univerſalis eccleſie, ſic elegantiſſime quosdam dominus Jeſus ex diſcipulis ſuis ante paſſionem ſuam, ſicut noſtis, elegit, quos apoſtolos appellauit, inter hos pene ubique *petrus* ſolus tocius eccleſie geſtabat perſonam, & propterea audire meruit, en tibi dabo claues regni coelorum, has enim claues ille non ut homo unus ſed unitas accepit eccleſie. Hinc ergo *petri* excellencia predicatur, quia ipſius unitatis & univerſalis eccleſie figuram geſſit, quando ei dictum eſt, tibi dabo &c. quod omnibus traditum eſt, nam ut noueritis eccleſiam recepiſſe claues regni coelorum, audite in alio loco, quod dominus dicat omnibus apoſtolis ſuis: Accipite Spiritum ſanctum, & continuo ſubjungitur, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei, ſi cui retinueritis, tenebuntur. Hoc ad claues pertinet, de quibus dictum eſt, quecumque ſolueritis in terra ſoluta erunt & in celo, que ligaueritis in terra ligata erunt & in celo; hec ille. Ad quorum confirmacionem audite perpulchram expoſicionem *Auguſtini* ſuper verbo illo, *quecunque ligaueritis*, apoſtolis dictam, & per eos naſcenti demum univerſali eccleſie relatam per *magiſtrum ſentenciarum in 4to libro d. XVIII.* cujus quidem verba hec formalia ſunt, ſcilicet: quodcunque ligaueritis &c. hoc eſt: Ego Deus & omnes celeſtis milicie ordines & omnes ſancti in

gloria

gloria mea laudant vobiſcum & confirmant, quando ligatis & ſolvitis, hec ille. Quis ergo tam temerarius erit audens dicere, congregatam eccleſiam pleniſſimam remiſſionem peccatorum non poſſe concedere contra verba Chriſti per tam probatiſſimos ſanctosque doctores in favorem auctoritatis univerſalis eccleſie hic repreſentate expoſita, quorum quidem doctorum adeo in expoſicione ſacre ſcripture eſt inuiolabilis & firma auctoritas, ut in hujus modi, eorum interpretacio expoſicioni Romani pontificis proponatur, ut eſt textus uenerabilis *XX. ad §. inter autem* licet autem *glo. in cle. II. de po. & remis.* dixerit, in poteſtate ſolius ſummi pontificis fore remiſſionem pleniſſimam peccatorum concedere, non tamen excludere cenſetur, eandem poteſtatem eſſe penes eccleſiam legitime congregatam, cujus vices *petri* ſucceſſor gerit, & in qua ipſe *petrus*, *petri*que ſucceſſor includitur, cum licet primus in eccleſia ſit, tamen de eccleſia eſt ſecundum traditionem gloſſatam *in c. ecce XCIX. di*„ 3° pro eccleſie ſuperioritate ſupra Romanum pontificem audi quid ſenciat glorioſiſſimus *Auguſtinus* in Epiſtola ad *glorium* & *Eleuſum*, ubi cum *Melchiades* papa & coepiſcopi ſibi conjuncti judicaſſent ſuper lite carthaginenſis eccleſie inter *Cecilianum* & *donatum* litigantes, ipſe in Epiſtola prefata ſic dicit: Ecce putemus illos Epiſcopos, qui *Rome* judicarunt nos bonos Epiſcopos fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium eccleſie univerſale concilium ubi eciam cum ipſis judicibus cauſa poſſit agitari, ut ſi male judicaſſe conuicti eſſent,

Digitized by Google

eorum ſentencie ſoluerentur; hec ille. Aduertite circa hoc ad id, quod refert *gracianus XI. di. in c. ſi poſt*, §. *Johannes* dicens: Ei quem Romanus pontifex ſua priuauerat eccleſia ſanctam ſynodum canonice eccleſie reſtituiſſe„ ex hijs ergo duobus luculentiſſime demonſtratur, in papam eciam in particularibus non recte judicantem auctoritatem eccleſie congregate fore ſuperiorem, manet enim *petri* priuilegium, quatenus ex ejus equitate præuia diſcrecione judicium fertur, ut nos dócet *textus XXIIII. q. I. in c.* manet. unde concludit *Jvo de jure jurando in c. quarto.* & eciam hoſtens. *de transla. prela. c. quinto.* plenitudinem poteſtatis pape tunc adeſſe intelligi, cum clauis diſcrecionis non erat. Ad idem eciam eſt ſentencia *archi. XXIII. q. v. in c.* remittuntur; dum ea verba *petro* dicta: quecunque ligaueris &c. intellige, quando ligat & ſoluit claue non errante. Item ipſe nobilius declarat *VIII. q. I. in* §. *quod autem*, dum refert verba *petri* ad *clementem* dicta, cum eum in apoſtolica cathedra collocaret, hec ſcilicet: trado poteſtatem mihi a domino traditam ligandi atque ſoluendi, ligabis enim, quod oportet, ſoluesque quod expedit„ 4to pariter audi Epiſtolam beatiſſimi *Damaſceni* pape in libro Epiſtolarum *Ambroſij numero LXXII.* ubi judicibus a ſynodo capuenſi deputatis in cauſa *Boneſi* Epiſcopi contendens, ſui officii non fore in cauſas, in quibus per ſynodum conventum manum apponere, ſic dicit: vel pro veritate, uel pro modeſtia noſtram ſentenciam ſuſcitare voluiſtis, ſed cum hujusmodi fuerit con-

cilij

Digitized by Google

cilij capuenſis judicium ut futurum *Boneſo* atque ejus accuſatoribus judices tribuerent, ut præcipue Macedones, qui cum Epiſcopo Theſaloniſenſi de ejus factis cognoſcerent, aduertimus quo nobis ad judicandum fore competere non poſſet, nam ſi integra eſſet hodie ſynodus, recte de hijs, que comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries decerneremus veſtrum eſt, & qui hoc r. .epiſtis judicium, ſentenciam ferre de omnibus, nec refugiendi, uel elabendi, uel accuſatoribus, uel accuſato copiam dare, vicem enim ſynodi recepiſtis, quos ad examinandum ſynodus elegit, denique cum *Boneſus* Epiſcopus poſt judicium veſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum *Ambroſium*, qui ejus ſentenciam conſuleret, interdictam ſibi eccleſiam irrumpere ac ingredi reſponſum eſt ei, quod nichil temerandum foret, ſed omnia modeſte, pacienter ordine gerenda, nec contra ſentenciam noſtram temptandum aliquid, ut quando videtur nobis juſtitie conuenire ſtatueritis, quibus hanc ſynodus dederat auctoritatem. Ideo primum eſt ut hi judicent, quibus judicandi facultas eſt data, vos enim tocius, ut ſcripſimus, ſynodi vices decernitis, vos quibus de ſynodi auctoritate non conuenit; hec ille. 5to pariter attendite, quid *Gregorius* de auctoritate univerſalis ſynodi, ut ſuperioris differens loquitur, inſtruens, quod Romanus pontifex obſeruare debeat circa eos, quos ſynodus ſoluerit, uel ligauerit &c. *in regiſtro ſuo indictione nona epiſtola XXIIII. §. preterea* ſic dicens. Preterea quia corde creditur ad juſticiam, ore fit confeſſio

 ad

ad ſalutem ſicut enim Ewangelij 4tuor libros & infra poſtremo ſic ſubjiciens: cunctas vero perſonas, quas prefata veneranda concilia reſpuunt, reſpuo, quas venerantur, amplector, quia dum uniuerſali ſunt conſenſu conſtituta ſe & non ipſa deſeruit, quisquis preſumat abſoluere, quæ nos ligant, aut ligare, quos ſoluunt, quisquis ergo aliud ſapit, anathema ſit, quisquis predictarum ſynodorum fidem tribuit, pax ei ſit a Deo patre per Jeſum Chriſtum filium ejus, qui cum eo uiuit & regnat &c. hujus igitur epiſtole partem, ſed non ex integro ut proxime poſui transfert Gracianus *XV. di. in c. ſicut ſancti*,, 6to diligenter inſpicite, quid de ſuperioritate eccleſie congregate cognoſcat *Gregorius* adverſus eos, qui monitis Romani pontificis nolunt corrigi in regiſtro ſuo *epiſtola CCa XXIIII. ad Johannem* Epiſcopum conſtantinopolitanum ita dicens: Et nemo quidem in quibus tanta per auſum temerarium culpa committitur, ſeruamus, quod precipit veritas dicens: ſi peccauerit in te frater tuus &c. Ergo itaque per reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus hoc, quod in tota eccleſia peccatur, corripere ſtudui per me ſcribo, quidquid humiliter facere debui, non obmiſi, ſine mea correctione deſpicere reſtat, ut eccleſiam adire debeam, hec ille. Eccleſiam autem adire non aliud eſt, quam ſynodum preſentare illam; Ex hijs igitur Gregorianis verbis inde datur intelligi ſynodum congregatam ſuperioritatem tribunalis obtinere eccleſiam ſupra Romanum pontificem, in hijs, que aliter non valent corripi. Premiſſe

miſſe autem epiſtole verba, licet non ita perfecte, ut ſupra retuli transfert *Gracianus XCIX. di. in capite*, *ecce* 7mo ultra hec comperimus *Nicolaum* papam, cum *Lotharium* regem ammoueret, ut ſue concubine dudum ab eo repudiate tanquam ex communicate communionem declinaret in Epiſtola ſua ad Regem illum deſcripta ſiç ſubnexiſſe, ſcilicet: Quod ſi id non ages, precave, ne hoc ſancte eccleſie dicamus; habetur textus iſte *XI. q. III. in c. precipue* unde manifeſte cognouit in ſuis exceſſibus in corrigibiliter perſiſtentem tribunali eccleſie uniuerſalis in ſynodo repreſentate ut ſupremo fore ſubjectum,, 8vo reminiſcimur *Hilarium* papam, cum quandam edidiſſet conſtitutionem corrigentem exceſſus, reformacionemque morum in eccleſia inducentem ad tunc congregatam ſynodum dixiſſe, quod ut deinceps poſſit illa tenacius cuſtodire, ſancta ſynodus ſentenciam ac propriam ſubſcriptionem accomodaret, ut ſynodali judicio aditus clauderetur illicitus; habetur textus iſte *XXXV. q. IX. in c. que juris.* Ecce enim luculenter illam in eccleſia reformacionem ſynodi congregate judicium ut ſupremum orbis tribunal recognouiſſe,, 9no quoque pariter *Symachus* papa in ſynodo exſiſtens, cum de voluntate cujusdam diſceptaretur, qua cautum erat, ut ſi Romanum pontificem hoc ex ſeculo migrare contingeret, non ſine prefecti pretorij urbis Rome conſultacione cujusque noua celebraretur electio, queſtio referretur in medium, illam voluit ſancta in ſynodo perlegi, ut cujus eſſet vigoris poſſit agnoſci, dicens, id

agere

Digitized by Google

agere ne ipſum inpoſterum diſputare contingeret, cum ſacrum poſſit concilium judicare. habetur textus iſte *XCVI. di. c. bene quidem.* Ecce in verbo Romanus pontifex ſe diſputaturum dicit, ſanctam ſynodum profitetur, judicare poſſe ſuper eo, quod abuſum continet & diminucionem eccleſiaſtice libertatis. ad laudem Dei. Amen.

Et eſt finis reſponſionis Reuerendi Patris & domini *Lodeuici* de Roma prothonotarij ſedis apoſtolice, excellentiſſimi juris utriusque doctoris date ambaſſiatoribus Reuerendiſſimorum & illuſtriſſimorum principum Dominorum Electorum ſacri Imperij die Veneris XVII. Januarij MCCCCXXXVIII. hora veſperorum uel quaſi, in generali congregacione ſacri concilij Baſilienſis in eccleſia majori,, & in eadem congregatione ante quam daretur hec reſponſio per eundem Reuerendum dominum *Ludeuicum* predictum fuit facta reſponſio eisdem ambaſſiatoribus per ipſum concilium in hijs ſcriptis, que ſequuntur & lecta fuit ibidem per ipſius concilij notarium &c. Audiuit hec ſancta ſynodus affectionem deuotiſſimam Venerabilium Archiepiſcoporum, & ceterorum illuſtrium principum electorum ſacri Imperij ad pacem & quietem eccleſie, quam vos egregij ipſorum oratores in noſtra congregacione generali diſerta oratione referaſtis, Viciſſim quoque audierunt diſcrecionis noſtre zelum ſincerum quem eadem ſancta ſynodus ad ipſius eccleſie ſalutem & pacem ſemper geſſit, veluti per venerabilem archiepiſcopum Panormita-

num

num ex ordinacione hujus ſacri concilij fuit in eadem congregacione lacius explicatum.

Deinceps per affectum, quem ad pacem in cordibus noſtris ſedulo gerimus ab eisdem diſcretionibus veſtris inter deputatos hujus ſacri Concilij queſitum eſt, ut media ad pacem ipſam oportuna velitis aperire. Nam hec ſancta ſynodus omnia media intendebat gratis animis amplexári, per que auctoritas eccleſie ſeruaretur illeſa, & reformacio tantis expectata temporibus & pro qua jam in concilijs Conſtancienſi, Senenſi & iſto Baſilienſi tot ſunt adhibiti labores, aliquem tandem fructuoſum ſortiretur effectum ad Dei Gloriam & animarum ſalutem. Vos vero pacis inueniende ſpem habere dixiſtis, ſi ſuſpenderetur proceſſus adverſus dominum *Eugenium* papam IIII inchoatus, & interim opera daretur per dominos veſtros illuſtres, & ipſe dominus *Eugenius* diſſolucionem pretenſam concilij per eum attemptatam reuocaret, & ea, que adverſus hoc ſacrum concilium egerat de quibus atque etiam de juſtitia ipſius concilij dominos veſtros plene informatos eſſe commemoraſtis. Ut quia inſuper idem dominus *Eugenius* decreta ſynodalia ſuſciperet, & de congregando concilio pro Grecis ſe non intromitteret, ſed fieret apud Grecos ipſos inſtancia ut venirent ad aliquem trium locorum electorum per concilium, quod ſi obtineri non poſſit, videretur de aliquo tercio loco eligendo, qui & Concilio & pape tutus & accomodus foret; ad dicentes, quod ad papam ſuper hijs oratores deſtinaremus, & tandem ſi concordia

dia aliter non poſſet inueniri ſuper ipſius tercij loci electione concilium & papa in aliquos compromitterent.

Quibus per vos ex optima intencione & zelo ſincero, ut credimus, expreſſe matura deliberacione prehabita duximus hoc modo reſpondendum. Laudamus & commendamus plurimum devocionem venerabilium archipreſulum & ceterorum illuſtrium veſtrorum dominorum atque veſtram, quam ſimul & juſticiam hujus ſacri concilij attencius conſiderare & pacis media inuenire conari conſpicimus, laboribusque ipſorum & veſtris gracia eſt habenda, Nos quoque ea cupimus efficere, que ad pacem ſalutarem conſequendam & priorum virorum deſideriorum conſummacionem efficaciora ſint; ſperamus autem fauente chriſti clemencia pacem ipſam nobis & vobis pariter deſideratam inveniri poſſe, ſi ſororem pacis juſticiam non prorſus abjecerimus, nam ita pax & juſticia oſculate ſunt, atque tali vinculo federate, ut quisquis unam ſine altera querat, neutram valeat amplecti, ſi conſtantibus animis viam juſticie & veritatis ingrediamur, auctoritatem ecclefie & determinaciones fidei jam in pluribus concilijs promulgatas atque per univerſalem eccleſiam approbatas, totis viribus defendamus que concorditer acclamant, Romanum pontificem teneri obediencie univerſalibus concilijs, in hijs, que pertinent ad fidem ad exſtirpacionem ſciſmatis & reformacionem eccleſie in capite & in membris ac pertinentibus ad ea, ut quod veritas ipſa declarata ſonat,

opere

opere impleatur pacem optimam & nunc & in futurum univerſa eccleſia conſequatur. Nec Romani pontifices pro libito ſue voluntatis implendo aduerſus uniuerſales ſynodos tanta bella mouebunt in continuam perturbacionem eccleſie, ſed benigne amplexabuntur, que uniuerſali conſenſu fuerint inſtituta pro edificatione ipſius eccleſie & animarum ſalute, Ipſi quoque hoc pacto a ſynodis univerſalibus omni favore & honore tractari merebuntur. Inducunt nos preſencia, exiſtimare de futuris, dum *Eugenium* papam IIII. facilius ad hanc pacem inclinari poſſe pro ſalute anime ſue & tocius eccleſie, ſi proceſſus inchoatus per hanc ſanctam ſynodum continuetur, quam ſi eodem proceſſu nudis precibus de hoc interpelletur, Meminiſtis enim, ut credimus, dum altera vice concilium diſſoluerat, neque precibus inclite memorie domini *Sigismundi* Imperatoris Romani nec archipreſulum & ceterorum illuſtrium principum electorum ſacri Imperij aut quorum libet aliorum ad hujusmodi reuocandam diſſolucionem induci potuiſſe donec ad ſuſpenſionem ipſius ab adminiſtratione papali hec ſancta ſynodus procedere decernit. Ubi vero nunc longe grauiora, longe duriora peregit, & ſemel reuocatam diſſolucionem iterum attemptauit, quod putandum eſt ex dilacione proceſſus euenturi, niſi duriorem ipſius incepto propoſito perſiſtenciam jam ſemel poſt ejus accuſatam contumaciam dilacionem LX. dierum ad inſtanciam prefati Imperatoris ac illuſtrium dominorum veſtrorum dedimus, & poſt lapſum illorum

rum

Digitized by Google

rum adhuc aliis plurimis diebus expectavimus, quam iſte dilaciones profecerint, vos ipſi conſpicitis, qui eciam dominos veſtros illuſtres literas & nuncios ad eundem Dominum *Eugenium* miſiſſe commemoraſtis. Et quamquam plurimum ſit eorum diligencia commendanda, nichil tamen ad ſalutem ecclefie Dei obtentum eſt. Interim ipſe Dominus *Eugenius* literas & nuncios ad diverſas regiones miſit in hujus concilij expugnacionem & ſciſſuram ecclefie, interim laborauit, ut Grecos ad locum, quem vellet, poſſet adducere, ut ſub umbra conuencionis eorum correctionem effugere, & obedienciam, quam huic ſancte ſynodo exhibere tenetur, eludere valeret, cujus rei aſſequende gracia jam adverſus honorem ecclefie latine plurima ſcandala per ipſum Dominum *Eugenium* atque ſuos, eciam in oculis Grecorum commiſſa ſunt, & nunc in foribus eſt ſciſma inauditum duorum conciliorum per erectionem illius pretenſi concilij Ferrarienſis. Jam imminet ſperate reformacionis extinctio, auctoritatis univerſalis ecclefie proſtracio, ſi non celeriter occurratur. Neque aliud nobis remedium ſupereſt, quam ut per continuacionem proceſſus & juſtam ſuſpenſionem ab adminiſtracione papali ipſe dominus *Eugenius* ad viam juſticie, & ſemitam veritatis reducatur, per quam pax gratiſſima non tantum in hoc tempore, ſed & diebus futuris donetur populo Dei,, Nec iſta ſuſpenſio eſt ipſius depoſicio, adhuc illa differetur, nec ad eam, niſi cum magna maturitate hec ſancta ſynodus intendit procedere. Et interea

Illu-

Digitized by Google

Illuſtrium Dominorum veſtrorum, pia deuocio apud ipſum Dominum *Eugenium* laborare poterit, ut pacem eccleſie donet, longe quoque facilius Deo adjuvante ſua tunc conſequentur deſideria vehemenciusque dominum ipſum ad pacis amplexus excitabunt imminente depoſicione ſua, ſi non aſſenſerit precibus ipſorum, quam ſi ſuſpenderetur proceſſus. Erit enim per Dei graciam hec ſuſpenſio non letalis vulneracio, ſed medicina ſalutaris, habebitisque in ulteriori dilatione, quod a nobis expoſcitis, tempus proſequendi ſalubria media pacis, ad quorum cupidos amplexus hanc ſanctam ſynodum ſemper paratam inuenietis.

Offert autem hec ſancta ſynodus venerabilibus archiepiſcopis & ceteris illuſtribus dominis veſtris plurimo honore digniſſimis, quidquid ad pacem & proſperitatem ſacri Imperij & omnium prelatorum atque principum inclite Germanie efficere poterint, exhortamur in Domino deuocionem eorum ut ſaluti eccleſie ac paci ſemper intendant, benignosque fauores & auxilia huic ſancte ſynodo ingiter largiantur, & cum bona concordia atque debita diligencia talem futurum Imperatorem eligere curent, qui languoribus uniuerſalis eccleſie ſua aduocacione ſubuenire poſſit, & univerſum populum Dei inter preſencium temporum calamitates conſolari ad ipſius Dei omnipotentis gloriam & honorem, qui eſt benedictus in ſecula.

Et ſic eſt finis reſponſionis ſacri concilij Baſilienſis facte ambaſſiatoribus Reuerendiſſimorum

ac illuſtriſſimorum dominorum Electorum ſacri Imperij die Veneris XVII. Januarij MCCCCXXXVIII.

XII.

PROPOSITIO FACTA AD PRINCIPES ELECTORES SACRI IMPERII PER REVERENDISSIMVM PATREM ET ARCHIEPISCOPVM PANORMITANVM EX PARTE CONCILII BASILIENSIS MISSA.

Mecum tacitus ſepe numero cogitaui patres Reuerendiſſimi atque illuſtriſſimi principes, cum hoc dicendi michi onus reluctari non valenti repente delatum extitiſſet, quo dicendi genere Serenitatis veſtre a nobis ſacri concilij Baſilienſis oratoribus atque legatis adeunde forent. occurrebat namque michi illorum mos qui ſicut viros clariſſimos adeunt, primum eorum clariſſimas virtute dote ſummas & incredibilia preconia eorum oracione ornate compoſita & mature digeſta in medium afferunt. Tantum ut rem veriſſimam predicent & predicatam veluti quodam calcare creſcere ſatagant, tum ut eorum ampliſſime dignitati ſe gratos & beniuolos reddant. Non nulli autem ad eorum pericie oſtentacionem idipſum agunt, michi autem in preſencia veſtra nobilitatis, dignitatis, fortune, virtutis & ingenij ſumma ornamenta tacitus cogitandi longe adeſt ſentencia, omnium quidem, qui de natura & moribus ſcribunt imitatus ſemper ſum in hac re veſtigia, inquiunt

quiunt enim honeſtius ea preteriri, que numquam ſatis commendari & digne laudari queunt, quam exigua atque leui longe oracione inniti, cum preſtantius ſit de impotencia quam de impudencia & arrogancia poſſe notari. cogitabam quoque quod ſteriles laudatores ejus quidem ſatagunt oppoſitum agunt, cum enim ob exuberantem materiam aut eorum inbecillitatem ingenij, pleraque a longe proferunt, plurima que dixerint laudum genera obmittere tacite videntur, aut non vera, aut non digna preconio exiſtimaſſe. Tantique rem faciunt, quantum eorum oracio ſinit, ſicque non laudaſſe ſit veras laudes adimiſſe auditorio dijudicante. Cum enim veſtre laudes prope diuine ſint, quis ille tam ſui fidens, qui auderet ſermone finito metiri poſſe hanc rem infinitam, quis enim nobilitate, uel dignitate, aut probitate, uel optimarum mencium ſtudio, uel clemencie magnitudine, bellorum munimento, varietate victoriarum, feliciꝺtate conficiendi, meritis amplitudinis pertinacia, in rebelles clemencia, in ſubditos liberalitate in omnes, poteſt excellencijs veſtris comparari, cum nulla res tanta ſit, ac tam difficilis, quam veſtre ſerenitates non & concilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſint, dicam ſiquidem plane, gloriam veſtram tantam eſſe, licet futura ſit major, quod tropheis veſtris allatura finem non ſit etas, nec ullius eſt flumen ingenij ſatis, quod non dicam, ornare, ſed enarrare laudes veſtras atque veſtrorum progenitorum poſſet. Excuſabam preterea prope rerum miſſarum eui-

dentiſſimam noticiam, cum neminem hic adeſſe conſpiciam, quem veſter ſanguis egregius, nobilitatis ſplendor, dignitatum culmen, ſumma prudencia, & illa ſingularis & quaſi diuina in cunctis perficiendis manſuetudo atque modeſtia lateat. Parcite ergo michi principes illuſtriſſimi, ſi veſtras ampliſſimas laudes ſpeciali Sermone non deſcripſi, id enim conſulte egi, tum propter earum magnitudinem & dicendi infirmitatem atque ipſarum rerum euidenciam locupletiſſimam, tum ob mei imbecillitatem ingenij. Nam ſi mea jeiuna atque indiſcreta oracione attingere preſumerem, veſtre nobilitatis excellenciam, dignitatum ſerenitatem, mentis fortitudinem, ſummam prudenciam, maximam temperanciam, mores probatiſſimos, ac ſanctiſſimum & deuotiſſimum erga Deum cultum, quibus alios antecellitis, multum ſiquidem meis verbis viderer adimere veſtre glorie, veſtrisque preconijs, unde pace veſtra & venia impetrata huic ampliſſime dictioni finem imponam & ad alia, ob que ad preſencias veſtras conuenimus, me conuertam. Sacerrimus ille Baſilienſis cetus in Spiritu ſancto legitime congregatus ſanctam catholicam & univerſalem eccleſiam repreſentans ad veſtras Reuerendiſſimas paternitates hos Reuerendiſſimos patres & inter dominos preſtantiſſimos patriarcham Aquilegienſem, virum quidem ſanguinis dignitate & rerum experiencia preſtantiſſimum, Epiſcopum Nouarienſem, virum profecto undique circumſpectum, & me archiepiſcopum Panormitanum inter eos nimirum quatuor acturos ſalutacioni-

cionibus concupitis & Dei omnipotentis benedictione premiſſis deſtinauit. Primum erit preſidij imploratiuum, 2dum quatuor rerum poſtulativum. 3tium imminencie negocij exhortatiuum. 4tum graciosſum oblativum. Erga primum clamat & orat, ac clamare & orare compellitur dignitates veſtras ampliſſimas in unum congregatas univerſalis eccleſia & illud ſacrum Baſilienſe concilium repreſentata languoribus plena & vehementer ſanciata, cum propheta prorumpit in hec verba: apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium meum. Nullius enim eſt cujusuis religionis Chriſtiane participis, cor ita ſaxeum, pectus ita ferreum, quod auditis eccleſie univerſalis languoribus & ſacri concilij Baſilienſis doloribus atque erumpnis non emolliatur, non perturbetur, non expaueſcat, non denique ad tam incendium immenſum contra eccleſiam ipſam paratum extinguendum non inardeſcat, proch dolor dum eccleſiam orientalem in unum Chriſti ouile reducere niſi ſumus, diſcidium & ſcisma maximum in eccleſia noſtra latina ſubortum videmus, & utinam ſimplex ſciſma & non deteſtanda erit de hereſi admixtum, duo altaria diverſis in locis proch dolor erecta conſpicimus, & utrobique quidem nephandiſſimum eſt dicere aut ſentire univerſalem eccleſiam conſiſtere, allegatur contra chriſti uerbum de eccleſia ipſa una eſt columba mea, ſponſa mea *XXIIII. q. I.* omnibus, offenditur propterea ille fidei articulus: Et unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam eccleſiam. quem quisque fidelium in

Digitized by Google

fidei Simbolo jugiter profitetur. Ipſius ecclefie auctoritas non modo contemnitur, ſed periculoſiſſime negatur, ſacrorum conciliorum parvi penduntur & temerantur decreta, reformacio ecclefie eluditur, & correctio exquiſitis coloribus vanis euitatur. Et niſi celerrime Deo auctore prouideatur, maximis diſcriminibus ipſa ſubicietur eccleſia & ſacrorum conciliorum auctoritas pro magnis temporibus exulabit. Et quia plerique ſacrum Baſilienſe concilium minus juſte calumpniantes ab ipſo hec mala prodire falſo aſſerunt, dignentur pro Deo ſerenitates veſtre paululum ad geſta ſummi pontificis & ad ea que ſacro concilio impingi ſolent diligenter animadvertere, ut cui in hac re plurimum fauoris intendendum ſit facilius diſcernere ualeatis. Et primo ut ab ipſo Summo pontifice exordiar, quem pro ipſarum rerum fundamento premitto, ſacrum & generale concilium Dei ecclefiam repreſentans duorum generalium conciliorum Conſtancienſis ſcilicet & Senenſis auctoritate in ciuitate Baſilienſi inclite nacionis Germanice erectum & ſtabilitum extitit & duorum diſpoſicione Summorum pontificum quondam ſcilicet *Martini* & domini *Eugenij* preſentis confirmatum, ob tria precipue ſanctiſſima quidem opera conſummanda, primo quidem pro extirpacione hereſum, 2do pro pace populo Chriſtiano procuranda 3°. pro Dei ecclefie reformacione tam in capite quam in membris. Quantum profecto & quanto tempore illa ſacra Baſilienſis ſynodus circa primum elaborauerit, ſumptibus non parcendo atteſtatur incli-

inclitum & potentiſſimum Bohemie regnum, nam quod diu efficere magni exercitus gencium armorum gladijs materialibus non valuerunt, ipſa ſancta ſynodus Baſilienſis doctrine ſermone varijsque diſputacionibus ac legatorum miſſionibus Deo fauente compleuit, ita, ut in eodem regno Bohemie omnia pacata eſſe videantur, & niſi in ſaluberrimum extitiſſet concilium incendium in illo regno mirum in modum accenſum non modo illud regnum vaſtaſſet, ſed multas finitimas regiones infeciſſet & conſumpſiſſet, ut in multis locis experiencia rerum magiſtra edocuit, quantum vero profecerit, & ad grecorum reductionem & unionem, nemo eſt, qui neſciat, Miſerunt namque illius ſacri Concilij patres ad ipſos varios oratores & tandem cum ipſorum Grecorum oratoribus conuencionibus & pactis ſuper ipſorum unione habitis deferri juſſerunt IX milia ducatorum ad ciuitatem conſtantinopolitanam, ut Grecorum prelati in diuerſis locis conſiſtentes poſſent ad illam ciuitatem pro eorum tranſitu ſumptibus ſacri concilij conuenire & ſic ſancitum eſt, ut ipſius ſacri concilij pecunia & induſtria Grecorum prelati conuenerunt in predicta civitate conſtantinopolitana & ibidem conſiſtens Imperator patriarcha conſtantinopolitanus & plurimi alii prelati jugiter preſtolabantur, ut ſacrum concilium galeas & pecunias juxta conuencionem inter eos habitam pro eorum tranſitu deſtinaret. Et nempe neminem latet, quod ſi Romanus pontifex ambaſiatam falſo nomine ſacri concilij ad eos non miſiſſet ac per hoc eos per ſe, & ſuos & ſuis ga-

leis non ſollicitaſſet varijs promiſſionibus, ut ad ſuum conciliabulum confluerent, ad ſacrum Baſilienſe concilium indubie profecti fuiſſent, ſacrum tum Concilium valere & dare operam, quam inceperat, quatuor Galeas, nauem unam & Galentam cum baliſtarijs & magna pecuniarum quantitate juxta inter eos compactata pro eis tranſuehendis deſtinauit, pro qua quidem re explicanda ultra centum ducatorum millia ipſum ſacrum concilium expoſuiſſe dinoſcitur, & ex opere ipſius ſacri Concilij ipſorum Grecorum reductio in limine videtur, ſiue ad ipſum dominum papam perueniant, ſiue ad ipſum ſacrum Concilium, nunquam enim papa Galeas miſiſſet niſi innuiſſet illos ad ſacrum concilium peruenturos. Unde cum ſacrum concilium fuerit Cauſa cauſe, ſatis dici poteſt, quod ſit cauſa effectus ſive future eorum unionis. Sileant ergo detractores, qui dicunt ſacrum concilium tanto tempore congregatum parum profeciſſe, nam ea egit que, per alia concilia non fuerunt geſta, nam cum predicta grauiſſima ſint, viderentur potius miraculo aſſcribenda, ut in tam brevi tempore quo concilium extitit congregatum explicari potuiſſent. Ad Pacem autem reformandam inter varios principes & univerſos populos manum non pigre appoſuit, atteſtari hoc poſſunt Portagalia, ytalia, & multæ Germanicæ Nationis & legatorum tam Cardinalium quam aliorum patrum varie miſſiones erga eccleſie veram reformacionem ſaluberrima plurima decreta edidit omnium fere curie Romane in veteratonum abuſuum & Simoniace pravitatis

tatis preſertim extirpatura, reducendo eccleſie ſtatum plurimum collapſum ad priſcorum primam ordinacionem ſaluberrima, utpote decretum de annatis non ſolvendis, per quas Chriſtianitatis ex omnibus provincijs aurum deteſtabili inuencione ad ipſam curiam Romanam attrahebatur, eccleſiaſticæ ciuitates ob intollerabiles ſoluciones ita comprimebantur, quod aut perpetuo feneratoribus remanebant obligate, aut ex illorum redditibus nil ſupererat, quod ad aliquem pium uſum poſſet conuerti „ Promouebantur plurimi, qui per quandam negotiacionem, qui majores & uberiores pecunie ſacculos deferebant, Et ſciencia & moribus diuites contempnebantur, & quod teſte *Auguſtino* pocius plures fures aut mercenarij eccleſijs preficiebantur, quam veri paſtores, ut habetur *in c. tres perſonas XXIII. q. III.* Edidit inſuper Decretum de electione, extinxit in futurum abuſum gratiarum expectativarum, que immerentibus pecunie obtentu absque perſonarum delectu concedebantur, prouidit ſuper beneficiorum collacione ordinarijs locorum conſulendo, qui per geſta & abuſus curie Romanæ ita compreſſi ſunt, & ita in eorum jurisdictionibus exhauſti, ut ſolus papa omnia occuparet, ac ſi ſuper eo duntaxat Chriſti eccleſia fundata eſſe videretur. Immemores erant recentes Romani pontifices poteſtatis alijs apoſtolis in quorum loco ſucceſſerunt Epiſcopi, tradite, quibus inquit Chriſtus in eos poteſtatem transferendo, ſicut miſit me pater, ego mitto vos, ut habetur in ewangelio, & clariſſime per beatum

Digitized by Google

Ciprianum Epiſcopum in c. loquitur. ubi textus, *Venerabilis XXIIII. q. I. & c. in nouo XXI. diſ.* & alibi X^c. ad eosdem, vos eſtis lux mundi. & *Mathei XVIII.* Quecunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in celo, & quecunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in celo, & in eodem loco, cum peccauerit in te frater tuus, die eccleſie, nomine autem eccleſie non ſolum papam intelligi voluit, ſed eciam prelatos, ut aperte innuit *Jeronimus* in *c. omnibus XXIIII. q. I.* Hinc *Gregorius* papa ſanctitate & ſciencia mirificus ad Patriarcham Alexandrinum, qui eum in præfatione epiſtole univerſalem papam appellauerat, reſcripſit, ut tale verbum ita ſuperbum ulterius non reſcriberet, dicens: quia alijs detrahitur, cum alteri plus, quam non exigit, prebetur, ſubmittens honorem meum eſſe non deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco, meus namque eſt honor univerſalis eccleſia, meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor, tunc ego ſum honoratus cum ſingulis quibusque honor debitus non negetur, ſi vero univerſalem papam veſtra ſanctitas me dixit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum, ſed abſit, recedant verba, que unitatem inflant, caritatem vulnerant, ut habentur hec in *c. Ecce XCIX. di.* Et alibi idem beatus *Gregorius* ſcribens ad defenſorem Sicilie, qui turbabat Epiſcoporum jurisdictionem ſic inter cetera inquit: ſi ſua unicuique Epiſcoporum jurisdictio non ſeruatur, quid agitur aliud, niſi ut per nos, per quos eccleſiaſticus cuſtodiri illeſus ordo debuit, confun-

confundatur, ut legitur *X. q. I. pervenit.* Quod autem Epiſcopi in locum apoſtolorum ſucceſſerint, & illorum poteſtatem ſortiti ſint, belliſſime probat *Auguſtinus* in *c. quorum vices LXVIII. diſ.* Inducimus idem pſal[te] Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij conſtituos eos principes ſuper omnem terram. Hinc *ciprianus* in *c. domino XCIII. di.* Epiſcopos appellat Apoſtolos, & dixit, eos per chriſtum electos fuiſſe, & facit id pſal[te] de Juda & epiſcopatum ejus accipiet alter, denotans, Judam tamquam apoſtolum fuiſſe Epiſcopum, Hinc ſanctus Petrus cum omnibus apoſtolis eccleſiaſtica negotia peragebat, ut in actibus apoſtolorum legitur. Edidit inſuper ſancta ſinodus Baſilienſis decretum de cauſis imitando illam ſanctam ſynodum Nicenam, quæ ſtatuit negotia debere tractari in provincijs, in quibus orta ſunt, ut plenius habetur in libris conciliorum & narratur *in q. 27. Nemini.* Edidit inſuper Decretum de conciliis Provincialibus, & ſinodalibus celebrandis, dans formam, ut jugiter ibi de morum reformacione tractetur, Item de concubinarijs, de Judeis, de adſcenſione ad apoſtolicam ſedem & ad cardinalatum, de pacificis poſſeſſionibus & multis alijs quidem honeſtiſſimis ad reformationem eccleſiæ in capite & in membris pertinentibus, & adhuc in ea reformacionis materia perſeverat. Sed prochdolor Romanus pontifex qui primus & precipuus in hoc ſanctiſſimo opere eſſe debuit, tanquam cui in perſona Petri ſpecifice a Chriſto dictum fuit, non modo ſemel, ſed iterum atque tercio, ſi diligis me,

paſce

Digitized by Google

paſce oves meas. *Jo. ultimo.* Non ſolum hec omnia Decreta reſpuit, ſed eciam illa, que ipſemet in ſua adheſione ſolempni approbauit, profitendo illud ſacrum concilium Baſilienſe legitime fuiſſe initiatum & continuatum, proſecucionemque habere debere ad illa ſancta opera, ob que fuit congregatum.

Quam enim magis animadverſione hec transgreſſio digna ſit, ut decreta ſalubria & canonica per papam contempnentur, clare colligi poteſt ex canone *Damaſi* pape ſic notabiliter inquientis, Violatores ſacrorum Canonum voluntarie grauiter a ſanctis patribus judicantur & a Spiritu ſancto, inſtinctu cujus a Domino dictati ſunt, dampnantur, quia blasphemare ſpiritum non incongrue videntur, qui contra eosdem ſacros canones non ex neceſſitate compulſi, ſed libenter aliquid aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſenſerunt. Talis enim preſumptio manifeſte unum genus eſt blasphemantium Spiritum ſanctum, quia, ut jam prelibatum eſt, contra eum agi, cujus juſſu vel nutu & contra Spiritus ſancti canones editi ſunt, que verba aurea ſunt, & habentur in *c. violatores*, *XXV. q. I.* que clariſſime innuunt infidelitatem nominari qui canones conciliorum voluntarie transgrediuntur, quia vultis negare poteſtatem eccleſie, competere, quo Caſu absque heſitationis ſcrupulo tales in hereſis crimen iucidunt, ut legitur in *c. nulli fas XIX. di.* Hereticus enim eſt non ſolum, qui errat in articulis fidei, ſed etiam qui habet perverſum dogma,

vel

vel novas gignit opiniones diverſas a judicio ecclesie, ut §° *text. cum glo. in cle.* 1. *de Hereticis.* Sed idem *c. hereſis XXIIII. q. III.* hinc dixit *glo. ſingularis in c. ſacerdotes & reliqui eccleſie miniſtri II. q. VII.* Quod ſi prælati non ſervant canones poteſt ab eis recedi, ſicut ab hereticis & excommunicatis etiam ante ſententiam, per quam gloſſam & per predicta potuiſſet ſacrum concilium domino *Eugenio* Pape IIII[to]. preſenti ſubtrahere merito obedienciam ex hoc ſolo capite, quia ſine cauſa racionabili contempſit recipere decreta ſacri concilij ſuper Reformatione edita, & preſertim hoc firmandum eſt hodie ex decreto ſacri conſtancienſis concilij, quo inter cetera declarauit, & ſacra Baſilienſis & Senenſis ſinodus memorauit, quod ipſa ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata generale concilium faceret, & eccleſiam militantem repreſentans poteſtatem a Chriſto immediate haberet, cui quilibet cujuscunque ſtatus, vel dignitatis eciamſi papalis exiſtat obedire tenetur, in hijs, que pertinent ad fidem, extirpacionem ſciſmatis & ad generalem reformacionem eccleſie Dei in capite & in membris, Item declarauit ſynodus conſtancienſis, quod quicunque cujuscumque ſtatus uel dignitatis, eciamſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinacionibus, aut præceptis cujuscumque concilij generalis legitime congregati ſuper premiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condigne penitencie ſubiciatur & debite puniatur, eciam ad alia, ſi

opus

opus fuerit, juris ſubſidia recurrendo, ex quibus poſt fundatam & declaratam ſacri concilij auctoritatem in predicto reformacionis caſu ſuper ſummum pontificem. Et hoc ipſum ante id Decretum tenuit Auguſtinus ſolempnis Doctor in *c. ſed. XV. di*, ubi per illum textum dicit: Papam non poſſe venire contra conciliorum ſtatuta in hijs que pertinent ad fidem, animarum ſalutem, & ad univerſalem ſtatum eccleſie, nam talia ſtatuta habent vim & auctoritatem ſecundum IIII ewangelia ut probatur in dicto c. & prope medium ibi, quia in his velut in contradicto lapide ſancte fidei conſtructura conſurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma exiſtit. Hinc Conſtantinopolitana ſinodus una de IIII^or^. principalioribus, quas eciam velut IIII^or^. Ewangelia veneratur, edidit ad Eccleſie reformacionem ducentos & duos Canones ut habetur *in c. habeo libro XVI di.* Et Nicena ſynodus inter alias principalior volens corrigere vitam hominum in eccleſijs commorancium, impoſuit multas leges, quas Canones vocamus, ut dicit *textus in c. Nicena XXXI. di.* Et licet olim ſuper hac poteſtate Eccleſie ſupra papam varie forent inter ſcolaſticos opiniones, hodie tamen, cum habeamus trium generalium conciliorum declaracionem, conſtancienſis ſcilicet, Senenſis & Baſilienſis, omnis ceſſare debet heſitacio. Nam in declarandis ſacris ſcripturis & fide per catholicos tenenda diſpoſicio Eccleſie & ſic ſacri concilij prefertur opinionibus magiſtrorum & eciam ſummi pontificis, ut in *c. Anaſtaſius in certa glo. XIX. di.* Hinc

Hiero-

Digitized by Google

Hieronimus contra *Luciferianum* in fine ſuæ diſputacionis inquit: Poteram omnes tuarum diſputacionum rivulos uno eccleſie ſole ſiccare, de auctoritate concilij generalis loquens, & comparat concilij auctoritatem ſoli, ut ſicut ſol ſuo ardore humores rivulorum deficiat, ita concilium ſua auctoritate omnem contrariam ſuperat argumentacionem, & beatus *Auguſtinus* ad *Januarium* aſſerit generalium conciliorum ſaluberrimam eſſe in eccleſia auctoritatem, ſi ſaluberrima eſt, ſalutem continet, qui ergo auctoritati concilij contradicit, contra ſalutem agit, Idemque *Auguſtinus* in pleriſque locis hec verba aſſerit, Ewangelio non crederem, niſi me Eccleſie auctoritas commoneret, quaſi dicat, quod illa ſola dicuntur Chriſti Ewangelia, que eccleſia recipit, nam plerique eciam de Apoſtolis dicuntur Ewangelia ſcripſiſſe, ſed quia IIII[or]. tantum approbauit Eccleſia, ſcilicet generalia concilia illam repreſentancia, illa ſola IIII[or]. & non alia veneramur. Et quamquam potuiſſet ſacra ſynodus Baſilienſis ſevere procedere contra papam propter dictorum decretorum contemptum, & multa alia in citatione contenta, volens tamen uti omni manſuetudine & modeſtia, eundem Dominum papam *Eugenium* crebris vicibus per literas & nuncios hinc inde miſſos ammonuit caritative, ut dicta ſaluberrima decreta ſuſciperet, & alia ageret, que ſummum pontificem decerent, ſed cum monita non proficerent, coacta fuit ipſa ſancta ſynodus, manum ad forciora mittere, attendens, & præcauere volens illud *Gregorij*

gorij ſuper *Jheremiam*, qui dixit: Ocioſe nôn eſſe tranſcurrendum, quod uno peccante ira ſuper omnem populum venit, ſicut fuit Achor peccante, ut in Biblia legitur. Hoc enim ſecundum eum frequenter accidit, quod ſacerdotes, qui præſunt, erga delinquentes beniuoli videri volunt, & verentes peccancium linguas, ſacerdotalis ſeueritatis immemores, nolunt complere, quod ſcriptum eſt; peccantem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant, & iterum auferre malum de ſemetipſis, nec Zelo Dei ſuccenſi mutantur, apoſtolo dicente: Tradidi hujusmodi hominem in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſaluus fiat, neque illud ſtudent, Evangelia implere, ut ſi viderint peccantem, primo ſecreto corrigatur, poſt eciam duobus uel tribus teſtibus adhibitis, quodſi contempſerit, & poſt eccleſie correctionem non fuerit emendatus, de eccleſia expulſum velut gentilem habeant ac publicanum, Et dum uni parcunt univerſe eccleſie moliuntur interitum, que iſta bonitas, que iſta miſericordia eſt, uni parcere, & omnes in diſcrimen abducere, polluitur enim ex uno peccatore populus, ſicut ex una oue morbida univerſus grex inficitur. Que verba profecto aurea, & notatu digna in propoſitio noſtro habentur, in *c. ſed illud XLV. di. cita. edidit.* Canon ipſum ſummum pontificem, ut ſuper predictis & in citacione contentis, que notoria dicebantur infra certum terminum in eo contentum, per ſe vel alium apud ſanctam ſynodum compareret ſuper premiſſis & alijs proponendis excuſationes, ſi quas habe-

haberet, allegaturus. Qui quidem dictus *Eugenius* pro obediencia, quam eccleſie ſancte Dei exhibere debebat, rebellionem obtulit, negando eccleſie jurisdictionem, & diſſoluendo, quantum in eo fuit, ſacrum concilium, ſi ulterius ſuper dicta citatione procederet, illud transferendo in Ferrariam, in qua re, quantum Deum & ejus eccleſiam univerſalem offendit, pena docente, potuiſſet illico cognoſcere, niſi ſacrum concilium volens adhuc uti omne manſuetudine, preſertim ad ſupplicacionem inclite memorie *Sigismundi* quondam Imperatoris & veſtrarum Reuerendiſſimarum paternitatum atque ſerenitatum terminum in citatione contentum prorogauit, & duntaxat declarauit nullitatem illius diſſolucionis, ac eciam inſinuavit & decreuit, quod alias ſtatutum fuerat, in Decreto XI. ſeſſionis, quod ipſemet papa per ſuam adheſionem approbauerat; In quo cauetur quidem, ſi papa in futurum concilium quoquomodo de facto mutare, impedire, prorogare uel diſſoluere attemptauerit, & infra IIII menſes cum reali ſatisfactione non reſipiſceret, excommunicatus a papali adminiſtracione ipſo jure foret ſuſpenſus, que quidem papalis adminiſtracio eo ipſo ad Concilium devolueretur, & ſi penam predictam per duos Menſes poſt dictos IIII ſuſtinuerit, indurato usque ad priuacionem incluſive contra eundem per Concilium generale procedetur. Potuiſſet enim ſacrum concilium longe magis aſpere contra dictum Dominum *Eugenium* procedere, qui contempnens obedire judicio eccleſie, preſertim cum arbitra-

tur, eccleſiam non habere ſuper hoc poteſtatem, tanquam hereticus cenſendus eſt, & ulciſcendus,, quod primo ponitur ex verbis ipſius Chriſti, dum dixit *Mathei XXIII.* quod cum quis eccleſiam non audierit, habendus eſt tanquam ethnicus & publicanus. Quod apercius *Jheronimus* aſſerit *XXIIII. q. I. omnibus*, que quidem auctoritas, cum neminem excluſerit, præſertim cum tunc petro loqueretur, eciam papam includit. Nec obſtat, quod ſub nomine fratris hoc dixerit, ſi peccauerit in te frater tuus &c. quia omnes apoſtolos vocauit fratres, dixit enim ipſe Salvator omnibus apoſtolis: Vos omnes fratres eſtis, unus enim pater veſter eſt, qui in celis eſt, hinc Papa omnes Epiſcopos appellat fratres, *ut III. c. quam graui de crim. fal.* Quod eccleſia ſentit *Jeronimus* in *dicto c. omnibus;* ubi elegantiſſime dicit: omnibus conſideratis puto, me non temere dicere, alios ita eſſe in domo Dei, ut ipſi ſint eadem domus dei, que dicitur edificari ſuper petram, que unica columba appellatur, que ſponſa pulchra ſine ruga & macula, & ortus concluſus, & fons ſignatus, & puteus aque viue, & paradiſus cum fructu pomorum, que domus eciam claues accepit, ac poteſtatem ligandi & ſoluendi, hunc domum, ſiquis corrigenter corripienſque contempſerit, ſit tibi, inquit, tanquam ethnicus & publicanus, hec ille, cui quidem ſatis videtur concordare Auguſtinus *in c. quodcunque XXIIII. q. I.* ubi inter cetera ſic ait: cum excommunicat eccleſia, & in terra & in celo ligatur excommunicatus, cum eccleſia reconciliat,

manet

manet jam in celo recònciliatus, ſi ergo hoc in ecclesia ſit, *petrus*, qui claues accepit eccleſiam ſanctam ſignificauit, hec *Auguſtinus* in loco prefato. Ad predicta etiam facit *text. III. c. ſi qui ſunt LXXXI. di.* ubi dicitur, quod non obediens eccleſie ydolatrie peccatum incurrit, *Samuele* atteſtante & beato *Gregorio* inſtruente: peccatum ariolandi eſſe, non obedire, & ſcelus ydololatrie, non acquieſcere. Et *Gregorius* in moralibus & tranſſumptione *VIII. q. I.* ſciendum, ſic miſit: ſi enim quaſi ariolandi eſt peccatum repugnare, & quaſi ſcelus ydololatriæ nolle acquieſcere, ſola eſt, que fidei meritum poſſidet, obediencia, ſine qua infidelem eſſe quisquis convincitur, & ſi fidelis eſſe videatur. Et beatus *Clemens* ſic ait, qui enim rebelliter viuit, & diſcere atque bona agere recuſat, magis diaboli, quam Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis, quam fidelis eſſe monſtratur. ut habetur *XXXVIII. di in c. ſi. hinc* concluſio ſingularis de papa dixit: quod ſi notorium eſt crimen ejus quodcunque & inde ſcandalizatur eccleſia, & incorrigibilis ſit, quod poteſt de illo accuſari, ſubdens rationem, que contumacia dicitur hereſis ut in dicto *c. ſi qui probri*, & contumax dicitur infidelis *XXXII. di. Nullus &* §. *verum* nec conſtat ſecundum illam *glo. quid. c. ſi papa* præ allegatione ponat Caſum ſpecialem in hereſi, ut ea ſola poſſit papa accuſari, quia debet intelligi de occulta hereſi, & tunc eſt ſpeciale, quia de alio occulto crimine accuſari non poteſt, ſecus in crimine notorie ſcandalizante eccleſiam

modo prediĉto. Nam dominus papa non comprimendo, ſed contempnendo citationem concilij, videtur peſſime ſentire de poteſtate eccleſie, unde *glo. ne. uel alibi* dixit. quod in quibus caſibus poteſt papa judicari, concilium generale eſt judex nihilominus tamen volens ſacrum Concilium omni manſuetudine uti & patientia pro tanta rebellione contra eccleſiam, nullam penam contra papam fulminauit, licet in termino ſtatuto & poſtea prorogato non paruerit, nec infra IIII Menſes ſuam peruerſam diſſolucionem non revocauerit, ſed ſolum occaſione prediĉti decreti & ſimplicis contumacie eundem ſuſpendit ab adminiſtratione papatus & ſuſpenſum declarauit. Quam ſuſpenſionem non ſolum non recipit, ſed contemptum contemptu addendo & mala malis accumulando ea intellecta aſperrime dicitur proceſſiſſe contra patres ſacri Concilij eos exponendo prede & capture cujus cumque & priuatos dignitatibus declarando. Que res quanta animaduerſione ſit digna nemo mentis compos ignorat, Tercio ultra contemptum in non ſuſcipiendo decreta ſacri concilij & in non parendo juxta citacionis ediĉtum & in fulminando premiſſas cenſuras concilium Baſilienſe, quantum in eo fuit, diſſoluit, nec reſipuit in tempore per decretum ſibi præfixo, & ſi ex hoc diſſolucionis ſeu translationis deliĉto quilibet papa hoc faĉturus puniendus ſit modo premiſſo, ut indiĉto decreto XIe. Seſſionis longe acrius puniendus venit iſte papa, qui non ſolum nunc concilium diſſoluit, ſed eciam per prius, antequam concilium Baſilienſe naſceretur,

tur, per diſſolucionem ſuam conatus eſt illud abortivum facere, ſed timens tunc penam imminentem illam diſſolucionem reuocauit & nullas vires habuiſſe profeſſus eſt promittens proſequi ſacrum concilium omni fauore cum effectu, ut in ſua adheſione clare patet, quorum omnium poſtea inmemor, denuo illam diſſolucionem peſtiferam facere non formidauit, aſſumens hoc delictum notorium eccleſiam ſcandalizans in conſuetudinem, unde acrius ex geminato actu puniendus veniebat *XXV. q. II. Ita nos.* unde alibi dicit textus no. quod non eſt in eum humanitatis liberalitas conferenda, qui impunitatem admiſſi ſceleris pocius conſuetudini, quam emendacioni deputauit *L. II.* §. *de Epiſcopis. audi.* per quam diſſolucionem uel translacionem tria violauit decreta, primo conſtancienſe, ſecundum quod eciam cauſa translacionis ſubſiſtere debet concilium transferri ad locum ejusdem nacionis, Ipſe autem de Germania tranſtulit in ytaliam. 2do. violauit decretum concilij Baſilienſis, de quo in dicta XIa ſeſſione, ubi ſanxitum & declaratum extitit, quod Concilium actu congregatum diſſolui, aut de loco in locum mutari ſine illius concilij expreſſo conſenſu per Romanum pontificem nullatenus poſſit, caſſauitque, irritauit & annullauit, ſepius forſan in contrarium attemptaretur, quod quidem decretum tanquam editum ante ſuam adheſionem extitit, in ipſa adheſione per eundem dominum *Eugenium* approbatum. 3°. violauit ſolempne decretum in facto Grecorum editum, quod ipſe dominus *Eugenius* ſpecifice approbauit, in

quo inter cetera ad propoſitum cauetur, quod ſacrum concilium Baſilienſe deberet ſtare firmiter in Baſilea, donec Imperator Romanorum ad portum ultimum ſe conferret, & tunc infra menſem deberent patres de concilio ad locum ycomenicum tranſire, ipſe autem Dominus *Eugenius* longe ante adventum Grecorum tranſtulit concilium ad ytaliam ex eo ſolo capite, quia per ſacrum concilium fuit citatus. preterea ſi omnia predicta ceſſarent decreta, nemo ſani capitis arbitrari poſſet ſuam pretenſam diſſolucionem valuiſſe, quia cum per citacionem ſit reus & inferior conſtitutus non potuit in facto propoſito auctorizari preſertim Concilio irrequiſito, quod in illo caſu locum ſuperioris tenebat. In ſuper ſi hec diſſolucio admitteretur, fieret res peſſimi exempli, quia quilibet papa per concilium citatus eciam ſuper crimen hereſis, volens correctionem euitare, repente recurreret ad deteſtabile diſſolucionis concilij refugium, transferendo illud ad lares proprios, vel ad locum ſibi tutiſſimum; ut dominus *Eugenius* feciſſe dinoſcitur, hinc glo. in dicto c. ſi papa querit. nunquam poſſit papa ſtatuere, quod non poſſet papa de hereſi accuſari, & reſpondet, quod non, quia ex hoc periclitaretur tota eccleſia, quia eciam hereticus non poſſet per concilium ex predicta diſſolucione condempnari. 4to. dominus *Eugenius* durante concilio Baſilienſi aliud preſumpſit erigere ſcilicet in Ferraria concilium, decretum ſacri concilij editum in IX Seſſione, ubi inter cetera ſancta ſinodus omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque dignitatis

aut

aut ſtatus, eciamſi papalis, Imperialis aut regalis exiſtunt ſub obteſtacione diuini judicij & in virtute ſancte obediencie & penis contra ſciſmaticos & Judeos indictis precipit, atque mandat, ut durante ſacro concilio Baſilienſi aliam congregacionem ſub nomine generalis concilij facere non preſumant, & varias poenas apponit contra ad illud accedentes, uel illud concilium nominantes & repreſentantes apponit, ut in dicto decreto lacius continetur. Unde cum dominus *Eugenius* attemptauerit contrarium, incidit in penas ſciſmaticorum, a jure editas, ſciſmatici autem ſunt ipſo jure excommunicati, ut in *c. licet de elec.* & priuari debent ſine ſpe reſtitucionis eorum dignitatibus, ut in dicto *c. licet. & clarius in c. non vos XXIII. q. V.* Item negari non poteſt, quin ex hoc translacionis delicto ſcandalizat eccleſiam uniuerſalem, in quo caſu ipſe papa concilij judicio ſubjicitur, preſertim cum nullo modo velit ſe de hoc corrigere, ut in decreto XIe. ſeſſionis per eundem dominum *Eugenium* approbatum, & per *glo. in dicto c. ſi papa.* obmitto ſcandalum, quod toti eccleſie generauit in fulminando varias cenſuras contra patres ſacri concilij, ex eo ſolo quod ipſum citauerant, omitto varia impedimenta, que ipſe preſtitit ſacro concilio in unionis Grecorum negocio, obmitto ſimoniacam hereſim per ſuam curiam reſperſam, omnia enim ſpiritualia ibidem veluti viliſſime meretrices venalitati expoſita ſunt, Quod quidem Simonie crimen & a Domino & ab apoſtolis & a ſacris concilijs Niceno & conſtantinopolitano ſub graviſſimis penis

prohibitum eſſe, nemo eſt, qui neſciat, ſi quis omnem & pulchre per *Gregorium in c. fertur. & c. eos. 1. q. 1. & quamquam glo. in c. ſi quis pecuniam LXXIX. di.* dicat papam de ſimonia accuſari non poſſe, que ſimonia large dicitur hereſis non ſtricte, de qua papa accuſari poteſt; nam illa glo. debet intelligi, quaſi crimen Simoniæ & occultum, quia de occulto crimine papa accuſari non poteſt juſte de hereſi, ſecus cum eſt notoria, quia tunc de ea, ſcilicet de alio quocumque crimine notorio accuſari poteſt, ex quo eccleſiam ſcandalizat, ut dicit *eadem glo. in c. ſi papa.* Obmitto & multa alia in citatorio contenta, ex quibus partibus ſacrum concilium potuiſſe & poſſe ex multiplici capite ſeneriſſime procedere contra dominum *Eugenium* papam, ſed patiencia maxima ac modeſtia, ipſa ſynodus ſemper uſa usque ad hanc diem procedere ad finalem ſententiam diſtulit, exſpectando, ſi quando papa, rediens ad cor, velit agnoſcere & exequi veritatem, ſed hac manſuetudine non obſtante tot cotidie ipſe dominus *Eugenius* mala & ſcandala ingerit, canonicum concilium & clamare ipſa eccleſia compellatur ad ſerenitates veſtras in unum collectas, dicendo & repetendo thema ſuperius propoſitum: apprehende arma & ſcutum & exurge in adjutorium meum. Principes enim ſoli, ut inquit *yſidorus*, poteſtatis adepti culmina exercere debent, cum ſacerdotes per ſermonem doctrine malos inter eccleſiam poſitos comprimere non valent, ſepe enim, ut ipſe inquit, per regnum terrenum celeſte regnum proficit, ut qui inter

eccle-

eccleſiam poſiti, contra fidem & diſciplinam agunt, rigore principum conterantur, cognoſcunt enim principes ſoli Deo ſe debere, eſſe reddituros racionem propter eccleſiam, quam pro Chriſto tuendam ſuſcipiunt; Nam ſive augeatur pax & diſciplina eccleſie per fideles principes ſive ſoluatur, ille ab eis racionem exiget, qui eorum poteſtati ſuam eccleſiam credidit committendam, ut habetur *XXIII. q. V. Principes.* Et *Gregorius* ad quosdam principantes ſic ait: ſicut excellenciam veſtram hoſtilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita opem eciam inimicis eccleſie ejus omni viuacitate mentis & corporis obuiare, quatenus ejus ex utroque triumpho magis & magis innoteſcat opinio, ut habetur *XXIII. q. IIII. c. ſed.* Ad idem canon Bonifacij ut *c. principis XCVI. di.* hinc in pſalmo reſpondit principibus, dicens: ſeruite domino in timore & exultate ei cum tremore; ſeruiunt enim reges domino religioſa ſeueritate, prohibendo atque plectendo, que contra Dominum juſſa ſunt, ut *Auguſtinus* inquit *in c. ſi. eccleſiæ XXIII. q. IIII.* ſic enim agentes & in favorem eccleſie decertantes tanto largiora munera vobis tribuet altiſſimus, quanto jam largita ad ſui nominis gloriam conſpicit reuocari, ut inquit *Gregorius* in dicto *C. ſicut.* Nunc autem ad ea me conuerto, que falſo per nonnullos calumpnioſos ipſi ſacro concilio impinguntur, ajunt enim, quod non deficit per papam, quim decreta ſacri concilij vituperentur, de annatis & de electione, ſed pocius per ſacrum concilium, quod

proviſionem ipſi pape facere retardauit. 2do. quod cum multo tempore in Baſilea congregatum ſacrum concilium extiterit, nullum vel modicum fructum edidit. 3°. quod ſacrum concilium non tendit ad bonum publicum, ſed ad ſciſma perpetrandum. 4to quod manum appoſuit ad ea, quod ſolis ſummis pontificibus reſeruari ſolet. Ad primum illud, verum eſt quod nunquam dominus papa abſolute dixit, ſe velle prouiſione ſibi facta illa decreta ſuſcipere, ſed ad decretum de electione reſpondit ambigue videlicet, quod volebat expectare electiones, non enim apperiebat, quid ſentiret, ſi proximus ſuperior illas juxta decreti tenorem confirmaret, quinimo negare illam poteſtatem videbatur per *c. nonne de preſumpti.* & *XXV. di. qualis.* quantum vero ad decretum de annatis reſpondit, ſe velle illud ſeruare, dummodo prius per concilium fieret ſibi prouiſio, quod per omnes naciones & prouincias cum effectu acceptaretur, que condicio erat ita difficilis, ut pene impoſſibiliter fuerit tunc judicata, quid enim ſi una minima provincia defeciſſet, quæ huic rei noluiſſet aſſenſum prebere, an deberet tocius Eccleſie ſalubris impediri prouiſio. preterea quia difficillimum eſſet & minus honeſtum, quod ſacrum concilium mitteret per omnes naciones & prouincias ad exquirendum conſenſum, ac ſi non haberet facultatem imponendi neceſſitate, nemo eſt, qui neſciat, non enim defeciſſent juris remedia ad eorum, qui tunc reſtitiſſent, compulſionem, quamquam dici poſſit, quod hec prouiſionis petito

tam-

tamquam ab omni jure & obſeruancia incognita minus juſta fuit, in quantum deberet eccleſie conſtitui cenſuales ipſi Romano pontifici. Nam nec Chriſtus nec Apoſtoli, nec eorum ſucceſſores in illo ſummo pontificatu exiſtentes hoc petierunt, multo minus nec ipſe dominus *Eugenius* hoc petere debuit, qui plurimum in redditibus patrimonij beati *Petri* exuberat & habundat, & ſi queque ſibi neceſſitas aliquandò accideret, non deſunt ſibi immediate remedia, exigendi ſibi caritativum ſubſidium, vel decimas imponendi, prout ſui prædeceſſores nonnunquam fecerunt, ut in *cle. II. de deci.* Nam ipſi Domino pape nunc habundanti in temporalibus dare reditus eccleſiarum, nichil aliud eſt quam perdere, ſi, tamen ſua ſanctitas decreta illa liberaliter recepiſſet, ſacrum concilium in uno uel alio modo prouidendi ſuis neceſſitatibus minime defuiſſet. Quo ad ſecundum factum detractiuum ſupra ſatis Reſponſum extitit, nam habito reſpectu ea maxima, que egit circa Bohemie regnum & unionis Grecorum negocium & reformacionis materiam non magno ſed modico tempore predicta expleuiſſe cenſeri debet, obmitto tempora maxima, que fruſtra conſumpſit, cum ipſe dominus ſuper geminata ipſius ſacri concilij diſſolucione contendendo ac ſuper impedimentis preſtitis per ipſum dominum *Eugenium* in unionis Grecorum negocio, que, cum notiſſima ſint, nullius perſuaſione indigent. Circa 3m ſacrum concilium non ad ſciſma perpetrandum, ſed ad illud tollendum totis viribus intendit, quod diu viguit

&

& viget inter dictum & multorum hominum animas ex inueteratis curie Romane abuſibus, ſi enim ſacrum concilium extendiſſet ad priuacionem exuberantiſſimam procedendi manum contra eundem habuiſſet, ut ex premiſſis clare patuit, ſed tandem, ſi ſe ipſum & curiam ſuam non correxerit, decreta ſacri concilij non receperit, & auctoritatem Eccleſie non cognouerit, & ab illo conciliabolo Ferrarienſi non deſiſterit, imitabitur ſacrum concilium Leonem papam inquientem: quod quibus prodeſſe non poteſt correctio, non debet parcere obſtinato, oportet enim nos Ewangelici meminiſſe mandati, ut ſi nos oculus aut pes, aut dextera ſcandalizauerit manus, a contagione corporis auferatur, nam ſuperfluo extra eccleſiam poſitis reſiſtimus, ſi ab hijs que intus ſunt vulneramur, abicienda eſt prorſus peſtifera a ſacerdotali vigore hec patiencia, que ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit, ut legitur *XXIIII. q. III. Illud.* Alias autem non adimpletur dictum Chriſti, ut illum pro ethnico & publicano habeamus, qui eccleſiam corripientem, corrigentemque contempſerit. Nec eciam illud quod ipſe alibi ait: Vos eſtis ſal terre, quod ſi ſal terre euanuerit ad nichil valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, de omnibus Apoſtolis loquens, eciam peticionem excluſo & per conſequens nec ſucceſſore, ut aperte innuit *Iheronimus LII. c. Non omnes Epiſcopi II. q. VII.* Et dicuntur ſal infatuatum mali prelati, qui ſunt inſipidi in predicando, & fatui in delinquendo, quos

Chri-

Chriſtus dixit extra mittendos, & ab eccleſia per depoſicionem eiciendos, ut extat *glo. III. dicto. c. non omnes.* Quo ad 4^tum^ reſpondetur, quod ſi detractores peragraſſent juris campum, minime talia protuliſſent, cum fere nil ita arduum ſit in eccleſia Dei, quod per ſacra generalia concilia explicari non poſſit, vidimus enim & legimus, ſummos pontifices in cauſa hereſis, ſciſmatis & alterius criminis ad generalia concilia euocari, & ibidem aliquando ſe purgaſſe, non numquam abſolutas fuiſſe. Aliquando eciam legimus & vidimus, eos per ſacra conciſia depoſitos fuiſſe, ut *in c. ſi papa, cum glo. XI. di. III.* nunc autem cum *glo. ſua XXI. di. XVII. di.* tollitur & *II. q. VII. Item cum calami ipſe Hieronimus* refert, & *II. q. V. manda ſt.* & *c. auditum*, & *LXXIX. di.* ſi duo contra fas cuncta glo. ac eciam per ſacra concilia obedienciam ejus fuiſſe ſubſtractam, ut *Marcellino*, *Anaſtaſio*, *Liberio*, *Johanni* XII. *Benedicto* XIII. & *Johanni* XIII. ut legitur in libro conciliorum eos fuiſſe depoſitos, & creatus fuit *Alexander*, in concilio vero conſtancienſi fuit ſubtracta obediencia *Joanni*, *Gregorio* & *Benedicto*, & tandem *Gregorio* renunciante depoſiti fuerunt *Benedictus* & *Johannes*, & promotus fuit *Martinus* papa V^tus^. qui nullo modo potuiſſet eligi, ſi illi per ſacrum concilium privari minime potuiſſent, & per conſequens vacillaret electio moderni pontificis, qui in loco *Martini* ſucceſſit, Legimus inſuper Cardinales in ſinodo fuiſſe depoſitos a patribus de concilio, ut textus refert *in c. ex geſtis de cle. non reſid.* Inſuper

per

per patriarcha absque reſtitucionis venia a ſynodo Calſidonenſi fuit depoſitus. ut *in c. intantum. XXI. di.* Et eum depoſuerunt ſancti patres de Concilio, ut ibi habetur. Epiſcopos autem multos legimus & dampnatos & reſtitutos per ſacra Concilia, *ut III. c.* Et in aliquibus *l. di. & XI. q. III. ſi quis Epiſcopus. & v. q. IIII. nullus Epiſcopus.* Item ſynodus excommunicat, & ſic exercet cenſuram ecclesiaſticam *XI. q. III. certum. & in c. ſi quis Epiſcopus, & in c. ſic* dicit *de beret.* Hinc *Gregorius* vir ſanctiſſimus & doctiſſimus dixit: cunctas vero perſonas, que veneranda concilia reſpuunt, reſpuo, & que venerantur, amplector, quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſerunt, quisquis preſumpſerit abſoluere, quos ligauit, aut ligare, quos abſoluit. Apoſtoli quoque ſimul, non tantum *petrus*, primum Epiſcopum poſt diuam reſurrectionem elegerunt videlicet *Mathiam* in locum *Jude*, ut patet in actibus Apoſtolorum. Quod autem *Mathias* fuerit in Epiſcopum ordinatus, patet per illa verba pſalterij adducta per petrum; *& epiſcopatum ejus accipiet alter*, de epiſcopatu inde loquens, ut interpretatur ſcriptura in actibus Apoſtolorum„ Demum ſucceſſiue in ſingulis civitatibus Epiſcopos & presbiteros Apoſtoli ordinauerunt, Leuitas eciam per eosdem Apoſtolos ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus *Stephanus*, ſubdiaconos quoque & acolitos eciam procedente tempore ſibi conſtituit, hec leguntur *XXI. di.* §. 1. *in func.* certumque eſt Epiſcoporum cetum in locum Apoſtolorum

lorum prorogatum fore *LXVIII. d. in c. quorum vites. & in c. in nouo XXI. di. & in c. dominus. XCIII. di & in c. manus quorum de conſe. di V. cum ſimilibus.* Eadem ergo poteſtate funguntur, ut inquit *Auguſtinus* in dicto. *c. quorum vites*, & *tex. in dicto c. manus.* ubi dicitur, quod poſt aduentum Chriſti, Apoſtoli & eorum ſucceſſores Patriarchas primates poſuerunt in certis urbibus, de quibus ibi. Nonne ergo hec poteſtas a ſacris concilijs aliena eſt, quam apoſtolos & ſucceſſores exercuiſſe legimus, qui hoc non feciſſent, ſi poteſtas eis non affuiſſet, ut in ſimili dicit text. *in c. LVII. di IX. q. II.* Et nimirum, Nam & ipſa ſummi pontificis electio ipſi ſacro concilio a Domino dilata eſt, ut in *cap. ſe. LXXIX. di & in c. quia igitur. LXIII. di* & alibi quo ex diſpoſicione Apoſtolorum ordinante domino primitus Epiſcopi ſint conſtituti, ut habetur in *c. uno VIII. q. V. Preterea* ſacra ſinodus nonne ipſius ſinodi canones edidit ad correctionem eccleſie, ut dicit *text. in c. habeo libr. XXI. di.* & *in c. Nycena XXXI. di.* Audit cauſas ſpeciales eciam matrimoniales & eas defendit, ac debitam penitenciam transgreſſoribus imponit. ut *in c.* 1. *de ſponſali. & in c. certum XI. q. III. & in c. in loco V. q. IIII. & in c. quisquis IIII. q. V. ubi* probatur eciam de cauſis criminalibus contra Epiſcopos mouendis. Et nimirum nam ſi ad concilia provincialia indifferenter omnes cauſe provinciæ deferuntur, ut in *c. ſcitote VI. q. III.* eodem modo & forcius in concilio univerſali tocius univerſi cauſe deferri poſſunt, ut patet in juribus ſuperius allegatis.

Digitized by Google

tis. Nam & Chriſtus ſue ecclefie per generale concilium repreſentate uniuerſalem jurisdictionem tribuit per illa verba: ſi peccauerit in te &c. dic ecclefie, qui eciam eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, *Math XVIII.* ubi ſubmiſit Chriſtus: Amen dico vobis quecunque alligaueritis ſuper terra, erunt alligata & in coelo &c. per que verba patet, quod ſacris concilijs competit, jurisdictio eciam coactiua, quod eciam aperte ſentit *Jheronimus XXIIII. q. I. omnibus* poſſent & alia multa allegari multos ſimiles caſus comprobancia, ſed predicta ſufficiant, ut abtractoribus os obſtruatur, & hec que ad primam partem preſidio inploratiua cum juſtificacione ſacri Concilij.

Condeſcendo nunc ad 2dam. partem, que eſt 4or. rerum poſtulatiua, ſinodus enim ſacra Baſilienſis Reuerendiſſimi patres atque illuſtriſſimi principes hortatur & requirit ſerenitates veſtras, ut tamquam dilectiſſimi ſancte Matris ecclefie filij velitis, ut certe debetis, omnia decreta ejusdem ſanctæ ſynodi profecto ſaluberrima, & ecclefie Dei in capite, & in membris reformatura cum effectu recipere & recipi & obſeruari in veſtris provincijs dioceſibus & dominijs facere, & omnem ad hoc efficacem operam exhibere, ludibrioſum namque eſſet, & ecclefie ſancte Dei decolorativum, reformacionem ecclefie petere, quam omnes tanto tempore acclamauerunt, & ſuper illa decreta ſaluberrima condere, & ea poſtmodum execucioni minime mancipare, irritaretur enim plurimum altiſſimus, cum videret, ſe labijs duntaxat, & non opere

opere honorari, nec ſerviretis eidem altiſſimo in timore juxta vocem propheticam, & preſertim poſtulat & requirit per viſcera miſericordie Jeſu Chriſti & omni obſervacione poſſibili, ut ſuſpenſionis ſentenciam jam ſolempniter decretam, & declaratam contra dominum *Eugenium* papam ejus contumacia deteſtabili ac ſcandulоſa exigente efficaciter recipere, & publicacioni ac execucioni mandare, paternitates ac ſerenitates veſtre, uti debent, dignentur. Si enim, quod abſit, hanc ſuſpenſionis ſentenciam, ut poſtulat, non recipietis, profecto ſine heſitacionis ſcrupulo jam tota eccleſie auctoritas contemptibilis reddetur, adimetur facultas huic ſacro concilio Baſilienſi, & ſpes ad ulteriorem reformacionem eccleſie procedere intimidabuntur & tardiores fient patres ammodo ſacra concilia celebrare, cum viderint, ſaluberrima decreta contempni, & animaduerſionem erga contumaces & delinquentes non admitti, & qui nequam ſunt, efficientur nequiores, cum viderint contempnentes eccleſiam Dei impune abire, ſequelam habere & favores inordinatos, ſi enim facilitas venie incentiuum tribuit delinquendi, quid ſperandum eſt, cum non modo venia delinquenti datur, ſed oportunitas & audacia delinquendi ſupra modum ſcandeſcet & gloriabitur ipſe dominus *Eugenius*, nec amplius ſperandum eſſet de ipſius reſipiſcencia, cum viderit eccleſiam contempnendo habere favores & ſequelam. Jam ſaluberrimum decretum conſtancienſe *frequens* quidem eſt in Dei eccleſia ita neceſſarium ſicut ocu-

lus in capite, exulabit, ejus nomine effectus fruſtrabitur, ex quo ipſius depoſicio ita ſalubris, nec quo ad poteſtatem conciliorum, nec quo ad formam celebrandi concilia obſeruaretur. Aduertite queſo ad illud *Gregorij* ad Juſtinum Imperatorem. inquientis: quod ſicut humilitatis & penitentibus locum venie denegare non debemus, ſic in contumacia perſiſtentibus ſeueros nos eſſe conuenit, hec ille. Nam canes latrant pro Dominis ſuis, ut inquit *Jheronimus*, quanto nos forcius omnes latrare debemus pro Chriſto & ejus ſponſa pulcherrima, eccleſia ſcilicet uniuerſali, quam ita Chriſtus dilexit, ut corpus induerit ſeruile & deſcenderit de altis celorum ad yma terre pro hominum ſalute & ipſorum inſtructione. Cauete inſuper queſo contrarium facientes, ne in die juſti examinis vobis improperetur, quod in *Ezechiele* propheta deſcribitur; cur non aſcendiſtis ex aduerſo, neque appoſuiſtis eos murum pro domo Jſrael ut ſtaretis in prelio in die domini, ex adverſo quippe aſcendere eſt, ut inquit *Gregorius XLIII. di. ſi recordor.* pro defenſione gregis domini voce libera precantibus contrarie, & in die domini in prelio ſtare eſt, pravis decertantibus & juſtitie amore reſiſtere. Nam ut inquit canon: Error, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas, cum minime defenſatur, opprimitur, negligere quippe cum poſſis turbare peruerſos, nichil aliud eſt quam fouere, *LXXXIII. di. Error.* Conſiderare enim oportet, quod belliſſime *Auguſtinus* inquit, Nemo quippe in eccleſia amplius nocet,

quam

quam qui peruerſe agens, nomen vel ordinem ſanctitatis & ſacerdotis habet, delinquentem namque hunc redarguere nullus preſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quaſi pro reuerentia ordinis peccator veneratur, Epiſcopus itaque qui talium crimina non corrigit, magis dicendus eſt canis impudicus, quam Epiſcopus, ut leguntur eadem *di. in c. nemo quippe.* Neque illuſtriſſimi principes & Reverendiſſimi patres Juramentum, ſi quod per dignitates veſtras ipſi domino *Eugenio* preſtitum eſt, aut in aſſumptione veſtra aut poſtmodum huic ſancte ſinodo preſtolacione quoquo modo abjurare credendum eſt, nam tale juramentum non ut perſone priuate, ſed ut publice & in dignitate apoſtolica conſiſtenti preſtitum eſt, quam ob rem eo a dignitate illa depoſito vel ſuſpenſo juramentum preſtitum ad illi obſequendum vos minime aſtringet, quin ſuſpenſo vel ſequeſtrato dignitatis exercicio ſuſpenditur & ſequeſtratur juramenti execucio, ut clare videtur probare *in c. venerabilem in fi. de electione &c.* ubi clare habetur, quod domino excommunicato abſoluuntur vaſalli ipſa excommunicatione durante a fidelitatis & ſeruiciorum preſtatione, forcius hoc dicendum, quia formaliter qui ſuſpenditur a ſua dignitate, & preſertim cum adminiſtracio dignitatis ad alium eo tempore deuoluitur, quemadmodum in noſtro caſu papalis poteſtas ad ſanctam ſynodum deuoluta eſſe dinoſcitur; Nam tunc actus & execucio juramenti deuoluitur ad ſanctam ſinodum, cum ſit quid acceſſorium ad adminiſtracio-

nem & execucionem dignitatis ut in ſimili aperte probatur ex dicto *Auguſtino ſuper 1am epiſt. ad hebreos* translato ſacerdocio, neceſſe eſt, ut legis translacio fiat &c. Hinc eciam dicimus quod juramentum reale, quale dinoſcitur eſſe, veſtrum eſt perpetuum ex parte cui præſtatur, qui ſcilicet tranſit de ipſo in ſucceſſorem in illa dignitate ac ſi illi ſucceſſori ſpecialiter juraſſet, ut aperte legitur *in c. veritat. de jure juran.* unde illius juramenti occaſione non ipſi domino *Eugenio* a dignitate papali ſuſpenſo, ſed ſacro ſancto concilio Baſilienſi, in quod poteſtas papalis devoluta eſt, obedire tenemur. Ex contrario enim ſequeretur abſurdum quod pape heretico uel eccleſiam uniuerſalem confundere volenti tenerentur epiſcopi racione juramenti obedire, & quod non obedientes *Johann. XXIII.* tempore ſue capture in cenſuram vel pocius ejus depoſicionem incurriſſent perjurium, & idem de hijs, qui jurarunt *Benedicto* aut *Gregorio*, quod nunc cenſendum eſt racionibus predictis, nec juramentum fuit ad inuentum, ut eſſet iniquitatis vinculum, ut *in c. quanto de jure juran.* quinymo intelligitur preſtitum ſub tacita condicione, ſcilicet ſi res in eodem ſtatu permanſerit, quo erat tempore juramenti, ut *in c. ecce Xc. de jure jur.* Et *eſt glo. in c. nos ſanctor*, quod eciam quo ad execucionem contractus propter exercitacionem ſupereminentem ſuſpenditur juramentum. Preterea juramentum ſimpliciter alicui preſtitum non extenditur ad cauſam futuram veriſimiliter non cogitatam tempore juramenti ut legitur & videtur

detur

detur *in c. cum inter p. remun. de jure jur.* Dominus autem *Eugenius* ſuſpenſus eſſe dinoſcitur propter ejus contumaciam nimiam in non comparendo ad citationem eccleſie & non reuocando ſuam pretenſam diſſolucionem concilij juxta formam decreti concilij ſacri Baſilienſis, que omnia innouata commiſſa & perpetrata per ipſum dominum *Eugenium* poſt juramenta a veſtris ampliſſimis dignitatibus eidem domino *Eugenio* preſtita fuere. Item eciam ſuſpenſione ceſſante non eſt pape obediendum, cum aliqua in ſe mala precepit, vel cum ex ejus mandato veriſimili timetur futurum ſcandalum, ut nominatus dicit *Inno. in c. inquiſicioni de ſentencia &c.* & in c. ſi quando de Ro. Pont. & alibi nominatus dicit Idem Inno. Quod non eſt papa ſuſtinendus ſi ſine magna & racionabili cauſa & alijs nota vult venire contra univerſalem ſtatum eccleſie, nec quemquam moueat, quod papa ſuſpendi non debeat, cum & univerſalis ſinodus conſtancienſis in decreto ſuo in nonnullis caſibus ipſum eciam papam ſuſpendit. Et quemadmodum poteſt pape ſubtrahi obediencia, & in totum deponi per concilia univerſalia ut ſupra prelibatum eſt, ita & forcius ſuspendi, quinymo non modo ſuspendi, ſed eciam excommunicari poteſt papa per univerſalem eccleſiam per illa verba & auctoritate Chriſti, ut ſiquis eccleſiam corrigentem, & corripientem non audierit, habendum precipit tanquam ethnicum & publicanum. Nam per illa verba jubet Dominus, excommunicationem ferri contra contempnentem eccleſiam, ut nominatus

 dicit

dicit textus *in c. Nondum XXIIII. q. III.* que auctoritas eciam locum habet contra papam, ut prelibatum eſt. 2do. Sancta ſinodus eadem Baſilienſis poſtulat, & requirit, ut velitis dare omnem operam; & omne ſtudium, ut nemo de prouincijs, dioceſibus atque dominijs veſtris proficiſcatur ad illud pretenſum concilium Ferrarienſe quod pocius conciliabulum & ſciſmaticorum conuenticulum appellandum eſt, ut in decreto ſacri Baſilienſis concilij VIII. ſeſſione edito continetur. Nam ſicut unica eſt eccleſia catholica Chriſto prius ſponſo dicente: una eſt columba mea, & fidei articulo hoc profitente, ut habetur *in c. factus & in c. novacianus* editis a *Gregorio VII. q.* 1. *& in c. loquitur. & in c. ſciſma. XXIIII. q. I.* Eſſe non poteſt niſi unitum generale concilium ipſam ſanctam eccleſiam catholicam repreſentans quod ut ex predictis colligitur hoc tempore congregatum eſt in urbe Baſilienſi nacionis Germanice. Et quemadmodum non poſſunt eſſe duo apoſtolica ſine leſione illius articuli fidei, & unam ſanctam eecleſiam. ut *nō glo. in c. non autem VII. q. I.* Ita nec duo concilia univerſalia absque ejusdem articuli fidei leſione, cum repreſentans debeat correſpondere repreſentato. Et prochdolor ipſe dominus *Eugenius*, qui ſciſma ſemper ſacro Concilio improperat, in ſciſma nephandiſſimum incurrit id conciliabulum erigendo, nec poſſent ſerenitates veſtre nec quicumque alii ſine generali delicto in utroque loco Baſilienſi ſimul & Ferrarienſi reputare, vel credere concilium generale fore, quia unitas eccleſie non capit diui-

diuiſionem, nec in hoc eciam ſimplicitas uel ignorancia excuſat, ut eſt *text. cum glo. in c. ſciſma XXIIII. q. I.* 3°. hortatur plurimum ac requirit, ut vos maxime patres Reuerendiſſimi & illuſtres omnes, qui eſtis de principalioribus eccleſie uniuerſalis columpnis & Chriſti legati, velitis non deeſſe eccleſie Dei in tanta neceſſitate, ſed dignemini principaliter ad illam ſanctam Baſilienſem ſynodum accedere & una cum alijs patribus neceſſitatibus eccleſie occurrere, & ſi impedimento juſto detinemini, placet ad juris antiqui & decretorum ſacri Concilij Baſilienſis diſpoſicionem & cenſuram nuncios ſolempnes veſtro nomine ad illam deſtinare, qui in cunctis vices veſtras laudabiliter exequantur; Et ad idem rogat & obteſtatur eciam hos Principes illuſtriſſimos ſeculares auiſando ſerenitates veſtras, quod omnes Chriſtianitatis principes in illa Baſilienſi ſynodo oratores habent, illam duntaxat univerſalem ſynodum recognoſcunt ibidem cum alijs patribus in vinea domini deſudant,„ 4to plurimum exhortatur veſtras dignitates ampliſſimas eadem ſancta ſynodus, ut velitis interponere vices veſtras, ingenia, vires & potenciam, ut itinera ad illam ſanctam Baſilienſem ſynodum accedendi ſint liberrima ac tutiſſima, & tam illos clariſſimos ciues Baſilienſes, quam omnes communitates finitimas, honorem, fauores optimos illi ſancte ſyndo ardenter impendant, quemadmodum hactenus Deo fauente verbis & operibus exhibuerunt, & hec de ſecunda parte principali.

Tercio cum paternitates ac ſerenitates veſtre Reuerendiſſime in hunc locum francfordenſem pro futuri Romani Regis electione conuenerint, obſecrat plurimum & hortatur illa ſancta ſynodus feruorem vobis in hac re vehementer laborantibus ingerere, cupiens, ut in talem ad tantum faſtigium promouendi unanimi voto, uno ſpiritu & laudabili concordia vota & deſideria veſtra velitis dirigere, per quem & Imperio ac juribus ſuis pene collapſis ſit bene conſultum, & eccleſia uniuerſalis non careat catholico advocato, protectore, ac defenſore, Non enim ſanctam ſynodum latet, quantum per Catholicos Imperatores profecerit & creuerit eccleſia ſancta Dei. Nam ut atteſtatur *Iſidorus*, canones Generalium conciliorum a temporibus *conſtantini* ceperunt, in precedentibus namque temporibus perſecucione feruente docendarum plebium minime dabatur facultas, chriſtianitas in diuerſas hereſes ſciſſa eſt, quia non erat Epiſcopis licencia conueniendi in unum, niſi tempore ſupradicti Imperatoris, hic enim *conſtantinus* facultatem Chriſtianis dedit, libere congregari, ſub hoc eciam ſancti patres in Concilio Niceno de omni orbe terrarum conuenientes juxta fidem Ewangelicam & Apoſtolicam poſt apoſtolos ſimbolum tradiderunt, in qua ſynodo arriane fidei condempnata eſt blaſphemia,, 2da. univerſalis ſynodus ſub *Theodoſio* ſeniore in Conſtantinopoli congregata eſt, extitit, in qua *Macedo* hereticus & ſequaces condempnati fuerunt,, 3a. ſinodus Epheſina ſub minori *Theodoſio* Auguſto edita Neſtorium

anathe-

anathematizauit„ 4ta ſynodus Calciodonenſis ſub *Marciano* principe habita eſt, in qua Eutychetis hereſim cum reliquis hereticis una Patrum ſentencia dampnauit. Iſte enim 4tuor ſancte ſinodi multas hereſes profugarunt, & totam eccleſiam catholicam illuſtrarunt, & ſicut IIIIor. Ewangelij libros ita hec IIIIor. concilia eccleſia Catholica veneratur & amplectitur; quia in his velut in quadrato lapide ſancta fidei ſtructura conſurgit, & cujuslibet vite atque actionis norma conſiſtit, ut legitur *in C. Canones & in c. ſicut XV. di.* Ipſi principes Catholici dederunt facultatem liberam catholicis collegijs bona relinquendi, per principes catholicos eccleſia Romana decorata & dotata extitit, & plures, alie pene infinite, ad ipſum denique Imperatorem pro temporalibus habet refugium, ſicut Imperator ad Eccleſiam pro rebus ſpiritualibus, ut *in c. cum ad verum &c. Duo ſunt XCVI. di.* Et dum apud Catholicos principes Romanum viguit Imperium, hereſes jugiter ab eccleſia Dei exularunt.

Quarto & ultimo illa ſancta ſynodus ſe promptiſſime exhibet, ad omnia, que huic ſancte electioni accommoda & oportuna eſſe poterunt, & eciam poſt electionem usque ad aſſumptionem diadematis Imperialis. Omni igitur cum fiducia tam pro hijs ſanctiſſimis negocijs, quam pro veſtris ampliſſimis dignitatibus ac perſonis placeat illa ſancta ſynodus uti ad omnia commoda & placita, profecto horum contemplacioni nulli rei illa ſancta ſynodus quan-

Digitized by Google

tumcunque grauiſſime, quantum cum Dei honore poterit, cedet, ſed veſtre manſuetudinis, nobilitatis, dignitatis, atque fidelitatis erit, illam ſanctam ſynodum venerari, honorare, & amplecti, prout decet tantos Reuerendiſſimos patres & catholicos principes. Sperat enim illa ſancta ſinodus in domino, quod ſine fine verificabitur illud *Hilarij* dictum in *libro de Trinitate* inquientis: Quod hoc proprium eſt eccleſie, cum perſequitur, floret, dum opprimitur, creſcit, dum contempnitur, proficit, dum arguitur, intelligit, tunc ſtat, cum ſuperari videtur, hec ille. Et tanto forcius hec Dei Eccleſia proſperabit, quanto veſtro inclito preſidio utetur, pro quo quidem preſidio veſtro ipſi uniuerſali Eccleſie impendendo non modo in hoc ſeculo gloriam conſequemur, ſed eciam maximam mercedem in futuro, quod Chriſtus intuitu ſue dilectiſſime ſponſe concedere dignetur, Amen.

XIII.

SYNODVS BASILIENSIS VNIVERSITATI ERFORDIENSI SCRIBIT, NE QVEMQVAM SVORVM AD CONVENTVM FERRARIENSEM ABLEGET.

Sacroſancta Generalis ſynodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitime congregata Univerſalem Eccleſiam repreſentans Dilectis Eccleſie filijs Rectori, Doctoribus, Magiſtris, ceterisque ſuppo-

ſitis

Digitized by Google

ſitis Univerſitatis Erfordenſis ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Deſideramus plurimum univerſos chriſtianos ſed precipue Viros litteratos, qui ſuper plebem Dominicam tanquam ſydera ſplendentia relucere debent, earum rerum habere notitiam certiorem, que pro ipſius Eccleſie ſanandis languoribus & publica ſalute Cleri ac populi Chriſtiani in hac ſancta ſynodo peraguntur. Publicata ſunt quidem duo Decreta ſaluberrima ſuper ordinata & juſta collatione beneficiorum deinceps exercenda, absque ulteriori conceſſione gratiarum exſpectativarum, ex quibus animarum pericula & alia diſcrimina provenire ſolita, atque etiam ſuper cauſis coram ſuis judicibus tractandis, per que decreta ſaluti animarum paci & tranquillitati cunctorum Deo aſpirante providebitur, ceſſabuntque innumere vexationes Regnorum & Provinciarum ac perſonarum & inordinationes plurime que per abuſus varios hactenus viguerunt ſicuti plenius intelligetis ex inſpectione decretorum ipſorum, quorum tenorem veſtris devotionibus transmittimus, ceterum hec ſancta ſynodus perſpexit cum dolore quanta adverſus ſalutem Univerſe Eccleſie Dominus *Eugenius* Papa IIII. jugiter agere perſeverat, qui jam pluribus annis reformationi ipſius eccleſie quam totus orbis diu deſideravit & pro qua obtinenda jam tria generalia Concilia Conſtantienſe, Senenſe & hoc preſens Baſilienſe congregata fuerunt, varijs modis reſiſtere compertus eſt, abuſus & difformitates confovendo in prejudicium Eccleſiarum & totius ſtatus

Eccle-

Eccleſiaſtici atque inſuper diſſolutionem hujus Concilij bina vice attemptare conatus eſt in grave ſcandalum totius populi Chriſtiani, ut voluntatem ſuam liberius implere valeret quam voluntatem Dei, cujus ordinationi ſubmittere debuerat ſed & inſuper graviora gravioribus addens illud pretenſum Concilium in *Feraria* erigere conatur durante preſenti Concilio Baſilienſi, cui univerſi Principes chriſtianitatis adheſerunt & incorporati ſunt & quod ipſemet Dominus Eugenius approbavit introducens eo modo ſciſma pernitioſiſſimum & quantum in ſe eſt duo concilia univerſalem Eccleſiam repreſentantia introducens, cum una ſit ſancta Eccleſia Katholica non eſſe poſſit niſi unum univerſale Concilium ſicuti ante quadriennium etiam ante ipſius Domini Eugenij adheſionem hec ſancta ſynodus ſolemni decreto decretavit expreſſe decernens, ſi quod aliud concilium durante iſto erigi contingeret, non illud fore Concilium ſed ſciſmaticorum conventiculum. Inducit vero Dominus Eugenius hoc pacto ſciſſuram inter Chriſtianos graviſſimam ut qui illi pretenſo Concilio alij huic ſancte ſynodo adhereant, unde plurima prejudicia fidei orthodoxe & religioni chriſtiane ſequi poſſent niſi provideretur in adverſum, & preterita eſtate hujus diviſionis ac ſciſſure jam ipſe poſuit initia, dum poſtquam galeas & alia neceſſaria pro conductione Grecorum paraveramus & miſeramus, ipſe alias Galeas in Greciam miſit diviſionem eccleſie latine in oculis Grecorum ipſorum aperiens in magnum impedimentum unionis proſequende, cui

tantis

Digitized by Google

tantis laboribus & ſumptibus hec ſancta ſynodus hucusque incubuit, ad quam etiam pertinet nominatio loci pro Concilio cum Grecis celebrando atque portus ad quem venire debuerint ex conventione cum ipſis habita decreto deſuper per nos cum eis ſolemniter edito & per ipſum Dominum Eugenium expreſſe approbato, ſed & que per eum atque ſuos in illa re geſta ſunt, plenius veſtre devotiones intelligent, cum oratores noſtri nuper de Grecia ſuam relationem peregerint, que ut arbitramur & ſatis informati ſumus, multa ſiniſtra ex adverſo perpetrata continuabit; nec adeo graviter Chriſtianitatem univerſam turbare formidavit prefatus Dominus Eugenius, ut obedientiam huic ſacro Concilio debitam ſubterfugiens alterum Concilium in eo loco Italie, qui ſibi magis placuerit erigere atque hoc modo reformationem evitare, correctionem effugere & libitum ſue voluntatis in omnibus adimplere poſſit, que ulterius diſſimulare non valens hec ſancta ſynodus neque differre quo minus publice ſaluti Eccleſie & Chriſtianorum, pro qua congregata extitit, in nomine Chriſti proviſionem apponat ſalutarem ipſumque Dominum Eugenium inducere laboret ad id agendum quod pro ſalute anime ſue & ceterorum tenetur efficere & quanquam adverſus rigidius procedere licuiſſet attentis pluribus dilationibus que ſibi ſub ſpe emendationis & correctionis indulte ſunt & illis conſideratis que interim ipſe peregit, tamen ſancta ſynodus eadem pro ſua manſuetudine tantum ad ſuſpenſionem ejus ab adminiſtratione Papali

Digitized by Google

li quam ei jam poſt lapſum termini ſibi aſſignati incurrerat, ad preſens procedere duxerit, ne per Pontificiam adminiſtrationem ipſius graviora ſemper ſcandala inducere poſſit & ut per eam ad ſemitam ſalutiferam deducatur & univerſali bono Eccleſie Dei non tantum pro hoc tempore ſed & pro diebus futuris conſulatur. Mutabimus autem cum preſentibus veſtris devotionibus formam decreti una cum alijs ſuper ipſa ſuſpenſione editi, ubi ſeriem rerum geſtarum & in juſtitiam hujus ſancte ſynodi atque gravitatem contumacie ipſius Domini Eugenij lucidius poteritis intueri. Adjuvent itaque caritates devotiſſime in ſuis neceſſitatibus eccleſiam ſanctam Dei & ſicut publica utilitas expoſcit, diligere ac fidelem operam impendere curetis, ut decreta ſalubria pro ſalute cunctorum in hac ſancta ſynodo edita in debitam executionem deducantur nec prefato Domino Eugenio durante hac ſuſpenſione aliqua preſtetur obedientia, ut ſic impellatur ad reddendum ſalutiferam pacem & tranquillitatem univerſo Clero & populo Chriſtiano, ſuper addita quoque decreta & juſtitiam hujus ſancte ſynodi omnibus de quibus expedierit & vobis viſum fuerit communicare, intimare & publicare ſtudioſe curetis, ut in publicam cunctorum deducantur notitiam atque inſuper aliquos ex vobis Doctores, Magiſtros & Viros litteratos veſtre univerſitatis ad hoc ſacrum Concilium dirigere non obmittatis & matrem omnium univerſalem Eccleſiam hic legitime congregatam filialibus obſequijs & auxilijs in hoc tempore neceſſitatis fovere

vere non deſinant ſed ei paratiſſime ſuccurrant, nec aliquos viros univerſitatis ad prefatum Ferrarienſe conventiculum quovis modo accedere permittatis, ne ipſius Eccleſie authoritas & fidei Catholice integritas ex erectione dicti Ferrarienſis Concilij confuſionem aliquam diebus noſtris patiatur, ſed poſt agitationes & temptationes varias in optimum ſtatum reſurgere valeat univerſa Chriſtiana religio ad Gloriam Altiſſimi creatoris cunctorum qui veſtras devotiones in omnibus dirigere & feliciter conſervare dignetur. Datum *Baſileæ* VIII. Jdus februarij Anno a Nativitate Domini MCCCCXXXVIII.

XIV.

PROPOSITIO FACTA PRINCIPIBVS S. R. I. ELECTORIBVS PER ARCHIEPISCOPVM PANORMITANVM &c. EX PARTE CONCILII BASILEENSIS MISSOS.

Reuerendiſſimis in Chriſto patribus & dominis dominis Archiepiſcopis & excellentibus Principibus ſacri Romani Imperij Electoribus dominis ſuis preſtantiſſimis.

Reuerendiſſimi in Chriſto patres ac Illuſtres principes & domini domini noſtri preſtantiſſimi! proficiſcuntur ad veſtras Reuerend. & illuſtres Dominaciones Reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini *d. L.* Patriarcha Aquilegenſis *N.* Archiepi-

epiſco-

epiſcopus Panormitanus, & *franciſcus* Epiſcopus Barmienſis Ambaſſiatores preſentis ſacre generalis ſinodi Baſilienſis per eandem ſinodum ad veſtras Excellencias deputati eas informaturi de omnibus ſtatum & auctoritatem univerſalis eccleſie ac exaltacionem fidei concernentibus. Et quoniam ipſa ſacra ſynodus hijs ſuperioribus annis tam pro procuranda pace uniuerſis Chriſticolis, extirpandis hereſibus, quam eciam reductionem Grecorum ad unitatem eccleſie, quam quam defecerint, quod non ſperavimus, diverſa graviſſima & ineuitabilia debita contraxit, in quibus nos cum ipſo ſacro concilio veluti ipſius membri potiſſimum pro bono univerſalis eccleſie debitores nos reddidimus; Commiſimus ea propter dominis patriarche & Epiſcopo nonnulla veſtris Reuerend. patribus & dominis exponenda; Quare hortamur easdem veſtras Reuerend. paternitates & excellentiſſimas dominaciones, atque ſupplicamus eisdem obnoxius, ut prefatis patriarche & Epiſcopo in hijs, que hac in re per eos veſtris excellencijs noſtri parte referre contigerit, velitis veluti nobis junctim, ſi conſtitueremur, adhibere credentia plenam fidem; Et ut Deo & eccleſie obſequendo fidem promiſſam, quantum ad nos pertinebit, creditoribus cunctis ſeruare poſſimus, veſtra liberaliſſima fauores & obſequia impertiri & conſenſum benignum, prout vos requiri continget adhibere, ut ſic eccleſia uniuerſalis veſtrarum paternitatum & nobilitatum digna merita & liberalitatis obſequia magnifica in eas a felicis memorie ſuis

prede-

predeceſſoribus laudabiliter propagata altis in domino laudum preconijs attollere, & ſi quando oportunitas ſe obtulerit, congruis retribucionibus recompenſare memoriter aſtringatur, Datum *Baſilee* ſub ſigillo inclite Nacionis Germanice V. Menſis Marcij Anno &c. XXXVIII.

Veſtrarum paternitatum & excellenciarum deuoti oratores prelati, doctores & ceteri in ſancta Baſilienſi ſynodo inclitam nacionem Germanicam facientes & repreſentantes.

XV.

NATIONIS GERMANICÆ IN CONCILIO EXISTENTIS LITTERÆ AD COLLECTORES ET CVSTODES PECVNIÆ IN CONSTANTIENSI, CVRIENSI, BASILIENSI ET LAVSANENSI CIVITATIBVS ET DIOECESIBVS COLLECTÆ, EAM VT PERSONIS A CONCILIO NOMINATIS TRADANT.

LITERA APERTA.

Preſidens Prelati & Doctores alijque inclitam Nacionem Germanie in ſacro Generali Baſilienſi Concilio facientes & repreſentantes omnibus & ſingulis Executoribus & ſubexecutoribus Indulgenciarum Chriſti fidelibus dudum pro Grecorum reductione manus adjutrices porrigentibus ab eodem ſacro concilio conceſſarum capſarumque ſiue

Digitized by Google

truncorum propterea poſitorum, clauigeris nec non depoſitarijs pecuniarum, que ex ejsdem indulgencijs pia largicione fidelium prouenerunt & collecte habentur In conſtancienſi & curienſi ciuitatibus, Illarumque & Baſilienſis ac Lauſanenſis dioceſium ſaltem in nacione prefata conſtitutis opidis, Caſtris, Terris, villis & locis communiter vel diuiſim deputatis & ipſorum cuilibet ſalutem in domino ſempiternam. Quia prefatum ſacrum concilium tam pro eorum de reductione Grecorum & orientalis eccleſie, quam varijs alijs cauſis fidem & exaltacionem univerſalis eccleſie communemque univerſorum fidelium ſalutem & utilitatem concernentibus jam centum milia ducatorum & amplius aſcendencia debita a diuerſis creditoribus mutuo recepta contraxit, quibus una cum ipſo ſacro concilio, cum quo nos veluti ipſius potiſſimum membrum debitores exiſtimus, ſatisfacere fide per nos pollicita perurgemur, hinc eſt, quod ex parte dicte nacionis nos omnes & ſinguli unanimiter ſinceris affectibus, quantum valemus & poſſumus, vos & veſtrum ſingulos preſentibus requirimus & hortamur in domino, quatenus vos & ſinguli veſtrum omnem ex hujusmodi indulgencijs apud vos ubicumque collectionem & ſub veſtris, cuſtodia & clauſuris conſeruatum hujusmodi pecuniam dilectis eccleſie filijs & earumdem pecuniarum collectoribus & ſublevatoribus per ipſum ſacrum concilium in preſenciarum deputatis & deſtinatis preſens oſtenſoribus velitis prout corde gerimus in preſenti noſtro & ipſius eccleſie neceſſitatis articulo

culo realiter tradere & in numerata pecunia indilate preſentare & aſſignare, ſignificaturi, quantum vos & quiuis veſtrum illis curauerit tradere & aſſignare, In qua re debitam Deo & eccleſie & ipſi ſacro concilio obedienciam exhibebitis & nobis gratiſſimam complacenciam loco & tempore, ſi umquam oportunitas ſe obtulerit, recognoſcendam oſtendetis. Datum *Baſilee* &c.

XVI.

SEQVITVR RESPONSIO PER ORATORES REGIS, ROMANORVM ALBERTI ET PRINCIPVM ELECTORVM IMPERII DATA NVRENBERGE AMBASIATORIBVS SACRI CONCILII BASILIENSIS IN FESTO SANCTE MARGARETE 1438. SVPER HIIS QVE PROPOSITA FVERVNT EX PARTE EIVSDEM CONCILII CORAM REGE ROMANORVM PREDICTO.

Ad ea Reuerendiſſimi Patres qüe ex parte ſacri Baſilienſis Concilij a Sereniſſimo Domino noſtro Romanorum Rege & illuſtriſſimis ſacri Romani Imperij Electoribus in preſenciarum expetuntur, prout in cedula per eosdem Reuerendiſſimos patres veſtris paternitatibus oblata plenius continetur. Ex parte prefatorum Sereniſſimi principis & illuſtriſſimorum ſacri Romani Imperij electorum reſpondemus: Qui quia inter prefatum ſacrum concilium & ſanctiſſimum Dominum noſtrum pa-

pam *Eugenium* graues ſunt diſcordie ſuſcitate, propter quas ipſe Dominus noſter eciam pecunias, que inter alia petuntur, certis penalibus litteris duxit arreſtandas, aliaque mandata fulminaverit, que multum adverſantur, petuntur peticionibus veſtris ex parte ſacri Baſilienſis concilij oblatis inter hec aduerſa fluctuantes ad certam proteſtacionem confugierunt, cujus effectus eisdem ſacro concilio non eſt incognitus. Ac deinde inter ſacrum concilium ac ſanctiſſimum Dominum noſtrum viribus hujusmodi proteſtacionis inherentes atque tractatum pacis & concordie diligenti ſtudio inchoantes, laborantesque per media ſuorum oratorum ab eodem ſanctiſſimo domino noſtro ſuper non nullis medijs pacis & concordie benignum obtinuerunt reſponſum ipſis ante per ſacrum concilium pollicitum & nunc iterum dominis noſtris electoribus in quadam litera credenciali promiſſum. Sic itaque tractatu premiſſo pendente, cum ex forma proteſtationis, tum ex ſerie agendorum expedit per prefatos dominos noſtros Regem Romanum ac ſacri Imperij electores ab omni partialitatis & ſuſpicionis ſpecie penitus abſtineri. Quique tractatum pacis & concordie diligentiſſime ceptum ſollicite proſequi intendunt, ob id dietam conuencionis ſue ſaluberrime indicere, illamque eidem ſacro Concilio ac ſanctiſſimo domino noſtro denunciare, quatenus ad hanc ſuos cum pleno transmittant mandato legatos atque nuncios, ubi parati ſunt, velut ad Catholicos & orthodoxos ac fideles ſancte matris eccleſie ſancteque ſedis apoſtolice prin-

Digitized by Google

principes pertinent, omnia ſalubria media aperire ac interſerere, per que hujus diſcordie materia poterit amputari ſciſſura in eccleſia Dei preveniri ac ſciſma, unio conſeruari, atque ſe per omnia gerere, ab omnibus abſtinendo, que ipſos circa ſacrum concilium vel ſanctiſſimum dominum noſtrum quomodolibet poſſint reddere parciales vel ſuſpectos; ut fiducialius tanquam mediatores poſſint interuenire in omnibus honorem concilij & ſancte uniuerſalis Eccleſie ac ſedis Apoſtolice pro viribus ſuis augere & defenſare, obſecrantes ex parte prædicta: Quatenus Reſponſum ſacri Concilij ſuper requiſicione prefati domini noſtri Regis & electorum dudum policitum, & per vos preclariſſimos oratores ſacri concilij in vim credencie veſtre reſervandam aperire velitis; Quatenus tractatum jam ceptum ad honorem & laudem omnipotentis Dei & eccleſie ſue ſponſe ſpecioſiſſime ſancteque ſedis Apoſtolice feliciter conſequi valeant & ſaluberrime terminare.

Verum Reverendiſſimi Patres, quia videtis multos, quos preſens veſtrarum peticionum tangit negocium, fore abſentes, cumque res, que in preſenciarum geritur, & ſpectatur, ne dum unius ſit, regni, unius metropolis, unius dioeceſis, unius principis, nec alicujus rei particularis, ſed totius Chriſtiane Religionis, quam his diebus ſciſmatis diſſidio turbari, nimium foret periculoſum, urgentque non modicum in Chriſtiane Religionis detrimentum, multarum animarum periculum, eccleſiaſtice libertatis exterminium, Romani

Imperij per impendendum reipublice execrabile diſſidium & multorum homicidiorum occaſionem. Nos tanquam oratores sereniſſimi Principis atque domini Romanorum Regis ac illuſtriſſimorum ſacri Imperij Principum electorum, ad quos tota Germania ſuum dirigit reſpectum & tanquam amatores pacis & unionis in eccleſia ſancta Dei exhortamur & obſecramus veſtras Reverendiſſimas Paternitates eciam per viſcera miſericordie domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus paternitates veſtre hanc dietam atque locum convencionis dictorum Romani Regis & principum una cum aliis metropolitanis & archiepiſcopis Germanie, quos hec res precipue tangere videtur, propter pacem & unionem in eccleſia univerſali conſervandum grato animo velitis ſuſcipere & amplecti, animosque veſtros in pietate & paciencia usque ad hanc dietam ſuſtinere, & ab omni ulteriori proceſſu contra dictum ſanctiſſimum dominum noſtrum prorſus & totaliter abſtinere ad honorem dictorum ſereniſſimi principis Regis Romanorum aduocati eccleſie Dei electorum & tocius Germanie nacionis. Id eſt quod ſine dubio ſacro Baſilienſi concilio innumeros augebit fauores, nec diffidimus ſi & in quantum ipſum ſacrum Concilium tantum humanitatis libertatem exhibuerit, quo minus juxta jam petita ejusdem ſacri concilij in preſenciarum paternitates veſtre Reverendiſſime reperient dictos dominos Romanorum Regem, Electores, ceterosque principes & alios, quos hoc concernit negocium, Deo dante tunc perſonaliter congregandos

dos adeo racionabiles, equas & ſanctas vias imitaturos & proſecuturos, que ipſi ſacro Concilio merito grate future ſint & accepte.

Reſponſum ſeu replicatum fuit ad precedencia verba Oratorum Regis & Principum electorum per ambaſiatores dicti ſacri concilij in predicta dicta Nurenbergenſi, cujus reſponſionis ſeu replicacionis tenorem alibi.

XVII.

ET POSTQVAM PERVENERVNT FERRARIAM AD PAPAM DICTI AMBASSIATORES SVPER PROPOSICIONIBVS SVIS ISTAM RESPONSIONEM HABVERVNT A PAPA, QVE SEQVITVR.

Per ea que nobis prudenter & accurate expoſuiſtis, ſtudium atque diligentiam venerabilium fratrum & dilectorum filiorum ſacri Romani Imperij Electorum ad extinguendum exortas in Dei eccleſia diſſenciones, tandemque ipſius pacem & unitatem reddendam plene intelligimus, plurimumque commendamus. Propter que apoſtolica ſedes preter diuinam mercedem pronior efficitur ad retribucionem condignam. Et quoniam ex hijs, que expoſuiſtis, id videbatur ejs potiſſimum ad pacem conferre, ut in alium locum pro ycumenico concilio conſentire dignaremur. Id a nobis fieri eorum nomine cum inſtantia petiuiſtis. Ad quod

profecto cicius & ſpecialius dediſſemus reſponſum, niſi Cariſſimi filij noſtri Alberti Regis Romanorum illuſtris aliorumque Regum & principum Chriſtianorum oratores indies expectaremus. Quorum Conſilia in hac re hoc preſertim tempore pretermittenda non ſunt. Verum quia nobis & alijs multis videtur, quod hec expectatio majores poſſet difficultates rebus agendis inferre, reſpondendum duximus; Quod quamquam concilium ycumenicum legitime hic ſit inchoatum, & loci hujus mutacio poſſit facile ſanctam Grecorum unionem euertere, & propterea de alio loco non videatur neceſſaria conſideracio; nichilominus ob veſtram & aliorum inſtanciam equum poſſe judicamus, ipſius Regis Romanorum & aliorum Regum & principum de quorum oratoribus ad nos infra paucos dies deſtinandis noticiam habemus, in ea re requirere & poſtulare conſilia. Ut ſic tam ardua res quanto majori tocius eccleſie unitate ſit, tanto ſalubrius dirigatur. Quam ob rem hortamur & requirimus prefatos Electores, ut interea apud eundem Regem Romanorum, cui eciam ſuper eadem reſcribimus, in alio ydoneo Germanie loco conuenire velint, ad quem nos legatos noſtros conſtituimus deſtinare, de ſincera noſtra intencione & mente promptiſſima ad conſeruacionem pacis eccleſie, ad felicem conſummacionem unionis Grecorum, nec non de noſtra innocencia & juſticia pleniſſime informati, qui noſtris juſtificationibus auditis poteſtatem habebunt eorum interuentu per omnem honeſtam viam concordiam practicandi,

dī, tractandì & amplectandi. Et ſi aliter diſſenſio ſopiri non poſſit, & expediens ſit ac rebus agendis accomodum de alio tuto & libero loco, quantum in nobis eſt, eciam agendi, tractandi & concludendi, ut ſic cum caritate & pace ad expedicionem unionis Grecorum & aliorum ſanctorum operum procedatur„ Ad id vero, quod poſtulatis, ut ab ulteriori proceſſu contra exiſtentes in *Baſilea* abſtinere dignaremur, reſpondemus quod nos adverſus eos nunquam aliquid niſi neceſſitate compulſi fecimus, & licet cottidie ſedi apoſtolice nobis & noſtris intollerabilia grauamina per eos inferantur, tamen pro bono pacis libenter condeſcendimus; ſi prefati Electores ſic prouideant, quod ipſi de Baſilea ab inceptis grauaminibus & alijs nouitatibus ſuperſedeant, quod ſuper illos aliter attemptatum fuerit ex nunc coram Deo & hominibus de noſtra ſinceritate, & quod per nos pax & unitas non deficit, proteſtamur &c.

Digitized by Google

XVIII.

EJVSDEM NATIONIS LITTERÆ AD ULRICVM EP. ARAVSIENSEM VT JOHANNI YNARI FAVERE VELIT IN TRANSMITTENDIS PECVNIIS PRO CONCILII NECESSITATIBVS COLLECTIS.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino Domino *Ulrico* Dei & Apoſtolice ſedis gracia Epiſcopo Aruſienſi.

Reuerende pater & preſul preclariſſime, credimus veſtram paternitatem jam diucius multiplicatis relatibus didiciſſe, quomodo preſens ſacrum Concilium Eccleſiam univerſalem militantem repreſentans hijs annis proxime effluxis tam pro procuranda pace fidelibus, quam extirpacione heresum nec non & reductione Grecorum ad unitatem eccleſie innumerabiles labores & ſolicitudines pertulerit, & hujus rei publice Cauſa tam pro auctoritate Eccleſie, quam ſtatu & exaltacione ejusdem, nec non utilitate cunctis Chriſticolis procuranda ſuos venerabiles Ambaſiatores & oratores varios, nunc Cardinales, nunc Archiepiſcopos, nunc Epiſcopos, nunc Abbates & doctores ad diuerſas mundi partes, & ad Greciam pro adducendis Grecis repetitis vicibus transmiſit, prout ſine ceſſacione ſparſim adhuc transmittit continuo, & transmittere perurgetur; pro quorum expenſis ipſum ſacrum Concilium ne dum grauia, ſed grauiſſima & intollerabilia debita contraxit, quinymmo veſtram decet ſcire paternitatem, non nunquam

quam neceſſitate & utilitate ecclesie impellentibus patres quosdam hujus ſacri concilij pro ſui victus neceſſitate vix ſufficientes habitas facultates ad hujusmodi opera & expenſas in Dei nomine impendiſſe, alios vero argentea ſua pro ſtatus decencia habita vendidiſſe ſeu impignoraſſe, alios quidem ſub grauiſſimis penis, & eccleſiaſticis formidabilibus cenſuris pro multis milibus florenorum &c. non absque uſurarum voragine mutuo receptorum ſe obligaſſe, & pro illis reſarciendis dietim impeti; In quibus omnibus nos cum ipſo ſacro concilio veluti ipſius potiſſimum membris bonorum omnium fieri participes preſtolantes debitores nos reddidimus, & quoniam non perſtringimus debitoribus aliunde, quam de Theſauro univerſalis eccleſie jam ex indulgencijs per ipſam eccleſiam fidelibus contribuentibus conceſſis hinc indé recondito & collecto ſatisfieri poſſe. Quamobrem neceſſitate jam ineuitabili nos impellente mittimus in preſenciarum ad inclitum Regnum Dacie & veſtram Reuerendam paternitatem venerabilem, & circumſpectum virum Dominum *Joannem ynari* perpetuum eccleſie Aruſienſis de præmiſſis omnibus plenius informatum premiſſa & alia e. p. noſtri parte reſeranda cui placeat in hijs, que veſtra paternitas noſtri parte reſeret veluti nobis credencie adhibere plenam fidem. Ut igitur Deo & eccleſie obſequendo fidem debitoribus cunctis premiſſam quemadmodum ad nos pertinebit, ſeruare poſſimus ſupplicamus e. v. p. unanimiter ſinceris affectibus, quibus valemus & poſſumus in domino depre-

precantes, quatenus prefato propoſito veſtra fideliſſima fauores, iuuamina & preſidia impendatis neque impedire velitis ut ſupradicte pecunie in veſtris ciuitate & dioceſi quoque aduentu Grecorum collecte, qui eciam jam portum Latinum appropinquarunt ad ipſum ſacrum concilium nosque pariter quantocius transmitti poſſint & valeant, ſicque velit e. p. ſe in premiſſis habere, & agere, quod eccleſia tota veſtre paternitatis deuocionem, & digna merita obſequiaque magnifica altis in domino laudum preconijs extollere, & ſi quando oportunitas ſe obtulerit congruis retribucionibus compenſare teneatur, nosque ad queuis veſtre paternitati grata, ſedulo affectu prompta deuocione aſtringamur, ſcriptum *Baſilee* die XII. Marcij A°. Domini MCCCCXXXVIII.

Ejusdem veſtre dominationis benivoli preſidens prelati, doctores in ſancta Baſilienſi ſynodo Nacionem Germanicam repreſentantes.

XIX.

XIX.

EJVSDEM NATIONIS AD ARCHIEPISCOPVM COLON. LITTERÆ VT MANDET SOLVI INTVS NOMINATIS FLORENOS AVRI DE CAMERA QVATVOR MILLE DE PECVNIIS IN EJVSDEM DIOECESI ET PROVINCIA PRO CONCILIO COLLECTIS.

Reuerendiſſimo in Chriſto patri & domino, domino Archiepiſcopo Colonienſi.

Nouerit Reuerendiſſima paternitas veſtra quod nuper honorabiles diſcreti viri *Dego de Albertis* & *Antonius de Janſigliarijs* mercatores florentini *Baſileam* conſtituti pro ſe & nomine ſociorum ſuorum in negocijs Grecorum uniuerſalem eccleſiam concernentibus & precipue pro conducendis ipſis ad locum futuri ycumenici concilij celebrandi Imperatore Romeorum & Patriarcha conſtantinop. cum eorum comitiua in pecunia numerata ſummam 4tuor milium florenorum auri de camera mutuo realiter conceſſerunt & aſſignarunt, verum Reuerendiſſime pater & domine ipſa Baſilienſis ſynodus contentetur ac velit & mandet per ſuas literas uniuerſis & ſingulis depoſitarijs, theſaurarijs, collectoribus & ſubcollectoribus per eandem ſynodum Baſilienſem & ejus nomine in veſtra prouincia ad recipiendum & exponendum pecunias, que ex indulgencijs prouenientibus hujusmodi dictis mercatoribus ſummam IIIIor milium florenorum de Camera hujusmodi integre ſoluant & aſſignent,

nent, ut ipſorum mercatorum indempnitati congrue & oportune prouideri valeat, eandem Reuerendiſſimam paternitatem veſtram exorandam, obſecrandam duximus pariter & exhortandam, quatenus de uniuerſis ex indulgencijs in ejus ciuitate, dioceſi ſeu provincia collectis & colligendis pecunijs, eisdem *Degoni* & *Antonio* aut alijs de ſocietate eorundem in Colonia conſtitutis Summam quatuor milium florenorum predictam ſoluatis realiter & aſſignetis, aut per theſaurarios, depoſitarios collectores & ſubcollectores predictos integre ſolui & aſſignari mandetis & procuretis, ad quam ſolucionem prefatorum florenorum dictis mercatoribus faciendam, ob legalitatem eciam ipſorum mercatorum Inclita Nacio ſuum expreſſum per preſentes exhibet & prebet conſenſum pariter & aſſenſum, ſic tamen, quod ab ipſis mercatoribus aut ſocijs eorum de ſolutis eis per veſtram Reuerendiſſimam paternitatem receptis quitancijs nos de ſolucione cum ejs impenſa fuerit quantocius certificare curetis. Datum *Baſilee* XII. Marcij 1438.

Prelati, Doctores & alij Inclitam
Nacionem Germanicam in ſacro
Baſilienſi Concilio repreſentantes.

XX.

Digitized by Google

XX.

MISSIVA AD CONCILIVM, NE CONTRA EVGENIVM PP. VEL POENIS VEL CENSVRIS PROCEDAT.

Poſt debitam recommendationem Reverendiſſimi reverendique Patres Domini ac amici, nec non venerabiles & egregii nobis ſincere dilecti. Cum ea qua decuit reverentia R. Patres Dños Patriarchã Aquilegienſem Archi Epiſcopũ Panormitanũ & Epiſcopũ warmienſ. V. R. P. oratores & legatos pro parte earundem V. P. perorantes gratanter pridie noveritis nos audiviſſe & quum ſereniſſimo principe Domino *Sigismundo* quondam cæſare Auguſto fatali aſſumpto juxta ſacrarum Conſtitutionum imperialium hoc in loco in unum Collecti electioni romani principis in preſentiarum dietim vacamus, quem domino auſpice confeſtim habere ſperamus, cujus & ſuffragio freti ad dictos veſtram P. oratores & legatos aciem noſtrarum mentium ſuper peroratis prout accomodum fuerit convertemus eos eatenus alloquendo quatenus ipſi veſtræque P. R. & totus mundus noſtrã devotionem noſtrumque zelum quibus eccleſiam proſpicimus univerſalem merito recognoſcunt, ut quoque eo clarius eniteſcant, veſtras R. P. exhortamur etiam in viſceribus Domini noſtri jeſu chriſti obſecrando. quatenus ne chriſtianæ religionis unio in deteriora delabi cernatur. quoſcunque proceſſus atque edicta contra & adverſus ſanctiſſimum Dñum noſtrum Papam *Eugenium* inſtituendos & inſtituenda

da emiſſos vel emiſſa aliquamdiu V. P. dignetur habere in ſuſpenſo contra ſuam ſanctitatem nil attemptando ne ex temporis lapſu ulla contra eundem Dominum noſtrum pena ſeu cenſura currat ſeu feratur. Nam favente divina Clementia habito Romano principe ejusdem nobis communicato preſidio ad quevis media pacis procedemus. que differentiam & adverſitatem inter easdem V. R. P. & dictum Dominum noſtrum ſubortas abducere queant & amputare non laboribus non expenſis adeo neceſſariis & requiſitis proviribus nobis conceſſis aliquatenus parſuri indubie ſperantes illas vias aperire qúe cetui veſtro grate futuri ſint & accepte. in quo Deo obſequium non modicum fieri & noſtrum zelum quem ad veſtrarũ Paternitatum amplitudinem pro honore ſancte matris Eccleſie gerimus corroborare arbitramur. reſponſum earundem P. V. cum preſentium Latore nobis quantocius transmitti devocius exorantes ad finem etiam ut Dñus noſter ſanctiſſimus Papa *Eugenius* juxta ſuperius expreſſata ſimilia dignetur ſuſpendere & ſuperſedere eundem ſcriptis noſtris humanioribus dignum duximus requirendum. datum *Franckfordie* XVII die menſis Marcii Anno &c. XXXVIII.

XXI.

XXI.

LITTERÆ ELECTORVM IMPERII AD EVGENIVM E CONVENTV FRANCOFORDIENSI.

Poſt humillimam recommendationem, devotiſſima pedum oſcula beatorum, ſanctiſſime Pater ac Clementiſſime Domine! Cordi nobis, ſemper fuit, quibus remedijs, quibusve vijs differencie materia inter S. V. ex una nec non ſacrum Baſilienſe Concilium partibus ex altera nuper, quod non ſine gravi noſtrarum mencium amaritudine referimus, ſuborta e medio queat amputari; idcirco nobis circa electionem Eccleſie Advocati, Romanorum Regis divina favente clemencia in cæſarem procreandi, in preſenciarum occupatis, hanc ſollicitudinem per maximam eciam recenſuimus, quo offendiculum precindatur totius chriſtianitatis & quo ſeminari poſſit ſemen optate quietis. Ea propter per Egregios viros, preſencium latores, noſtrosque Oratores ad veſtre recurrimus pedes ſanctitatis humiliter ſupplicantes, quatenus ipſis noſtris oratoribus in perorandis noſtri pro parte ad preſens fidem dignetur S. V. impendere creditivam, adeo in re tam gravi veſtre benignitatis brachium extenſuri ut confiſi de veſtra ſolita benignitate unitas in Eccleſia remaneat univerſali, ad laudem Dei & non modicum Apoſtolice ſedis decorem. Dat. Franckfordie die XIX menſis Marcij anno Domini MCCCCXXXVIII.

XXII.

ELECTORVM MISSIVA AD CONCILIVM, QVA PETVNT ORATORIBVS SVIS FIDEM ADHIBERI.

Poſt debitam recommendationem Reverendiſſimi Reverendique Patres Domini & Amici nec non Venerabiles & egregii nobis ſincere dilecti. Cordi nobis ſemper fuit quibus mediis quibusve viis diſſenſio inter ſacerrimum veſtrarū. P. B. cetum & chriſti vicarium ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam *Eugenium* quod dolenter referimus nuper ſuborta e medio queat amputari. Idcirco ſuper electione Advocati Eccleſiæ Regis romanorum in Ceſarem Deo propitio exaltandi nobis occupatis inter noſtras ſollicitudines maxima hæc fuit, quæ offendiculum præcideret totius Chriſtianitatis, & qua ſeminari poſſet ſemen optatæ tranquillitatis, eapropter accedentibus ad V. R. P. in preſentiarum honorabilibus noſtris oratoribus quos cernitis noſtram devocionem noſtramque intentionem quam circa præmiſſorum continentiam gerimus exorantibus fidem quæſumus adhiberi crediturani per easdem V. R. P., adeo in re tam gravi manſuetudinis veſtre Brachium extenſuras, ut ſumā V. R. P. prudentiā mundus præconiſare poſſit univerſus. datum *Franckfordie* die decima nona menſis Marcii Anno &c. XXXVIII.

XXIII.

XXIIII.

TENOR APPELLACIONIS INTERPOSITE PER PRINCIPES ELECTORES IMPERII A REQVISICIONIBVS FACTIS HINC INDE FRANCFORDIE PER ORATORES CONCILII ET PAPE SVSPENSI TEMPORE PROTESTACIONIS PREDICTE &c.

Nos &c. principes Electores in tui notarij &c. proponimus, quod cum pridem a Reuerendiſſimis ac Reuerendis patribus & dominis tam ſanctiſſimi noſtri Domini pape, quam ſacri Baſilienſis concilij nuncijs & oratoribus non nulle propoſiciones exhortaciones & perſuaſiones, requiſiciones & penarum commemoraciones & in quibusdam articulis comminationes ad nos proceſſerint ad diuerſos ſibique contrarios tendentes effectus, quibus conjunctim propter ipſorum repugnanciam parere non valemus, cum ipſe dominus noſter papa vetare videatur, ne ipſi ſacro concilio obedienciam vel reuerenciam exhibeamus. Et ex aduerſo ipſum ſacrum concilium jubeat, ipſum dominum noſtrum ſanctiſſimum pro ſuſpenſo teneri; ſeparatim autem alteri ſine contemptu alterius ſimilibus de cauſis obtemperare non poſſumus. Cumque dietim in dioceſibus & territorijs noſtris non nulla edicta, proceſſus & mandata penalia tam a prefato domino noſtro papa, quam a ſacro Baſilienſi concilio manare noſcantur, quibus ſimile periculum in eſſe videtur. Nosque de preſenti pro electione Romani principis ſumus in hoc loco congregati, cui ſemotis

motis omnibus impedimentis habemus intendere, propter quod in hoc caſu diſcordie inter ſanctiſſimum noſtrum papam & ſacrum Baſilienſe concilium nec nobis, neque ſubditis noſtris per viam diſcuſſionis finaliter prouidere, nec non inter hec aduerſa eligere valeamus. Ideo proteſtati ſumus animos noſtros quoad omnia hujusmodi aduerſancia, que a die XVIII februarij proxime preteriti ab ipſo domino noſtro, ſacroue concilio emanaſſe contigerit de preſenti ſuſpenſo retinere, nosque & ſubditos noſtros in ſola ordinaria jurisdictione inconcuſſe, conſeruare, regere, & manutenere. Sed quia veremur, ne ipſe Dominus noſter papa, ſacrumque Baſilienſe concilium, aut ille, vel illi, in quorum fauorem mandata, edicta & proceſſus hujusmodi emanarunt, requiſicionibus ſuis inherere non deſiſtant, ex quibus ſcandala in dioceſibus ac territorijs noſtris ac univerſo Romano Imperio ſuſcitari veremur, & electioni, cui jam habemus incumbere pretextu cenſurarum, que pretendi poſſent contra perſonas eligencium aut electi quomodolibet cauillari. Hijs itaque periculis occurrere ac noſtro & ſubditorum noſtrorum ac omnium Imperij Romani fidelium ſaluti prouidere ſatagentes ac omnibus & ſimilibus edictis, mandatis, preceptis & proceſſibus & penis ac cenſurarum & poenarum comminacionibus, quas a die XVIII prelibata emanaſſe contigerit, tam ab ipſo domino noſtro, quam a ſacro Baſilienſe concilio ad ſacrum futurum ycumeuicum concilium in hijs ſcriptis prouocamus & appellamus conjunctim & di-

uiſim

uiſim pro nobis ac noſtris & quibuslibet noſtrorum ſubditis ac fautoribus & adherentibus noſtris quibuscunque, Apoſtolosque nobis dari petimus &c. 1mo 2do &c. ſubjicientes &c. proteſtamur de intimando, proſequendo &c. requirimus &c. Teſtes &c.

XXIV.

ELL. MISSIVA AD CARDINALES, VT PACEM ET TRANQVILLITATEM CONSERVENT ET MISSIS ORATORIBVS FIDEM ADHIBEANT.

Reverendiſſimi Patres & preſtantiſſimi Domini. poſt debitam recoṁendacionē. Applicantibus pridie tam ſanctiſſimi Domini noſtri *Eugenii* Pape quam ſacri Reverendiſſimorum P. cetus in *Baſilea* congregatorum oratoribus. ad nos hoc in loco ſuper electione Romanorum regis in ceſarem Deo auſpice procreandi collectos. ne dum diverſam immo adverſorum ſententiam effectuum ex ipſorum audita oratione noveritis nos accepiſſe ſciſſure gravis in Eccleſia univerſali quod dolenter referimus indicativam quanta ex re tam diſpendioſa amaritudine noſtrarum mentium acies extiterint afflicte ipſe novit qui unionem & charitatem diligit & Eccleſiam univerſalem ſponſam ſibi preclariſſimam copulavit. unde optantes pacem in Eccleſia Dei ad veſtras per preſentium noſtrorū oratorū organa dignum duximus recurrere reverendiſſimas

 pater-

Digitized by Google

paternitates ſub fide & ſpe indubitata veſtrarum P. R. ſummam prudentiam ad ſemen pacis & tranquillitatis in Eccleſia Dei fore inclinatam fervoremque gerere votivum devocius obſecrandum quatenus noſtris oratoribus antedictis in perorandis fidem dignetur ſacer cetus veſter adhibere creditivam, una cum dictis noſtris Ambaſſiatoribus & prout viſum fuerit expedire, veſtras preces operas parteſque interpoſituras quod Eccleſia Dei in pace conſervetur, & tranquilla requieſcat quiete. in quo ultra mercedem, quam ab eo meremini qui ipſa charitas eſt, nobis exhibebitis complacentiam omni zelo omnique devotione apud ſacro ſanctam ſedem apoſtolicam & v. Rev^mas^ P. ſedulo recompenſandam &c.

Sacroſancto Re^moru^ Patrum atque Dñorũ Dñorum ſancte ſedis Apoſtolice Cardinalium Collegio Dñis noſtris preſtantiſſimis &c.

XXV.

ELECTORVM MISSIVA AD REGEM ANGLIÆ, VT PRO RESTITVENDA PACE ECCLESIÆ COLLABORET.

Sereniſſime & invictiſſime Princeps Domine. Convenientes apud opidum francofordenſe de proximo pro futura romanorum regis electione fienda veſtræ majeſtatis literas nobis oblatas recepimus, negotium diſcordiæ inter ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam & ſacrum Baſilienſe Concilium

cilium incidentis accuratius continentes. Sereniſſime Princeps neque gloria hujus felicis officii erit dignitas regia comitatura cum inter altiſſimos apices quos religioſa celſitudo de catholice fidei diſciplina complectitur cure non modice fuerit, ut perniciosum ſciſma quorundam ambitione dudum conflatū ac demum imperatoriis ſtudiis pretio & labore extinctum jam in Eccleſia Dei enixe gratias quidem immortales reddimus regiis deſideriis quod ſub modio dragmam deperituram inter diſcordes hominum voluntates xti tunicam inconſutilem & lumine conſcientie querere & opere ſtudio indiviſam conſervare affectat, eandem nihilominus regiam celſitudinem aviſantes, quatenus his diebus ante & poſt electionem Romanorum Regis pro pace & concordia ac unitate inter præfatos ſummum pontificem & Baſilienſe Concilium vendicandum diverſos tractatus intercepimus & reſumpſimus, adquod intendentes nec laboribus parcere volumus nec impenſis, mittimus ſolempnes ambaſiatores noſtros inter eosdem ſummum Pontificem & Patres pro poſſe concordiam tractaturos, aliosque oratores noſtros ad ſereniſſimum Dominum Principem Albertum Regem Ungarie & Bohemie ducemque Auſtrie in Romanorum regem per nos divino ſpiramine concorditer electum, eidem ſupplicaturos, ut officio & labore ſuo interpoſito pro tam ſancto concordiæ opere conſequendo Noſtris ſe optatibus ut ſperamus in premiſſis conformare dignetur. Quare ſereniſſime Princeps ut veſtra regia magnitudo religioſa progenitorū ſuorum ſtudia inſecte-

tur ex ſinceris affectibus eidem ſupplicamus. quatenus ad tantæ rei perfectionem ſuos deſtinare & pro concordia totis viribus inſudare in Dei Eccleſia imperet & laboret. Super eo etiam veſtra regia celſitudo deſiderat informari de intentione noſtra certa agenda in futurum ſcire optamus v. regiam Majeſtatem quod proteſtationem fecimus concorditer cujus copiam mittimus preſentibus incluſam. ad corroboracionem cujus omnes provincie germanice nacionis concurrunt. ipſam proteſtationis ſententiam approbantes collaboraturi unanimi conſenſu ad dictum diſſidium tollendum auſpice deo fructuoſe offerentes nos ſereniſſime princeps veſtræ regiæ Majeſtati promptos atque paratos quam adaugeat victoriam & pacem omnipotens felicibus incrementis dat: *Franckbord:* noſtro ſub ſigillo XX menſ. Martij A. &c. XXXVIII.

Sequitur Littera Credentialis.

Reverendiſſime Pater & Domine preſtantiſſime. Intellecto pridie ad civitatem Ferrarienſem in quam ſanctiſſimus Dñus noſter Papa *Eugenius* Baſilienſe Concilium fertur tranſtuliſſe P. V. R. applicuiſſe; arbitrati ſumus oratoribus noſtris quos ad eundem Dominũ noſtrũ ad preſens transmittimus injungere, ut & dicti oratores noſtri veſtram accedant amplitudinem, ipſamque implorare non deſinant ſuas interponere partes, ut ſciſma in Eccleſia Dei proch dolor preſenti noſtro evo ſubortum veſtris favoribus & auxiliis e medio tollatur & pacis tranquillitas atque unio in Eccleſia Dei inſtaure-

ſtauretur. quare hujusmodi noſtris oratoribus quos cernitis in his que in preſentiarum veſtre Reverendiſſime pertulerint paternitati fidem in perorandis quæſumus per dictam P. V. adhibere Creditivam in re tam grandi adeo mature conſulentes pro fructu optate unionis adipiſcendo ut ſumma veſtre Excellentie prudentia apud nos merito veniat recommendanda.

XXVI.

MISSIVA AD DOMINUM IMPERATOREM ORIENTIS.

Invictiſſime Princeps & preſtantiſſime Domine. pridie ad noſtram veridico ſermone deductum exiſtit audientiam ad locum Ferrarienſem in quem ſanctiſſimus Dominus noſter Papa *Eugenius* Concilium Baſilienſe dicitur tranſtuliſſe veſtram ſerenitatem applicuiſſe, & quoniam ut ex oratione nobis tam pro parte ejusdem domini noſtri quam etiam Patrum in ſacra ſynodo Baſilienſi congregatorum nobis facta conjicere poteramus, nil aliud his in rebus accelerare videtur, niſi quod haut ſine gravi mentium noſtrarum amaritudine referimus grave ſcismatis diſſidium orthodoxe fidei cultoribus enormiter prejudicaturum, quod ut zelatores unionis in Eccleſia Dei quantum in nobis eſt prævenire ſatagentes, hinc ſumpta occaſione ad veſtram per preſentes noſtros oratores reccurrimus celſitudinem, affectuoſe rogantes, quatenus præ-

 dictis

dictis oratoribus noſtris noſtri pro parte impreſentiarum in perorandis fidem accomodare velitis credituram ipſis conſiliis & favoribus veſtris in re tam gravi aſſiſtendum adeo votivis prout unitatem diligitis in Eccleſia univerſali & nos de veſtra præclariſſima magnificentia confidentiam recepimus ſingularem.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino Domino *Johanni* orientis Imperatori Domino noſtro preſtantiſſimo.

XXVII.

MISSIVA AD SPIRITVALES EX PARTE PROTESTATIONIS ET APPELLATIONIS.

Unſeren freundlichen dinſt zuvor &c. Erwürdiger in Gott Vatter beſonder lieber freund. Als wir yzunt um der Kure und Wale willen eins romiſchen Konigs, den wir auch einmutigelichen erwelet und erkoren haben zu *franckfurt* geweſt ſein, da ſeind dahin auch kommen geweſt unſeres heiligen Vatters des pabſts und auch des heiligen Conciliums zu Baſel treffeliche freunde, die uns dann uf beyder ſeit furbracht und zu verſteen geben haben, ſoliche groſe wiederwertigckeit, die newlichen zwiſchen dem obgenanten unſeren heiligen Vatter dem Babſt und dem vorgenanten heil. Concilio zu Baſel ufferſtanden ſeyn, die wir dann mit unſerem geleerten und weiſen freunden und Rethen betrachtet und fur hanndte genommen

men haben, was uns in ſolichen anliegen zweytrachten zu thun und zu halten bequehme und nuzlichen geſein möchte, und ſein zu rath einig worden und eintrechtlich überckommen, das wir unſ dem allmechtigen Gott zu Lobe und gemeinen Chriſten Leuten zu hulff und troſt halten und bey einander bleiben wollen als Chriſtenlichen furſten angehoret, und in aller maſ als dieſe ingeſchloſſen Copia und abſchrifft ainer eynung einer Proteſtation und Appellation der wir alhie uberckommen ſein und offentlich gethan haben und Ewer Lieb ſenden vollenclicher innhaltenden wollen wir nit laſſen, ſondern euch ſoliche unſere eintracht zu wiſſen thun. wann wir nit zweifflen, es ſalle daraus viel guts der heiligen Kirchen endſteen und ſonderlichen davan ganzer teutſcher zungen erſcheynen, und bitten Ewer Liebe mit ſonderem Vleiſſ und ernſt, das ihr mit Ewern Suffraganien Prælaten und geiſtlichheit zu unſ in ſolich uns eintrechtigckeit fallen und des mit uns einig ſein und werden. und diſ alſo durch Ewer provincien da es ſich geburt verckündigen laſſen wollent, und uns das auch durch Ewer Erbar Bottſchafft laſſen verſtehen, und des unſ ewern Brief den ihr uns Ertzbiſchoff *Dietherich* zu Mayntz zu ſchicken und übergeben das wir uns darnach wiſſen zu richten; wir haben auch deſſen gleichen unſeren allergnedigſten herrn dem erwelten romiſchen Konig geſchrieben und zu wiſſen gethan, in meinung und getrewen daſ ſein Konigeliche gnad ſolch unſer Einigckeit mit unſ auch fürnemen

nemen und halten ſolle, und hoffen und getrawen zu gott, das wir durch unſer arbait die wir thun wollen und unſer einigckeit in der heil. Kirchen auch eynung und fried machen und teutſchland vor unverwindlichen ſchaden bewaren wollen, Gott dem allmechtigen zu Ehre und zu Lobe. geben zu *franckfurt* am freytag nach denn ſontag Oculi Anno Dñi &c. XXXVIII.

Von Gottes Gnaden *Dietherich* zu Maynz *Dietherich* zu Cöln und *Raban* zu trier Ertzbiſchoff &c. *Otto* pfalzgrav bey Rhein Herzog in Bayern und Vormunder &c. *Friederich* Herzog zu Sachſen Landgrav in Dhoringen und Marggrave zu Meiſſen und *Friederich* Marggrave zu Brandenburg &c. und Burggrave zu Nurenberg alle des heiligen Romiſchen reichs Churfürſten.

XXVIII.

COPIA MISSIVÆ AD PRINCIPES SECVLARES EX PARTE PROTESTATIONIS ET APPELLATIONIS.

Unſeren freündlichen dinſt &c. Als wir yzunt mit anderen Churfürſten zu *Franckfurt* geweſt ſein, und einen Römiſchen König einmüthiglich und ungezweyet von genaden des allmechtigen Gottes erwehlt han, als Ewr Lieb das wohl vernomen mag han. Da haben die Churfürſten und wir unter anderen groſen merckelichen ſachen, die dem heiligen Reich und den gemeinen Lan-

Landen zu dieſer zeit anliegen beſonnen und betrachtet. ſolich unordentlich und unredlich ſachen die zu teutſchen Landen täglich ſich verlauffen han und begangen werden mit Rawb. Brand Vheindſchafft und anders, und Je mehr und mehr innreiſſen und das davon noch ſchwerer und groſer unradt ſchadt und irrung in den gemeinen Landen enſteen und kommen mögen ſo ſeynd wir auch von des heiligen Reichs und unſeren graven freyen herrn Ritterſchafft und Unterthan geiſtlichen und weltlichen angerufen und gebeten worden. als Churfürſten des heil. Römiſchen Reichs ſolchen groſen ſchweren und unordentlichen ſachen zu widerſteen, darfür zu ſeyn und zu helffen, das die hingelegt und niedergedruckt werden; und haben unſ davon bered und miteinander verbunden und vereint ſolichen ſchweren und unordentlichen ſachen nach unſern vermögen zu wiederſteen.

Wannt wir nun nicht zweifflen Ewer Lieb ſoll auch denſelben unordelichen und ſchwehren ſachen gern helffen zu wiederſteen und wir von anderen Churfürſten alſo geſcheiden ſeyn den fürſten graven freyen Ritterſchafft und ſteten die unſ gelegen ſeyn das zu verckonden, ſo ſchicken wir Ewer Lieb abgeſchrieben ſolich Einung hierin verſchloſſen, uff das ob Ewer Lieb zu willen were, mit anderen Churfürſten und unſ in ſolich eynung zu ſein; und das in eueren Landen und gebieten auch zu beſtellen gehalten werde, das wollet unſ vorſchriebenen wiſſen laſſen, uff das wir das dem andern Churfürſten auch verckinden mögen.

mögen. Dann wir hoffen, das von ſolicher eynung dem heiligen Römiſchen Reich, allen unſeren Landen und Leuten und auch allen gemeinen Landen viel nuz und eer kommen und endſteen ſolle. dat. &c.

XXIX.

COPIA MISSIVÆ AD CIVITATES.

Unſeren freundlichen gruſs &c. Als wir yzundt mit anderen Churfürſten zu franckfurt geweſt ſein und ein Römiſchen König einmutiglich und ungezweyet van genaden des allmechtigen gots erwehlt han, als ir das wohl vernomen moget han, da haben die Churfürſten und wir under andern groſen und mergelichen ſchweren Sachen die dem heil. Reich und den gemeinen Landen zu dieſer zeit anliegen beſonnen und betrachtet, ſolich unordenlich und unredlich ſachen die zu teutſchen Landen teglich ſich verlauffen und begangen werden, mit rawb Vheindſchafft Brand und anders und Je mer und mer innreiſſen und das davon noch ſchwerer und groſer unradt ſchadt und Jrrung in den gemeinen Landen entſtehen und kommen mögen, ſo ſein wir auch von des heiligen Reichs und unſeren Graven herrn Ritterſchafft und unterthanen geiſtlich und weltlichen angerufen und gebetten worden, als Churfürſten des heil. Römiſchen reichs ſolich groſen ſchwehren und unordenlichen ſachen zu wiederſteen darfür

zu

zu ſeyn und zu helffen, das die hingelegt und niedergedruckt werden. und haben uns davon unterredet und miteinander verbunden und vereint ſaliehen ſchweren und unordenlichen ſachen nach unſerem Vermögen zu wiederſteen. Wanndt wir nun nicht zweifflen Jr und alle fromme Leuth ſollent gern dazu helffen das beſe ſachen niedergedruckt werden, und wir von anderen Churfürſten alſo geſcheiden ſein den fürſten graven freyen Ritterſchafft und ſtetten die uns gelegen ſeynd das zu verckunden, ſo ſchicken wir euch abſchrifften ſollicher vorgerürten eynung hierinn verſchloſſen, und begeren und bitten euch von andern Churfürſten und unſerer wegen das ir bey euch und in eweren gebieten niemand gleit ſicherheit oder tröſtung geben oder geben laſſen wollent. Die wieder die ſtuck eins oder mer in der vorgeſchriben eynung begriffen deren oder die überfüren und das ir ſo mann geleits an euch begeret eigentlichen uſsnehmen wollet, die Jhenen ſo ſolche ſtuck nach data der vorgeſchriebnen eynung uberfahren oder darwieder gethan hetten. und begeren des ewer vorgeſchriben Antwort. das wir das den andren Churfürſten auch verckundten mogen, das Sie und wir wiſſen mögen, was wir uns alle in den Sachen zu euch verſehen mögen. Datum *Aſchaffenburg* in Vigilia *Annuntiationis Mariæ* Anno &c. XXXVIII.

XXX.

XXX.

NATIONIS GERMANICÆ AD GVILELMVM MARCHIONEM DE HOCHBERG LITTERÆ, VT DILIGENTIAM OMNEM ADHIBEAT PRO ORATORIBVS CONCILII E CVSTODIA DIMITTENDIS.

Dem Wolgebornen Margraff Wilhelm von Hochberg Herren zu Rotelin und Suſemberg Lantuogt unſerm gutem Freund.

Vnſern fruntlichen gruſs zuvor Wolgeborne Edler Herre; Als Hanns von Geraltzeg vnde ander ſeine helfer gefangen haben, vnde halden etliche erber Herren, dy in botſchaft von dem heiligen Concilio geſand woren zu dem allerdurchlichtigen Criſtlichen Fürſten *Karolo* Könige zu Franckrich, Vnde von im widerumme antwort und botſchafft bringin ſuldin, alſo euch das wol wislich iſt, haber wir verſtanden, das ir meiſter Tomes Rode zugeſagt habent, vnd ewch Vnderwundin, darin zu arbeiten, das ſi geloſt ſultin werdin, Bittin wir ewch ernſtlichen, ir wollent ewaren höchſtin fliz darin bewiſin, das ſy loz werdin, Nachdem diſs gefengniſſe geſchehen iſt In des Hochgeborn vnd durchlichtigen Fürſten herren *Fridrichs* Herzogen zu Oeſterreich Lande und geleytę, vnde ir ſin Lantuoyd ſit, uff das Forſtin Herin vnde Prelatin an die nacion nicht clagen noch ſagin dürffin, das ſulch Vnrechtigkait in duzin Landen in ſulchs groſſen Forſtin gelayte geſchehe, thut hir an euwern beſten fliz zo wir euch

das

Digitized by Google

des beſundern glaubin, des wollin wir euch fluzlichen dangken vnde friretlicher gegen uch vorſchulten. Datum Baſel Anno &c. XXXVIII.

President und gemein Nacion germanica
In dem heiligen Concilio zu Baſel.

Nos *Johannes Gerwini* prepoſitus Gardewicenſis, *Jacobus Friesbaymer* Ratisponenſis, *Theodericus Nagel* Rigenſis Eccleſiarum Canonici & *Petrus* de *Arſen* Scotus Daventrienſis Receptores & Theſaurarij pecuniarum Inclitæ nacionis Germanice de Indulgencijs prouenienciu̇m recognoſcimus per preſentes, quod recepimus a venerabili viro Domino *Joanne Ordſen* Curato Eccleſie Egkmondenſis Trajectenſis dioceſis viginti florenos Renenſes occaſione transmutacionis cujusdam voti peregrinacionis ad ſanctum *Jacobum*, quo quidem filius confeſſionis ſue fuerat adſtrictus. In cujus rei teſtimonium hanc cedulam manibus noſtris proprijs ſubſcripſimus. Datum *Baſilee* die Jouis XXIX May anno Domini 1438.

Ita recognoſco ego *Johannes* prepoſitus Gardewicenſis manu propria.

Ita recognoſco ego *Jacobus Friesbaimer* Canonicus Ratisponenſis manu propria.

Ita recognoſco ego *Theodericus Nagel* Canonicus Rigenſis manu propria.

Ita & *Petrus de Arſen* Scotus Dauentrienſis.

Digitized by Google

XXXI.

ANNO DOMINI 1438. DIE MARTIS XVI. JVLII ORATORES PRINCIPVM ELECTORVM, DE PAPA REVENERVNT AD CONCILIVM BASILIENSE ET AD QVATVOR SACRAS DEPVTATIONES EJVS HANC SVPPLICACIONEM PORREXERVNT.

Quia ſereniſſimus dominus noſter rex Romanorum ſancte uniuerſalis eccleſie aduocatus, & illuſtriſſimi domini noſtri Romani Imperij principes Electores pro tractatu concordie inter hoc ſacrum concilium & ſanctiſſimum dominum noſtrum papam ſe interponendo, ſerenitas ſua jam conſenſit ad hujusmodi tractatum per agendum ſuos oratores in diem & locum per eosdem dominos noſtros Regem & Electores indicendos cum plena poteſtate deſtinare, aliasque ad tractatum & pacem optima prebuit auſpicia concordie. Supplicatur pro parte prefatorum ſereniſſimi domini noſtri Regis Romanorum & illuſtriſſimorum principum dominorum Electorum, quatenus Patres veſtri Reuerendiſſimi dignentur ab omnibus ulterioribus proceſſibus contra prefatum ſanctiſſimum dominum noſtrum & alios pretextu hujusmodi diſſidij inſtitutis ſeu fulminatis usque in illum diem pendente tractatu benigne ſuper ſedere, & ad hujusmodi tractatum ſe ſimiliter promptos exhibere, ut amplior diſcordia cum eccleſie ſciſſura valeat euitari; neque per hanc ſynodum ſtare videatur,

quo

quo minus unio & concordia in eccleſia Dei conſeruetur. Attento quod ipſe glorioſiſſimus dominus Rex & illuſtriſſimi domini principes Electores polliciti ſunt, ſe auctoritatem ſancte matris eccleſie & ſacrorum generalium conciliorum pro toto poſſe defenſuros.

XXXII.

JOANNIS EPISC. MISNENSIS EPISTOLA AD NATIONEM GERMANICAM. PARATVM SE DICIT AD FACIENDA NATIONIS MANDATA &c.

Reverendis venerabilibusque Patribus ac Dominis Nacionis Germanice in ſacra Baſilienſi ſynodo repreſentantibus dominis ſuis & promotoribus preſtantiſſimis.

Poſt humilem recommendacionem, paratiſſimam in omnibus complacendi voluntatem Reuerendi Venerabileſque Patres, ac ceteri domini honorandiſſimi; Et ſi pro veneracione ſacri Concilij, cui incorporacionis juramento in perſona propria facto, ſum alligatus ac inclite Germanice nacioni, quam in preſens repreſentantis mandata paſſim transmiſſa pronus recepi uſque modo & execucioni, cum ea, qua decuit ſollicitudinis diligencia demandaui; Ea tamen que ipſummet concilium ac prefate Nacionis honorem reſpiciunt & neceſſitatem tanto jocundius & celerius exequenda ſuſcipio, quanto ſalubriorem finem & conſummacionem tam

ſanctorum operum, pro quibus ab inicio ipſum concilium eſt inſtitutum, totis precordijs preſtolor & expecto. tunc enim vere felicem me crederem, dum hec felicia opera in commiſſo populo feliciter expleta nunciare deberem. Tale autem mandatum cenſeo, quod pridem recepi cum ſcriptis dominacionum veſtrarum, quibus plurimi nacionis predicte & ſacri concilij exponente neceſſitate me hortantur &c. alia eorum ſunt juxta tenorem bulle, qua conſtitutus fuit collector pecunie indulgenciarum. Datum XXIIII. Sept. 1438.

Joannes Epiſcopus
Miſnenſis.

XXXIII.

ALIA RESPONSIO CONCEPTA EST PER VNVM EX ORATORIBVS SACRI BASILIENSIS CONCILII AD PREDICTOS ORATORES REGIS ROMANI ET PRINCIPVM ELECTORVM IN PREDICTA DIETA NVREMBERGENSI SED NON FVIT EXHIBITA.

Quoniam in hijs, que fidei ſunt, grauis culpa cauſatur, ſi ex ſilencio ipſa fides aut non uera putetur, uel alij ab ipſa retro habeantur, aut quod hij, qui ſilent, eam tanquam veram non reputant, Equidem juxta ſententiam apoſtoli, qui de fide chriſtiana creduntur corde ad juſtitiam neceſſe eſt ad ſalutem aliquando pacifice confiteri.

Nos

Nos qui a ſacro Baſilienſi Concilio univerſalem Eccleſiam repreſentante exhortatione inviꝺiſſimi Regis Romanorum *Alberti* ad hanc dietam in *Nurenbergam* oratores deſtinati ſumus ſuſcepturi a vobis preclaris oratoribus ejusdem Reſponſum ad petitiones eidem ſereniſſimo Regi ex parte Concilij per nos oblatas *Wienne* audivimus pridem quandam cedulam, quam dixiſtis eſſe Reſponſionem ejusdem inviꝺiſſimi Regis & Reverendiſſimorum ac illuſtriſſimorum principum ſacri Romani Imperij Electorum & quoniam, ut ex tenore ipſius cedule apparet, multa in ea continentur, que non licet ſilentio preteriri, & ut veritas fidei ac juſtitie in candelabro ſacri Generalis Baſilienſis concilij poſita omnibus, qui in domo Dei ſunt, evidenter reſplendeat, ex parte ejusdem ſacri concilij ad contenta in eadem, ut infra ſequitur, reſpondemus. In prefata ſiquidem cedula exhortamini, & obſecratur ſacrum concilium ſeu ejusdem cetus circa dietam atque locum conuencionis Regis Romanorum & Principum Electorum una cum alijs metropolitanis & Archiepiſcopis Germanie propter pacem & unionem in eccleſia uniuerſali conſeruandam grato animo velit ſuſcipere & amplecti, animosque ſuos in pietate & ſapientia usque ad dictam dietam ſuſtinere & ab omni ulteriori proceſſu contra ſanctiſſimum dominum *Eugenium* prorſus & totaliter abſtinere, quoniam, ut dicitis, hec res precipue eos tangere videtur. Item ut premittitis in eadem, quod quia inter ipſum ſacrum concilium & prefatum dominum *Eugenium* graues

 ſunt

ſunt diſcordie ſuſcitate, inter hec adverſa fluctuantes Rex & Principes Electores ad certam proteſtationem confugierunt, cujus effectus eidem Concilio non eſſet ignotus, & racione hujus proteſtationis ac ex ſerie agendorum, quod expedit ipſos ab omni parcialitatis & ſuſpicionis ſpecie penitus abſtinere. Aliaque in ipſa cedula continentur, de quibus infra ſpecificaliter. Ad hec nos prefati oratores ſacri concilij dicimus, quod non credimus de effectu predicte proteſtacionis, qui in concilio ſit autentice notus, licet aliquando fuerit auditum de certa cedula proteſtacionis, prout dicitur per prefatos dominos Electores confecte dum eſſent *Francofordie*, & nos nunc primo audivimus de dicta proteſtacione, quod eam fecerit Rex Romanorum, nec credimus feciſſe ex ea ratione, & ad eundem finem, quem multi aſſerunt, quod tanquam fluctuans, qui non ſciens, quod tenere deberet, proteſtatus ſit non obedire mandatis concilij nec ipſe abſit, namque ut de veritate & juſtitia ſacri Concilij animus ejus fluctuare dicatur, equidem prout ex eis autenticis literis conſtat, cum conſilio egregiorum Oratorum Reverendiſſimorum patrum & illuſtriſſimorum principum ſacri Romani Imperij Electorum aliorumque principum & ſapientum ſaluum conductum per diue memorie *Sigismundum*, nomine ſcilicet Romani Imperij, per predeceſſorem ſuum quondam conceſſum ſacro Concilio Baſilienſi ex certa ſciencia approbavit & confirmauit, ymo ſuum & ſacri Romani Imperij ſalvum conductum de novo conceſſit & contulit, qui

qui obtineret plenam roboris firmitatem per omnia puncta & continencias ſuas contenta in literis predeceſſoris ſui. Et quoniam in altera eorum expreſſe continetur, quod ipſe abſque omni dubio ſimpliciter atque pure prefato ſacro Concilio adheſit & adheret firmiter, ac quamdiu durabit, & continuatum fuerit, adherebit manifeſte, nec faciet, aut fieri permittet, Deo auctore, quantum in eo fuerit, uel ſit, vel eſſe poſſit, directe contra ipſius ſacri Concilij auctoritatem & libertatem, ſeu prejudicium actorum incedere vel agendorum in futurum, quo ad ea propter que eſt conuocatum vel congregatum. Unde cum hec in predicta litera per eum ex certa ſciencia approbata & confirmata contenta ſint, ut diximus, quod de veritate & juſticia ſacri concilij in ejus animo fluctuacio aliqua, quomodolibet, aſſit, non credimus, etenim propter quod proteſtatus eſt, ipſum quomodolibet fluctuare, attento quod ipſe profitetur ſe ſufficienter informatum. Preterea probabile dubium dici non poteſt, cujus alteram partem ſollempni diſſolucione aſſerit concilium Generale, quia ſynodali ſentencie omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, acquieſcere obligantur, nec ullatenus idem Rex ſereniſſimus dubitat, ſanctam congregationem Baſilienſem eſſe legitimum & generale concilium, ipſamque diffiniuiſſe, papam fore adminiſtratione ſuſpenſum. Item aduertendum eſſet, quod exemplo denique alij Reges & principes ſimiliter induci poſſent, ut ſubtraherent ſe ab obediencia eccleſie, ſic, quod Deus

M 4 auer-

auertat, ſi cum clero & populo eis ſubjecto alij Reges & Principes ſe eidem proteſtacioni conformarent, poſſet contingere particularium eccleſiarum fieri diſſenſionem ab obediencia Romane eccleſie, quam Expoſitiones ſanctorum dicit Apoſtolus futuram eſſe, quando revelabitur ille iniquus. Etenim cum de Romana Eccleſia, quantum ad ſupreme poteſtatis ſue exercitium neceſſario conſicere oporteat, quod ſit vel penes papam in *Ferraria*, aut penes ſacrum generale concilium in *Baſilea*, ſed non eſt penes papam, quia legitime eſt ſuſpenſus ab omni adminiſtratione Papatus & hæc adminiſtratio eſt legitime devoluta ad ſacrum Concilium, ſequitur igitur, quod Romanæ Eccleſiæ ſuprema poteſtas, quod ad exercitium papa nunc legitime ſuſpenſo exiſtit penes ſacrum Baſilienſe concilium, & qui dicit, ſe ei nolle obedire, videtur manifeſte, facere diſſenſionem ab obedientia Romane eccleſie, nec ſatis videtur verbo proteſtari, nullo tempore velle diſcedere ab obediencia ſancte ſedis apoſtolicæ & ſanctæ matris Eccleſie, nullus enim quantumcunque devius a fide aut ſcismaticus umquam ab Eccleſia diſcedere velle ſe dicit, ſed quoniam Eccleſia non eſt quid latens, ſed magis eſt ut civitas ſuper montem poſita aut lucerna ſupra candelabrum lucens omnibus, qui in domo ſunt, quemadmodum inferiores non excuſat, dicentes ſe velle obedire pluribus aut Epiſcopo in communi, ſed cum hoc requiritur, quod tali obediant in particulari, Ita de prelatis aut quibuscunque ſuperioribus reſpectu eccleſiaſtice poteſtatis

ſtatis ſupreme, tenentur equidem explicite, quod ſpectat ad ipſorum & aliorum ſalutem de neceſſitate, nec ſatis eſt ipſis, dicere, ſe velle obedire Eccleſie generaliter, & in particulari tamen audiuntur dicere, quod huic vel illi non tenentur. Eſt enim de neceſſitate ſalutis, Eccleſie, que in terris militat, obedire, quia non ſufficit Eccleſiam ſolo nomine profiteri, niſi effectualiter obediatur eidem. Salvator namque inquit: non omnis, qui dicit mihi, domine domine, ſalvus erit, ſed qui facit voluntatem patris, intrabit Regnum coelorum. Item Quemadmodum apoſtolus profitetur; omnis anima, quamdiu vivit in hoc mundo, ſubdita debet eſſe ſublimioribus poteſtatibus. Ex hujusmodi autem neutralitate, ſimpliciter deberet accipi, anime capitum omnium Exemptorum non eſſent ſubdite poteſtatibus ſublimioribus, quia dicunt ſe eſſe immediate ſubjectas ſupreme poteſtati Romane eccleſie aut ſummi pontificis, & tamen velle nec Eccleſie nec ſacro concilio eam Repreſentanti Summo pontifici obedire. Præterea cum ex doctrina Ewangelij licet, peccatum fratris dicere eccleſie, & ſi eam non audierit, reputari debet ſicut Ethnicus & publicanus. Ejus qui ſe dicit exemptum ab ordinaria jurisdictione & ultra hoc profitetur, ſe nolle obedire concilio, nec pape, peccatum; cui eccleſie erit dicendum? Equidem loquitur de eccleſia, que in terris dicitur eſſe, cum ſubjungit: Amen dico vobis, quecunque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in celis, & ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo,

 ibi

Digitized by Google

ibi ego ſemper in medio eorum. Hujusmodi itaque, qui ſe ad illius obedientiam dicit non teneri, liceret impunita peccata remittere, cum deeſſet tribunal ſupremi judicij, per quod corrigi poſſunt, quomodo ergo tales annumerandi eſſent inter fratres, nam crimina omnium fratrum licet deferre ad eccleſie judicium, primo cum eccleſie Romane ſive univerſali, ut premiſſum eſt, neceſſe ſit nunc confiteri omnem penes Papam cum ſua curia vel penes ſacrum Baſilienſe concilium univerſalem eccleſiam repreſentans, & quia papa ſuſpenſus eſt, legitime ab omni Regimine eccleſie, ita quod ad ipſius judicium confugere debet nullus, ſi a judicio præfati concilij licitum eſt ſe ſubtrahere ſuper omni difficili & ambiguo, quod nunc occurrit in eccleſia Dei, ad quem locum judicij fideles debent recurrere pro ejus diffinitione: Item in cujus eccleſie fide dicentur homines poſſe ſalvari, ſi in hijs, que fidei ſunt & alijs quibuscumque licet non credere proprie pape, nec ſacro concilio eccleſiam univerſalem repreſentanti. Pertimeſcendum eſt plurimum, quod hujusmodi neutralitas, ſi eo modo intelligatur, ſicut quam plures volunt eam intelligere, ſimpliciter & absque exceptione, quod nimis foret periculoſum, aut plurimum detrahit fidei Catholice, cum non poſſet aſſignari certum ſupremum tribunal eccleſie, cujus judicio in hijs, que fidei ſunt, & alijs acquieſcere tenerentur fideles, paratur etenim via omni fluctuationi ad circumventionem erroris, & cum Apoſtolus inquit, quod Chriſtus aſcendens in coelum conſtituit alios apoſto-

Digitized by Google

apoſtolos, alios autem prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad edificacionem Eccleſie, ut non ſumus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrine in nequitia hominum & aſtutia ad circumventionem erroris. Quod igitur fideles ratione cujusvis proteſtationis non teneantur acquieſcere diffinicioni Generalis concilij, quod manifeſte repreſentat vel ydemtice eſt collegium dictorum apoſtolorum & aliorum videatur, quod ſit conforme predicte Apoſtolice doctrine. Conſtat enim tam ex novo quam ex veteri teſtamento, quod judicio Epiſcoporum & ſacerdotum voluit deus acquieſcere debere omnes qui repreſentantur populus Dei ſic enim practica obſervata eſt ab initio naſcentis eccleſie, nec ſatis videtur dicenti id facere, quia vult ab omni partialitatis & ſuſpenſionis ſpecie abſtinere, & enim nullatenus crimen partialitatis incurrit, qui vult acquieſcere judicio ſancte Matris Eccleſie, & nec quia Cauſa ſuo poſſe adjuvat contrahit ſuſpicionis notam, ſunt enim ut ſacra ſcriptura teſtatur, conſervanda præcepta patris & non pretermittenda lex matris, nam ſicut, qui theſaurizat, ita qui honorificat matrem ſuam quia ſunt filij ſapienciæ eccleſia juſtorum & nacio illorum obedientia & dilectio, nec quovismodo ſacrum Generale Baſilienſe concilium in hujusmodi reſiſtentia, quam papa fecit eccleſie pars dici poteſt, ut ſubtrahentes illi debitum juſtificarent, quia abſtinent a partialitatis reſpectu, nam qui favet judici, ut ceptum perficiat judicium partialis non dicitur, cum is qui induit

duit perſonam judicis exuat nomen patris. Nunquam enim juſtitia locum haberet, ſi faventes judici reputari deberent partiales & hoc eſſet ſummum refugium iniquorum, ut evitare poſſent judicium. Præterea ſi ſacrum concilium Baſilienſe pars in hoc judicio reputatur, oporteat aſſignare aliud ſupremum tribunal, coram quo tam concilium, quam papa deberent contendere ut partes, ſupra autem judicium generalis Concilij nullum eſt judicium in terris. Equidem notum eſt per totam Religionem Chriſtianam ex declaratione fidei factam in ſacro generali conſtantienſi Concilio, quod generale concilium legitime congregatum univerſalem eccleſiam repreſentans, quemadmodum eſt ſacrum Baſilienſe Concilium, habet immediate poteſtatem a Chriſto & eſt legitimus judex pape in hijs, que pertinent ad informationem eccleſie in capite & in membris, quodque proceſſus inchoatus per ſacrum concilium Baſilienſe adverſus *Eugenium* Papam eſt ſupra hijs, que pertinent ad reformationem eccleſie Dei in capite & in membris, nec dici poteſt, quod ſi judicio ejusdem ſacri Concilij papa ſubjectus eſt, tamen quod licite ſubterfugit, quia inique hactenus adverſus eum proceſſit, nullus enim catholicus audet aſſerere de eccleſia legitime congregata, ſive de univerſali ſynodo libera & inviolenta, quod unquam culpabiliter erravit in judicio, nec errabit in futuro. Tenentur enim omnes fideles ſine quavis exceptione acquieſcere ejus ſententijs atque mandatis, & injuriam faciunt judicio religioſiſſime ſynodi, quia

ea,

ea, que ſcilicet judicata ſunt, iterum conantur revolvere; & quod amplius hujusmodi exceptionem allegare non poteſt, qui dicit ſe ſufficienter inſtrumentum de veritate & juſtitia ſacri concilij, quemadmodum præfatus invictiſſimus Rex ſcilicet; præſertim ipſi Reverendiſſimi patres & illuſtriſſimi Principes Electores per ſuos oratores frequenter hoc profeſſi ſunt veſtra ſacra ſynodo, hec enim duo non ſe invicem compatiuntur, ut quis profiteatur ſe plene informatum de juſtitia & veritate, & tamen dicat ſe nolle eidem acquieſcere, nec excuſat dicendo, quod obedientia ſpectat ad preceptum affirmativum, cujus natura eſt obligare non pro ſemper, ſed pro loco & tempore. Itaque non erit de neceſſitate ſalutis pro omni tempore actu obedire concilio vel pape. obſtat equidem, quod licet non ſemper ac omni hora momento quis obedire teneatur, tunc tamen ad obedientiam ex neceſſitate tenetur, quando eidem precipitur, ſpectat namque ad precipientem pro adimplendo, mandatum, modum & ordinem aſſignare, & conſtat quod medio tempore hujus proteſtationis eccleſia precipit aliquid, aut poteſt precipere. Hec autem diximus nullatenus intendentes nominare invictiſſimum Regem ac prefatos dominos Electores, quos non credimus de hijs, qui ſunt fidei prave ſectarie, nec velle eximi ab obedientia ſancte matris eccleſie, ſed dicimus pro informatione veſtra ut agnoſcatis, quod Effectus dicte proteſtationis non tam debet extendi, quod a recto ſenſu diſtrahat, vel debita obedientia. Nec queuis proteſtatio

tio eximit ſubditos, ab obedientia ſuperiorum; eſt autem aliud advertendum quia dicta proteſtatio non ſolum videtur ſe extendere in hijs quæ pertinent ad preceptum affirmativum, nam etſi obedire tenetur quis pro loco & tempore, tamen non diſcedere tenetur pro ſemper, ſubtrahere namque ſeu eximere ſe ab obedientia Matris ſue eccleſie univerſalis nullo umquam tempore poteſt licere, prout 1° fili mi audi diſciplinam patris tui & non dimittas legem Matris tuæ. Item VI° ca° idem addens, quod Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & attendere debet, qui vult ſine lucerna & luce eſſe, unde ex hijs alijsque pluribus, quæ honeſtatis & compendij gratia referre deſiſtimus, premiſimus in principio, quod nullatenus credimus invictiſſimum Regem Romanorum tanquam de veritate & juſtitia eccleſie fluctuantis proficere, ſe nolle acquieſcere concilio, in quibus tenetur. Quod autem in eadem cedula reſponſionis ſubjungitis, quod vos tanquam oratores ſereniſſimi Regis Romanorum & ſacri Romani Imperij Principum Electorum & tanquam amatores pacis exhortamini & obſecratis ſacrum concilium ſeu patres in eodem ſiſtentes, quatenus acceptent dietam & locum conventionis, Reſpondemus primo quod ſacrum Baſilienſe concilium eccleſiam univerſalem repreſentans ſemper fuit, eſtque, & erit ſummo cum ſtudio, diligentia, ac ſolicitudine amator pacis, eſt enim opus pacis unum de tribus, propter quod eſt principaliter congregatum, & ab initio ſui tantam pro componenda pace inter diſſidentes

ſoli-

Digitized by Google

ſolicitudinem habuit continue, quod miſerunt ſollempnes nuncios & oratores frequenter, eciam Reverendiſſimos dominos Cardinales cum plena poteſtate legatorum de latere, & omnipotenti Deo gracias laboribus ſuis pacis copioſus fructus eſt conceſſus, quemadmodum Germania, ytalica & Gallicana naciones inclite atteſtantur, agentes de hac ſingularitate gratias Deo. Pro ea vero pace habenda, de qua vos oratores prefati videmini verbum facere videlicet cum ſummo pontifice, ſcimus quod pro ea, quod ſummus pontifex non obſervabat juſtas ordinationes eccleſie ac non obſervantes favoribus extorquebat, obſervantes vero perſequebatur. Intelligens ſacrum Concilium ex hujusmodi oriri turbationem pacis in eccleſia Dei, ſumma cum diligencia & labore plurimas fecit inſtantias a quinquennio circiter mittendo ad eum ſuper hac re quam multas ambaſſiaciones ſollempnes ymmo Reverendiſſimos Cardinales *ſanctæ crucis* & *ſancti Petri*, qui tandem apud eum non profecerunt ſuper hujusmodi, omittimus referre particularitates, quæ in aliis ambaſiatis inſtantiæ facte ſunt ad ipſum Dominum *Eugenium* obſecrando: ut condeſcenderet juſtis & racionabilibus peticionibus per eccleſiam eidem porrectis, ſed in ultima ipſarum porrecta ſunt petitiones VI. que videbantur neceſſarie ad perficiendum opus unionis Grecorum, quod maxime cordi erat ſacro Concilio, videlicet quod acceptaret electionem de locis pro ycumenico concilio, quodque dignaretur intereſſe, quod vocaret prælatos & alios, qui concilijs

lijs intereſſe tenerentur, quod promotoriales literas daret pro indulgentijs exequendis, quod concertaret cum concilio circa impoſitionem decime ſuper cleris, quod concederet ſalvum conductum pro acceſſu Grecorum, quem libere conceſſerunt omnes principes & communitates, a quibus fuit petitus. Ad omnes has petitiones poſt magnas dilationes in effectu reſpondit, ſe ad illas non attendere, niſi primo per ſacrum Concilium eligeretur locus ſibi gratus & accomodus pro celebrando ycumenico concilio, cum tamen primo per ſuas bullas remiſerit hoc negotium ad ſacrum Concilium, dicendo: quod ſua parum intereſſet, qua via aut quo modo is finis ſequeretur, & ultra hoc ſacro concilio in pace cum omni diligentia proſequente dictum opus unionis Grecorum, quantum ſcandalum per ſuos factum inibi fuerit ad diſſolutionem ipſius, Ita ut attemptaverint rem inauditam a ſeculis videlicet quod contra conſenſum multo majoris partis pacis cedulam quandam contrariam concluſioni ſacri concilij ſciſmaticum & nullius roboris publice facere, legi nec ſatisfuit, & a ſuis ponere impedimenta, ne concilium mitteret galeas in tempore ſtatuto, ſed & ipſe alias galeas in conſtantinopolim mittere curavit diviſionem latine eccleſie ex duplice legationis miſſione coram Grecis demiraturus, itaque ut favorabilem ſe oſtenderet ad dictas peticiones concilij, fecit, quantum in eo fuit, ut concilium diſſolueretur, ſimilimodo quod contigerit omnia in prima diſſolucione. Etenim cum ſacrum concilium expoſuiſſet

ei

ei neceſſitates ſuas & rogaſſet pro certis peticionibus ad ſui firmitatem conceſſionis earum loco diſſolvit concilium, merito autem cauſa admirationis offertur, nam cum ipſe ſummus pontifex univerſis principibus & cum omnibus aliis ad eum confugientibus liberaliter concedat, que ab eo petuntur, eccleſie legitime congregate denegavit peticiones juſtas, & pro liberaliori gratia, quantum in ſe fuit, jam bis diſſolvit ipſam, non licet diſſerere plures diſſidij cauſas que ab ipſo ſummo pontifice prouenerunt, quem quia vos dicitis ſuper non nullis medijs pacis & concordie benignum dediſſe reſponſum, intelligimus nos de pace, quam ipſe ſummus pontifex petere videtur non eſſe plenius informatos, verum ad veſtram cedulam reſpondentes dicimus ſecundo, quod ſi circumſtantias & preterita geſta attentius conſiderare velitis, reperietis ex parte ſacri concilij omnino fuiſſe datam operam ad ea, que veram pacem eccleſie concernerent, ex parte vero ſummi pontificis, etſi verbo ipſe ſepe commemoratus fuerit, ad eandem tamen veraciter & cum efficacia non attendit. Scitis enim, quod ille non querit veram pacem civitatis aut regni, qui contrarie juſtas leges regni infringit, & violationibus favens earum obſervaciones perſequitur. Quod ſic agat Summus pontifex notorie eſt diffamatus per maxime quoad ſanctas ordinaciones eccleſie, de electionibus confirmandis pecunia in collacione ſpiritualium non recipienda, & ita de multis alijs ordinationibus legitimis per eccleſiam factis, Juſtitia ſiquidem & pax

Digitized by Google

ſunt due ſorores, quarum pax junior absque juſticia obtineri non poteſt. Huic autem veritati inclita nacio Germanica quam maxime teſtimonium perhibet, preſertim in ciuitatibus & opidis Imperialibus, equidem inter ipſorum conciues eximie floret ſuauitas pacis, quia nulli permittitur contemnere, aut violare municipales ordinaciones, unde ſic juſticia preit & ſequitur abundancia pacis, de hoc & ſacra ſcriptura teſtatur; Etenim Jſaias inquit: Erit opus juſtitie pax, & quia omnis effectus a ſua cauſa dependet, absque juſtitia pax non habetur a quoquam; ſic eciam pſalmiſta inquit: quod miſericordia & veritas, que e regione venientes obuiauerunt ſibi, ſed juſtitia & pax oſculate ſunt colligate indiſſolubili vinculo. ſic eciam de futura pace tempore Chriſti idem prophetizavit, quod orietur in diebus ejus juſticia & conſequenter pacis abundantia. ſic eciam docet Ezechiel propheta, quod fruſtra dicitur pax, quia non erit pax, eo quod prophete predicantes hujusmodi pacem liniunt parietem luto absque paleis aſſerentes pacem haberi poſſe absque juſtitia & legis obſervacione, hos autem dicit prophetas ipſi prophetantes eſſe de corde ſuo ſequentes ſuum ſpiritum ſe nihil videntes. Item & Hieronimus dicit hos curare cum ignorancia concertacionem filij populi ſui; Et Jſaias, quod diſidunt in nihilo, ſub iſto equidem colore dicentes pax pax Pſeudo prophete tempore deſtructionis primi templi regibus applaudentes reſtiterunt Jheremie, & quoniam prædicavit, oportere eos ſervare juramentum, quod

quod anima preſtiterant, alias quod ciuitas cederetur in manus hoſtium, perſequebantur eum dicentes, quod pacem querent, ſed malum in populo; quicunque, itaque, recte attendit ad verba ſacre ſcripture, reperiet, quod pax absque juſticia difficile & nunquam obtineri poteſt. Unde cum ipſe Summus pontifex de continua violacione juſtarum ordinacionum eccleſie ſit notorie diffamatus, & ſepe requiſitus eas obſeruare contempnit, quod ſuper habenda pace dederit benignum reſponſum poteſt ſic judicari per eos, qui non ſunt de hujusmodi informati, adverſus autem ſacrum Baſilienſe concilium dando omnipotenti Deo Gloriam dici veraciter nunquam poterit, quod adverſus legem, quam merito obſervare teneretur, unquam ſynodaliter fecerit. Ad id autem unum cupimus animadvertere, ut ſenſibiliter cognoſcatis, quod ipſe ſummus pontifex non querit veraciter, pacem eccleſie. Ecce in prima ordinatione, quam fecit poſtquam electus eſt, juravit, obſervare circa capitula, que inter eum & aliquos Cardinales, dum in conclavi erant, fuerunt jurata, & in decretali ſub data 4te ydus Marcij, quam ad perpetuam rei memoriam poſt ſuam coronationem ſuper hoc edidit, profitetur, quod Capitula per eum jurata neceſſaria ſunt ad conſervandum ſtatum Romane eccleſie & monarchiam eccleſiaſticam. Item quod quemadmodum in temporibus preſentibus, quia illa non fuerunt obſervata, aliquando ſcandala fuerunt ſecuta, ita & in futurum ſequi poſſent, cum nota eccleſie atque pernicie. Hijs ta-

men non obſtantibus de continua violacione dictorum juramentorum ipſe ſummus pontifex notorie eſt diffamatus, itaque ipſe qui profitetur, quod obſervare dicta juramenta eſt neceſſarium ad conſervationem monarchie eccleſiaſtice, ſi ea ut notorie diffamatus eſt concilio, non obſervat, quomodo intelligeret, querere veram pacem eccleſie. Eſt etiam aliud, quare manifeſte convincitur non querens pacem eccleſie, ut namque Apoſtolus docet: ſine fide impoſibile eſt placere deo, & quia fides fundamentum eſt omnium bonorum, que a Deo obtinere ſperamus, ſine integritate fidei pax vera habere non poteſt. Sic enim apoſtolus loquitur, ut juſtificati per fidem pacem habeamus ad Deum, qui autem inſpicit Epiſtolam ſynodalem ſub data ydus marcij intueri poteſt, an Summus pontifex expreſſe ac de dictorum conveniat tribus veritatibus fidei jam per eccleſiam ſollempniter declaratis, in quorum unanimi confeſſione ſacrum Baſilienſe concilium conſtanter perſeverare intendit. Hec autem veritates ſunt, quod Romanus pontifex concilium univerſale actu congregatum ſine conſenſu ipſius concilij diſſoluere non poteſt, nec de loco ad locum mutare aut prorogare. Item quod generale concilium poteſtatem a Chriſto immediate habet, & Romanus pontifex ei obedire tenetur in hijs, que pertinent ad fidem, extirpacionem ſcismatis & reformacionem eccleſie in capite & in membris. Item quod Romanus Pontifex ea non poteſt immutare, que concernunt univerſalem eccleſie ſtatum. Amplius notorium eſt,

quod

quod ſummus Pontifex hac ſecunda vice diſſoluens, quantum in ſe fuit ſacrum Baſilienſe concilium, grauiter vulneravit eccleſiam infringendo ipſius ſanctiſſimam ordinationem conveniendo prout per ſacrum concilium opponitur contra declarationes fidei. Hoc autem vulnus cum primitus ſanabile eſſet, jamque in totum letale fecit, cum erexit actu Ferrarienſe conventiculum ſciſmaticorum & quoniam nunc in cedula, que dicitur eſſe ad pacem indebite aſſerit, inibi legitime inchoatum ycumenicum concilium, manifeſtum eſt, quod tenet gladium infixum vulneri, quamquam continue infigit, quomodo ergo dedit benignum reſponſum de medijs pacis? Ecce in prima diſſolucione ad primos oratores ſummi pontificis ſacrum concilium ſic reſpondit, hortamini vos ad pacem & unionem, utinam cor ori reſponderet, ecce genibus flexis ac plicatis manibus crudele bellum, quod nobis & eccleſie fertur tolli exoramus, ſed quomodo vero pax eſſe poteſt, ſi gladium in vulnere infixum tenetis, clamamus, tollite gladium, pax & unio in manu pontificis eſt, quam ſi dari eccleſia poſtulat, nunc vero in hac ſecunda diſſolucione cum juſto acrius quam primo gladius infixus per eum exiſtat, letaliter eccleſiam vulnerans in ea reſponſione, qua aſſerit, ſe hec recte facere, dicit quod benignum ad pacem dedit reſponſum, utinam non ſit hoc ad imitacionem Joab, qui tenens mentum Amaſe conſocij ſui, qui eidem oſculum pacis tribuens infixit gladium ad inteſtina ejus & occidit eum. ſic igitur, quod ſub iſto colore pacis, cum

Digitized by Google

amplius continue gladius inſigatur, non queratur mors & diſſolucio Baſilienſis concilij. Poſſetis fortaſſe dicere, eandem racionem inibi militare contra ſacrum concilium, quia perſiſtit in proceſſu, quem inchoavit contra dominum *Eugenium*, ſed oportet oſtendi primo, quam ex dictis legibus aut veritatibus fidei catholice ſacrum concilium convenit citando papam aut Exemplo beati *Job* quam juridice non ſciebat diligentiſſime inquirendo veritatem criminum, ſuper quibus eſt notorie diffamatus, non enim judex ex juſticia infixionem gladij in reum accuſatum legitime dicitur contra pacem venire. Volumus preterea unum vobis eſſe notum, quod ipſe ſummus pontifex a quinquennio inſtitit per ſuos legatos, qui in concilio fuerunt preſentes, pro ea pace, ad quam prout apparet ex medijs, que ad invenit, modo ſe dicit diſpoſitum & plurimum optare, hoc eſt, ut ſe intelligeret cum patribus ſacri Concilij, quo ad ſecuritatem ſtatus ſui. Eqnidem ab eo tempore præter multa brevia, quam plures bullas ſecreto & ad partem, quam tuleritis ex patribus transmiſſa fuerunt diverſis vicibus, tres generales bulle in concilio divulgate, quibus, committebat dictis legatis ſuis, poſſe remittere & abolere patribus omnia crimina contra ipſum & ſedem apoſtolicam commiſſa, eciam ſi leſe majeſtatis, aut errores fidei fuiſſent, vel hereſes quamquam componerent cum ipſis, ac cauciones & juramenta ſuo nomine darent, & ab ipſis reciperent. Patres vero ſacri Concilij firmiter credentes nullum ex hac

pecca-

Digitized by Google

peccatum commiſiſſe, quod in ſacro concilio diligenter intenderunt ad opera, propter que congregatum fuerat, nec petere nec proprio motu oblatam recipere voluerunt hujusmodi remiſſionem, & ut ceterum attendentes non veniſſe ea cauſa ad generale concilium, ut per cautionem & juramenta ſecreto data & recepta procedere deberent ad opus reformacionis ecclefie, ſed pocius ad id, quod in incorporatione jurarunt fideliter laborare pro ſtatu & honore ſacri concilij ejus decreta manutenere & defendere, ac dare ſanum & ſalubre conſilium ſecundum Deum & conſcientias ſuas ad effectum dictarum bullarum attendere noluerunt, nec enim pro tempore quo multi ex prioribus primo venerunt ad ſacrum concilium ſuper hujusmodi conſideracione de ſecuritate ſtatus pape aut ejus cura ipſis intereſſe poterat, equidem finis eorum fuit, intendere ad informacionem ecclefie que debite ſecuta, ſi decreta ſacri concilij ſummus Pontifex acceptare efficaciter voluiſſet, unde ſi ad finem predictum dieta, de qua eos ipſi preclari oratores mentionem facitis indicitur, vos intelligere poteſtis, quod quantum tangit ad hanc pacem de ſecuritate pacis ipſorum non fuit neceſſe indicere dietam coram ſereniſſimo Imperatore & prefatis dominis Electoribus, quoniam inter *Baſileam* multi ex patribus, quam precipue majores cum hujusmodi tractatibus ſepe inuitati fuerunt, ipſe etiam ſummus pontifex in ſecunda ſeſſione conuenticuli Ferrarienſis per quam tradidit eos prede & brachio ſeculari ſubjunxit, quod ſique vellent

 in

in termino per eum aſſignato recedere, omnia crimina remittebat eisdem & abolebat, ac ſi nunquam fuiſſent Commiſſa. Sepe eciam alij tractatus non tam ſecreto & privatim, ſed publice per legatos pape tam in ipſa quam in ſecunda diſſolucione moti fuerunt, quod revocarentur decreta contra libertatem & auctoritatem ſedis apoſtolice facta, quodque concilium aboleret omnia crimina per eum commiſſa hactenus ſicut in prima diſſolucione de certis criminibus fecit, aut quod revocaret hanc ſecundam diſſolucionem, & multa hujusmodi, ſacrum tamen concilium ne ſuo tempore paccatur contumeliam irrogare ſancte eccleſie Dei feciſſe leges quas velut minus juſte eſſent oportuit reuocari aut hujusmodi que detrahunt auctoritati eccleſie firmitati ac conſtantie fidei materia frequenter ſuper hoc habita deliberacione nunquam attendere voluerit, per hec autem, que dicta ſunt, vos ipſi clare intelligere poteſtis, animos ſacri concilij ſemper fuiſſe ac nunc eſſe inclinatos ad veram pacem, non ſic autem de ſummo pontifice, qui ut premittitur juſtas ordinaciones eccleſie veritatesque fidei conveniens & amplius ſemper infigens gladium vulneri eccleſie Dei pro libita voluntate, & nemo fidelium nec eccleſia legitime congregata de ipſius voluntate & diſpoſitione audeat quomodolibet diſceptare, nec ei dicere, cur ita facis. Tercio ad predictam cedulam reſpondentes, eo quod a nobis exponi intencionem & mentem ſacri concilij requiritis, quantum ad convencionem in predicta dieta &c. dicimus, quod

in

in ſacris deputacionibus ex parte ſereniſſimi Regis Romanorum & illuſtriſſimorum principum dominorum Electorum porrecta fuit cedula quedam duo continens in effectu, videlicet quod patres ſacri Concilij exhibeant ſe ſimiliter promptos ad tractatum concordie quemadmodum Summus pontifex dicens: quod jam ad tractatum concordie & pacis optima ipſe prebuiſſet auſpicia, quodque pendente tractatu usque in illum diem ſuperſedeant ab omnibus proceſſibus contra papam & ſuos inſtitutis ſeu fulminatis racione hujus diſſidij „ Hunc autem vos preclari oratores in premiſſa cedula reſponſionis premittentes, quod rex & Electores prefati intendunt dietam conuencionis ſaluberrime indicere, exhortamini ipſum concilium ſeu patres in eodem ſiſtentes, quatenus hanc dietam & locum conuencionis eorum una cum alijs metropolitanis velint ſuſcipere & amplecti. Quo ad primam peticionem potuerunt veſtre preclare circumſpectiones intelligere ex premiſſis, quomodo patres ſacri concilij, non quemadmodum ſummus pontifex, ſed veraciter ſemper ſe exhibuerunt promptas ad pacem, nec ſolum inquiſiuerunt pacem habere cum ſummo pontifice, ſed eam cum omni diligencia & ſtudio proſecuti ſunt, hodie eciam multo amplius ſe exhibent promptos ad veram pacem, per quam illibata cuſtodiatur veritas fidei, ſaluaque permaneat preeminencia univerſalis eccleſie ut auctoritas ſuprema in terris generalis concilij declarata ſollempniter in conſtancienſi & duobus alijs ſequentibus concilijs generalibus &

 per

per quam ſanƈte ordinaciones eccleſie que militant in diuinorum obſeruancia mandatorum, optime cuſtodiantur, & locum habeat generalis reformacio eccleſie in capite & in membris, pro qua conuenit ſacrum Baſilienſe concilium, promiſitque ad eam effeƈtualiter intendere multiplicatis literis ſuis per totam Chriſtianam religionem ſuam requiſiuit eccleſia, hoc idem ſummus pontifex per bullam ſub dato nono Kalendas Julij anno 1434. & leƈta in congregacione generali XXIII. ejusdem Menſis, cujus verba ſunt hec: ſupereſt ut eo affeƈtu, quo cepiſtis in Deum cottidie ſuccreſcentes ad generalem reformacionem ſine ulteriore mora vigiles ſitis, ſic deuotiones veſtras exhortamur in domino, noſtis enim, quantam ea indigeat religio Chriſtiana, quia ut ait propheta a planta pedis usque ad verticem non eſt in ea ſanitas„ In quantum vero exhortamini patres ad prefatam dietam pro pace eccleſie conuenire ſacro ſanƈta ſynodus & Baſilienſis plurimum laudat commendatque zelum, intencionem, labores, & opera, que inviƈtiſſimus Rex Romanorum Reuerendiſſimi & illuſtriſſimi Principes ſacri Imperij Eleƈtores concedunt ad pacem & quietem eccleſie Dei ſanƈte, plurimumque gratam habet & acceptam eorum unanimem confeſſionem, quam publice in ſacro concilio jam ſemper ſui oratores fecerunt dicentes, quod eſſent plene informati, nec quouismodo dubitarent de veritate & juſtitia ſacri concilij; Item & frequenter repetitam pollicitacionem eorum, quod pro toto ſuo poſſe defenſabunt auƈtoritatem ſanƈte matris

tris

Digitized by Google

tris eccleſie & ſacrorum generalium conciliorum. concilium gratias agit de hoc omnipotenti Deo & optat, quatenus in ipſis ſemper adaugeat Deus hanc ſanctam intentionem & propoſitum, rogatque ſimpliciter, ut harum ſuarum merito operacionum tueatur illos Deus, foueatque ſua benigna & ſpeciali providentia miſitque nos ipſos ad intimandum raciones & motiua patrum, quare non decet auctoritatem, libertatem ac preeminenciam ſancte Matris Eccleſie & generalium conciliorum nec expedit paci, quam proxime commemorauimus ſacrum concilium, modo quoad preſens inſtatur in hujusmodi dietam ſuum præbere conſenſum, quod eciam & vos ipſi preclari oratores clare percipere poteſtis, ſi, ſuper quo agitur & a quibus de forma ac fine libeat conſiderare. Inter patres ſacri concilij & ſummum pontificem non eſt queſtio ſuper auro & argento II. Regum XXI. ſecuritate ſuorum ſtatuum; aut ſuper re aliqua temporali, ſed ex eo quod ipſi eciam ab ipſo ſummo pontifice requiſiti conarentur effectualiter procedere aut reformacionem generalem eccleſie & citacionem fecerunt ad eum ut compareret infra LX dies coram ſacra ſynodo pro ſui defenſione aut excuſacione alleganda ſuper commemoratis eidem criminibus, & de quibus erat notorie diffamatus hec autem crimina fuerunt XII. conceptus & violacio decretorum que edita fuerunt in ſacro conſtancienſi & Baſilienſi concilijs, ſymonia, qualis ante ſua tempora in eccleſia numquam fuerat, Vilipenſio ſentenciarum concilij, quia quos concilium

lium ligabat, ipſe abſolvit, & econtra dilapidacio terrarum ecclesie, que ſub regimine ſuo exponebantur prede, & quod grauius, ad terram proſternebantur. Item alienacio ſpontanea de eisdem ſubita hominum mors per ſuos officiales juſticie absque ſacramentis ſuſceptis. Inconſultacio cardinalium acquieſcendo conſilijs indebitis. Notoria & continua violacio juramentorum. Item notoria ſcandalizacio ecclesie & fidelium. Abuſus poteſtatis a Chriſto conceſſe, quia in deſtructionem ecclesie, cum debuit eſſe in edificationem, deſtractio & impedimentum in ſanctis operibus fidei, ac introductio notorij ſciſmatis, & ſuper hec eciam crimen incorrigibilitatis, quia frequenter ammonitus per ecclesiam nunquam ſe voluit emendare. Nunc autem allegare ſeu diſcutere ſuper dictis criminibus ſummi pontificis, qui eſt primus princeps omnium Epiſcoporum & ſacerdotum in terris, utrum in hujusmodi dieta conueniant facile, ab hijs, qui nouerunt geſta & ſanctas ordinationes militantis ecclesie intelligi poteſt. Etenim ſi prelati ipſorumque vicarij in ſuis dioceſibus eciam usque ad periculum mortis ſe opponunt, ne ſuper criminibus nec dum presbiteri ſed nec clerici conſecrati ſe intromittant ad agnoſcendum & diſcuciendum, quanto magis deceret generale Concilium defendere eccleſiaſticam libertatem, ut crimina ſummi pontificis, qui eſt primus omnium ſacerdotum non diſcuciantur coram ſeculari judicio. Succedit aliud non minus graue, nam ea honeſtate, qua vocatus ad judicium, ut ſe purgaret de objectis

ctis criminibus, occideret judicem ſuum, ne teneretur coram eo comparere. Ita ipſe ſummus pontifex pro obediencia & reuerencia, quam exhibere tenebatur ſacro concilio, quantum in ſe fuit, diſſoluit illud, transtulit in Ferrariam locum ſue voluntati acceptum. Ex hujusmodi autem reſiſtencia, quam ipſe ſummus Pontifex fecit, viſa ſunt multa majora diſſidia, equidem nititur aſſerere, non obligari ad ſuſcipiendum & obſervandum decreta & ordinaciones generalis concilij, quod non potuit per concilium citari, quod non debuit puniri & ultra hec, quantum in ſe fuit, interdixit, ſuſpendit, excommunicauit, priuauit & inhabilitavit omnes patres in concilio ſiſtentes, poſtquam declarauit, ut tale ſumeret ſacrum concilium in vim & execucionem decretorum, que jam multo tempore aut facta fuerant, & in que ipſe conſenſerat, econtrario proceſſit eciam ad cenſuras eccleſie, agitur de hujusmodi & alijs plurimis, que ſpectant ad judicium Generalis concilij „ Preterea cum ſacrum Concilium oppoſuit ſummo pontifici multa dampnabilia tanquam crimina que usque hodie in eccleſia fuerunt reputata graviſſima peccata, ipſeque non diffitetur ſe ea perpetraſſe, ſed cum aſſerit ſe innocentem, & nunquam in hujusmodi delinquiſſe, quoniam pocius recte ac debite egiſſe. manifeſtum eſt, quod hujusmodi judicium, utrum predicti objectus ſint virtutes, aut peccata cognoſcere & diffinire, ſpectat quam maxime ad ſupremam poteſtatem generalis concilij; Hanc autem innocenciam in ipſo fore, quodque

nihil

Digitized by Google

nihil abradendum corrigendum in eo eſſe, ab inicio per ſuos oratores & poſt per literas ſuas ſepe publicatum eſt. Et quanto plus per ſacrum concilium eadem crimina commemorantur, ipſe audaciorem ſe reddit ad ſuam innocenciam oſtendendam in tantum, quod anno elapſo, cum nunciatum eſſet eidem, quod ſuperdictis criminibus erat notorie diffamatus ipſe poſt in bulla ſue ſecunde pretenſe diſſolucionis aſſerit ſe erigere conciliabolum ferrarienſe intendens talia verba proponere & agere ex quibus ſuam innocenciam orbis totus cognoſcere poſſit, nunc eciam in cedula ſua, que dicitur eſſe de reſponſione ſua ad oratores electores de eadem innocencia expreſſam fecit mencionem. Denique quia ipſe ſummus pontifex, ut ſuam poſſit diſſolucionem tolerare, aperuit unam viam periculoſiſſimam, per quam ſi vera eſſet, exemptus fieret non ſolum humane ſed legis divine videlicet quod ex cauſa neceſſaria licet contra legem impune venire, & ut pretendere videtur in aliis literis ſuis dicentes quod quia edificia eccleſiaſtica ſunt ordinaciones ſummi pontificis, & petra per quam Chriſtus proteſtatus eſt, velle edificia ponere, ideo abſonum eſt de diſpoſitione ſua per quemuis fidelium quomodolibet diſceptari. Unde ſecundum hoc judicium hujus utrum ſit cauſa neceſſaria, vel non ſpectat ad eum, qui legi erat ſubditus & eam conſeruare tenebatur, extendit eciam hanc qualificacionem ad veritates fidei, & ſic quod licet eas negare euidentiſſimum eſt, quod ſuper hac tam grauiſſima re judicium ſpectat

ad

ad generale concilium. Item quia ad defendendam ſuam ſciſmaticam congregacionem fundat ſe in cedula illa concluſa a ſuis legatis, cum multo minori parte ſuppoſitorum ſacri concilij dicit, quod ad eos poteſtatem deuolutam fuiſſe eligendi & ſic, quod ipſi forent totum concilium & potuerunt ſe taliter nominare, ac deſtinare in Greciam oratores nomine ſacri concilij. Nunc autem diffinitur verum jus eligendi locum ad illos paucos fuerit deuolutum, & quod grauius eſt utrum minor pars ſuppoſitorum, que dicitur majori ſuffulta racione debeat preualere majori parti in generalibus concilijs. Notorium eſt, quod hoc diffiniri non poteſt aut debet, niſi in concilio generali. Equidem via hec, ſi ita debeat manere, ſufficiens eſt, ut nunquam aliquid diffiniatur in generali concilio, aut nunquam ſit pax in eccleſia Dei, nam major pars, cum ſit potencior, exequetur ſuam concluſionem, minor, ſi quemadmodum pontifex vult, liceat ſibi aſſerere, quod majori ſuffulta ſit racione, numquam acquieſceret majori, ſemperque procurabit diuiſiones in Eccleſia Dei. Extenderetur eciam hujusmodi exemplum ad quantumcunque conſulatum, vel ubi agitur ſupremum Judicium. Equidem ſemper minor pars ſe opponet contra majorem dicens, quod ipſa eſt ſuffulta racione majori. Amplius cum ipſe opponat contra patres ſacri Concilij, quod jam fere ſeptem annis in Baſilea conuenientes maneant ſeparati a ſuprema Romana apoſtolica ſede Chriſtianorum matre & capite, & ex alia parte confiteatur Baſilee ſemper

per fuiſſe usque ad hanc ſecundam ſuam diſſolucionem, generale concilium, unde ſit, conſtat, quod in medio eorum fuit Chriſtus, utrum hujusmodi ſeparacio dicatur racione ipſius, eo quod ſe ab eccleſia ſeparauerit, aut racione patrum diffinire ſpectat ad generale concilium. Poſtremo hoc euidentiſſime patet ex eo, quod potiſſima doctrina omnium harum diſceptacionum eſt ſuper primis premiſſis veritatibus fidei, quas ipſe Dominus *Eugenius* aperte negare videtur. Et concilium aſſerit, quod illas manutenere & ad conſeruacionem ſtatus eccleſie & in obſeruancia legis divine. Item quia videtur incidiſſe in errorum fidei, quem primo ſolempniter revocauit ymmo qui abjuraſſe videtur. conſtat enim quod tempore prime diſſolucionis concilium per ſynodales reſponſiones datas oratoribus ſuis & decreta promulgata publicis ſeſſionibus informauit debite ipſum ſummum pontificem, quod non poſſet diſſolvere concilium absque ipſius conſenſu fidem concerneret, nec ſine interitu ſalutis negligi poſſet, conſtat enim ipſum multas formas de ſua adheſione preſentaſſe, quibus quia non dedit aſſenſum, ſed poſt in publica ſeſſione ſacrum concilium mandauit eidem certam formam adheſionis, ut nullo addito vel mutato ſed prefixa forma eidem confiteretur veritatem, & reuocaret quamquam in contrarium per ſe aut nomine ſuo aſſertum foret, & in futuro talia facere non temptaret, quod & ipſe in termino eidem aſſignato fecit, ſuaque revocacio & confeſſio veritatis nec non promiſſio, quod in futurum ab hujusmodi abſti-

abſtineret, fuerunt acceptata per concilium in ſollempni ſeſſione publicatis literis ſuis preſente *Sigismundo* dive memorie Romanorum Imperatore. Et fortaſſis reuocacio alicujus alterius erroris nunquam a principio naſcentis eccleſie tam ſollempniter facta fuit. Et nunc quia veritates fidei tanto opere declaratas non euidencius impugnat, quarum contrarias aſſerciones ipſe ex Mandato eccleſie in ſollempni judicio reuocauit, ſatis percipi poteſt grauitas in proceſſu fidei. Adhuc eciam per literas ſuas publicat, ſacrum concilium Baſilienſe eſſe ſynagogam perfidam iniquorum & ſuppoſita ejus tractanda eſſe tanquam ſint hoſtes fidei chriſtiane. Unde ex predictis aliisque opponitur ſibi, quod erret in fide veniendo contra illum articulum, qui eſt quo ad conuincendam aberrancium perfidiam primum principium irreſolubile fidei noſtre videlicet unam ſanctam catholicam Eccleſiam. Cum ergo principaliter doctrina ſit ſuper materia fidei non ſolum circa unam ſed circa plures veritates catholicas, quoniam ſacrum Generale Concilium, quod ab omnibus fidelibus veneratur tanquam competens legitimus & indubitatus judex in cauſa fidei hujusmodi cauſas ad ſe aduocabit conſentiendo per alias quaſcunque ſingulares perſonas, eciam ſi maxime ſint excellencie & dignitatis tractari & diffiniri. Secunda conſideracio eſt ex condicione perſonarum eorum, quibus agitur, ut ſacrum concilium & papa allegare debeant de innocencia & juſtificatione ſua: ſunt equidem inuictiſſimus Rex Romanorum, quam Deus ſempiterno

terno foueat preſidio ſuo, ſunt & illuſtriſſimi principes ſacri Imperij Electores, qui licet perſonaliter eſſent in ſacro concilio, ubi de correctione ſummi principis omnium ſacerdotum, ubi de ceteris prenominatis hujusmodi cauſis ſpiritualibus ageretur pro honeſtate ſua, eciamſi uocarentur, dicerent, ſe nolle perſonaliter intereſſe, ſiue audire & examinare crimina pape, quemadmodum ille primus catholicorum Imperator magnus *Conſtantinus*, cum Epiſcopi ad eum porrigerent libellos ſuos ipſius expoſicionis judicium, reſpondit eis, Deus conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit, de nobis quibuscunque judicandi, & imo nos a vobis recte judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, vos enim nobis a Deo dati eſtis Dij, conueniens autem non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt Deus ſtetit in ſinagoga Deorum, in medio autem Deus diſcernit, hoc in libro conciliorum ſilere exemplum legimus de *Theodoro* rege XVII. di §. hanc eciam. Item *Ambroſius*, extra LXXVIII. cum eſſet vocatus ab imperatore ut coram eo reſponderet, Aduerſarijs inquit de ſe ipſo ad palacium Imperatoris nec libenter, ſi hoc congrueret ſacerdotis officio, ut in palacio magis certaret, quam in eccleſia, ſed in conſiſtorio non reus ſolet eſſe Chriſtus, ſed judex in cauſa fidei in eccleſia agenda quis abnuat, ſi quis confidit, huc veniat,, Tercia conſideracio eſt ex parte forme, hoc eſt ordinis & modi agendi eciam & exempli, ex hoc in futuris temporibus commemorandi. Ecce poſtquam Dominus *Eugenius*

genius ſuper ſuis notoriis criminibus citatus eſt, ut de eis ſe excuſaturus compareat, in ſacro concilio ipſe pro reuerencia ſancte matris eccleſie per concilium repreſentate diſſoluit concilium, & tranſtulit in locum ſue voluntati deditum, interdixit, ſuſpendit, excommunicauit, priuauit & inhabilitauit omnes patres concilij, & ad grauiora procedendo tradidit eos prede & brachio ſeculari, quod vero ſumme per horreſcendum erat, actu erexit altare prophanum contra altare legitimum, hoc eſt congregacionem ſciſmaticam aduerſus catholicam, & nunc, poſtquam hec omnia tam nociua Eccleſie Dei operatus eſt, petitur ut ſacrum concilium conſtituat procuratores, ſive deputet legatos ad dietam & locum aſſignandum a prefatis extra locum concilij cum plena poteſtate ad certandum, pertractandum, & amplectendum concordium cum ſummo pontifice, qui tantopere eccleſiam uulnerauit, quia in futurum dicetur querele exemplum poſteris dabitur, quoniam veritas dicetur inconcuſſe ſeruari, qualiter practicabitur declaracio ſacri concilij Conſtancienſis, cum enim dicetur a ſucceſſoribus, quod papa juxta declaracionem ſacri concilij conſtancienſis eſt ſubjectus concilio in tribus reſpondebitur ſtatim, quod verum eſt ſed ultra hoc oportet attendere, quomodo fuit de hac practicatum. Nam cum concilium Baſilienſe, quod durauit tot annos in premiſſis decreti citauere papam *Eugenium* quartum ſuper magnis criminibus, de quibus erat notorie diffamatus ipſe aſſerens, quod nulla ſuper eum juris-

 dictio

dictio competeret concilio, diſſoluit illud, & tranſtulit in alium locum, Item excommunicauit & priuauit omnes in dicto concilio exiſtentes, ſi in minimo de cetero non ſolum contra eum, ſed contra aliquem de oratoribus ſuis procederent, declarauitque ipſos ut tales, & tradidit eos prede & brachio ſeculari. Poſtmodum ita factum eſt, quod de neceſſitate oportuit ipſos de concilio venire ad preſenciam Regis Romanorum, & ibi ſe concordare cum papa. Denique actum ſic eſt, quod ipſe non obſtantibus his omnibus manſit ſecurus de ſtatu ſuo, & illis fuit datum intelligi, non ad acriora contra eos procedi, quod ad gratiam reputarent, non aſſeritur, quod erit de futuro; ſed quoniam pro intelligencia legis divine & aliorum, cum petitur, maxime attenditur, quomodo per bonos viros fuit ſuper eo practicatum. Exemplum de hujusmodi practica ſuper proceſſu contra papam inchoatum nimis diſtrahet fortaſſis ab intelligencia dicte declaracionis conſtancienſis habenda in futurum, quod ad preeminenciam auctoritatis Eccleſie & generalium conciliorum: Preterea ſi papa in futurum foret hereticus aut tractaret de ſecta infidelium introducenda in Chriſtiana religione, eſſetve dilapidator notorius aut in dampnato ſciſmate & notorijs criminibus, remedium contra ipſum, ut non noceat amplius eccleſie, eſt auctoritas dicti decreti, Unde ex hoc manifeſte quisque intelligere poteſt, quod nullatenus decuit patribus ſacri concilij acquieſcere, ut prime, nec multominus ſecunde diſſolucioni pape, quomodo

ex

ex actione concilij argueretur practica ad intelligenciam contrariam intencioni predicti decreti, amplius euidentiſſimum eſt, quod ea que notorie ſunt verius vera non ſunt in dubium revocanda, quia igitur papam fore ſubjectum concilio in premiſſis tribus. Item non poſſe diſſoluere concilium, iſta ſunt notorie vera, quia ſepe jam per eccleſiam, eo ipſo, quod concilium conſtitueret legatos cum plena poteſtate ad practicandum ſuper hijs concordiam & pacem jam videbatur ponere in dubium, quando primo predicat tanquam pertinens ad catholicam fidem, quemadmodum non rationabiliter pateretur hodie a quocunque, quod ipſe ſuper quocunque articulo fidei, quem alius quiuis in dubium poneret, deberet ſuper eo dicere poteſtatem ad concordandum,, omnes autem aſſerciones & veritates fidei ſunt equalis neceſſitatis. Dato enim caſu in declaratione unius erraſſe eccleſiam, in diffiniendo nulla eſt ſtabilitas fidei noſtre, quatenus dicetur, quomodo in iſto, ita potuit errare in alijs omnibus. Quod autem hujusmodi veritates fidei ponantur in dubio hoc pertinet ad deſiderium ſummi pontificis, qui facto aut verbis contra ipſas veritates ſacri concilij generalis, cum per concilia declaretur fides & firmetur, intereſt nullatenus conſentire, ne hujusmodi, que certa ſunt, in dubium reuocentur: Denique manifeſte apparet, quod hic modus tractandi, modo quo papa conſentit, aut difficilis eſt, aut impoſſibilis, hortatur enim & requirit prefatos dominos Electores, ut in aliquo loco Germanie,

manie, Baſilea excepta, conueniant cum inuictiſſimo domino noſtro Rege Romanorum & ibi mittet legatos ſuos. Ecce requiritur perſonaliter aſſiſtencia tam Regis quam aliorum omnium, unde, ſi aliqui aut unus ex iſtis deficiat, apparet, quod nihil debet fieri. Experiencia autem preterito tempore demonſtrauit, quotiens cum diue memorie Sigismundo omnes Electores viſi ſunt in eodem loco. Manifeſte itaque apparet, quam exanimam querit pacem ſummus pontifex, qui per talia media tam difficilia aut impoſſibilia dicit ſe velle ad eam peruenire. Rurſus eſto, quod ibi in illa dieta omnes, videlicet Rex & Electores prefati in ſimili conuenirent, & declararent ſe concorditer ſuper hijs, in quibus poſſent ipſismet temporalibus de quibus cum inter patres concilij & papam non eſt diſceptatio aliqua, ſi in alijs vellent ſe intromittere, ut intenderet ad dandam certam concordiam propter arduitatem materie, propter diſceptancium utrumque validiſſimas oppoſiciones ſtatim dari concordia hujusmodi non poſſet & diu ſimul in eodem loco raro aut nunquam ſtare viſi ſunt, tunc ergo aut alia dieta protraheretur in longum, vel ad aliam dietam continuaret. Attento quod ex parte pape talia allegarentur in facto, atque probanda peteret dilaciones. hoc eſt autem, quod papa ſumme deſiderat, ut per dilaciones, quas exquiſitis coloribus captat, ſubterfugiat judicium concilij, ne reuelentur crimina, ſuper quibus delatus fuit. Abhorret namque ut omnes cognoſcunt, quod ipſe non eſt talis, qualem ſe

predi-

predicat. Etenim fortaſſis conſtabit, quod non innocens, ſed fortaſſis inter maximos peccatores erit annumerandus, qui interim eſſet de firmitate concilij, ut jam poſt ſeptennium patres ſic trahantur in locum; offert ſe eciam hic conſiderandum, quod cum papa dicat ſe non conſciencie agende de pace & concordia, niſi primum auditis legatis ſuis in juſtificacionibus & innocencia ſua, que in hujusmodi dieta coram prefatis Rege & Electoribus neceſſe erit in publicum referri crimina, ſuper quibus papa notorie eſt diffamatus. Item ex parte ſua, prout jam cepit agere, in quadam inuectiva non minus multa vero aut falſo objicientur contra patres celebrantes ſacrum concilium, quid hec aliud eſſent, quam coram filijs & alijs detegere pudenda patris, fortaſſis continget & aliud, quod ſi qua pudenda ſunt in pluribus horum, qui ſe mediatores conſtituent, eciam reuelabuntur ex mutua inuicem relacione criminum: omnes nouimus, quibus ſequi eſt conſuetum diviſiones, ſcandala, aliaque graviora. Et ſic dieta hec, que dicitur conſtituta ad pacem, utinam non pariat diviſiones majores, non deerit qui dicat, quosdam ex mediatoribus prius indigere reformacionem, & per hanc viam effugere velle. Verum ex his manifeſtum vobis eſſe putamus, quod tam racione mali exempli in futurum non preſtandi, quam racione difficultatis ac impoſſibilitatis in modo judicij. Item ne id, quod certum eſt, reuocaretur in dubium & quia ſic deluderetur judicium, nullatenus decet ſacrum concilium ad hu-

jusmodi dietam conſentire demittendo legatos modo, quo agitur. Poſtremo quo ad hanc partem dicat conſiderare finem. Creditur namque Electorum ſit, quemadmodum decet ſacros principes, omnia agere, ut pacatam ſuis temporibus velint eſſe eccleſiam. Conſiderandum eſt igitur per hanc viam, quomodo id fiat, aut eciam hoc erit, quod legati tam ſacri concilij, quam pape coram ipſis tanquam judicibus debeant allegare pro ſua parte, que ſciant ad ipſorum juſtificacionem. Certum eſt, quod hoc modo fieri non poteſt, & nec ipſi vellent ſe nominare judices concilij & pape, ſi enim declaratum eſt in concilio conſtancienſi, quod judicio concilij ſubjecti ſunt omnes fideles eciamſi papalis dignitatis, quod coram ipſis tanquam judicibus tam concilium quam papa debeat comparere, nullatenus de ſua creditur eſſe intencione. Erit igitur unus de duobus modis, vel quemadmodum Reverendiſſimus Dominus *Julianus* legatus pape Cardinalis *ſancte Sabine* & preſidens dicebat in concilio, quod ex parte pape & ſacri Concilij compromittere, ſecundum quod inter diue memorie Sigismundum, quod nunc eciam ſic invictiſſimum Regem Romanorum & prefatos dominos Electores compromittatur. Hoc eciam ſtare non videtur, que cauſe ſuper quibus eſt doctrina ſunt talis nature, quod in eis non cadit tranſactio ut compromiſſum, vel erit ſic, quod invictiſſimus Rex & Electores conſtituant ſe in illa dieta mediatores pacis & tractatores bone concordie dando aliqua auiſamenta legatis ſacri concilij & pape

utrum-

utrumque que ſibi conuenire videantur ad pacem, ut in illis debeant conſentire, & ſi in illis conſenciant utrumque bene, ſinant ipſi, per ſe concipient ad auiſamentum, de quo ipſis videatur, & ſi nulla pars ad id velit conſentire, ipſi exequentur per ſe, & ſi aliqui tunc illam, quam eisdem concordabit, adjuvabunt exequi ut viſum eſt per oratores cum de Ferraria reuerſi propoſuerunt in generali congregatione, ut ſic ſua mediacio efficax reputetur. Erit ergo finalis Reſolutio prout a quibusdam eſtimatur, quod licet non dicatur per modum judicij aut per modum compromiſſi, ſed per modum mediacionis dieta ad hunc finem indicitur, quod ſacrum concilium teneatur de neceſſitate acquieſcere judicio illius diete. Et enim dixerunt, quod illud facient obſeruari, non illud dicerent, ſe exequi velle, niſi juſtum crederent eſſe, & ſic, an juſtum ſit, uel non, totum ponitur in principium judicio, & ſic ſacrum concilium, cujus judicio ſubjecti ſunt omnes fideles cujuscumque ſtatus eciam ſi papalis dignitatis experietur in ſe primo practicam illius decreti, quod ipſi concilio lex imponatur, quam ſeruare teneatur de neceſſitate. Patres ſacri concilij apertiſſime cognoſcunt, quod invictiſſimo Rege Romanorum & præfatis Electoribus non conſencientibus ipſi *Baſilee* non poſſent celebrare concilium, quia poſſent inde violenter expelli, non dicitur, quod erit futurum, hoc tamen procul eſt ab ipſorum eſtimacione, quod talia de prefato inuictiſſimo Rege & electoribus debeant cogitare, ſciunt enim, quod a principio

O 5 ipſi

ipſi domini Electores ſuos oratores miſerunt & firmarunt ſacrum concilium. Item ſicut ultima cedula continet, polliciti ſunt, ſeruare auctoritatem ſancte Matris eccleſie & generalium conciliorum, de ipſo autem inuictiſſimo Rege patres cum omni fiducia ſperant, quod ſemper proteget ac defendet in omni libertate. Sed dato caſu, quod in ipſum auiſamentum concordatum non conſentirent, eciamſi execucio contra patres fieret, non ab hoc pacata reddetur Eccleſia, quia ex hoc non acquieſcerent omnes Reges & principes, qui ſacro concilio ſunt incorporati. Id autem verum, licet vos ipſi attendere poteſtis, quod cum notorium ſit, in chriſtiana religione ſeculari judicio clericos aſtringi non debere, ſummus pontifex, qui primus princeps omnium ſacerdotum ſciens de jure ſe non eſſe aſtrictum ad tenendum, quod in ipſa dieta fuerit declaratum, ut veri ſimiliter preſumitur, ſi contra ſe videat eſſe, conabitur id effugere multo audacia majori, quam nunc effugere conatur judicium generalis concilij, ad quod fere quilibet fidelium ſcit in eis cauſis, ſuper quibus cauſis agitur, eum fore ſubjectum & acquieſcere obligatum. Verum ſi dicatur, quod nec concilium aut papa id valeat recuſare, quod in ipſa dieta illud judicium fiet de conſenſu omnium Regum & Principum ſimiliter prelatorum & ordinum oportebit tunc oratores omnium Principum & communitatum intereſſe ad illam dietam, Item & prelatos religionis Chriſtiane, quorum per maxime eſt in his rebus judicium & tunc ſi hijs perſona-

ſonaliter aut per ſuos oratores adeſſe deberent, quid reſtabit, niſi ſuper duo tercium addere generale Concilium, quinymo cum ad diffinicionem iſtius tercij alia duo deberent acquieſcere, jam enim conſtitueretur tercium tribunal judicij ſuper auctoritatem concilij & pape. Equidem in futurum dici poſſet, quod non in concilio, quod erat legitimum, nec in alio, quod papa erexerat, ſed in eo quod Imperator & Electores conuocarunt, judicium accepit diffinicionem ſuper differentijs omnibus, pro quibus papa reſiſtebat concilio, non enim erit in poteſtate viuencium retinere calamum ſcribencium in futuro, quin illam congregacionem vocent concilium, cum in illa tanquam vocati interfuerunt legati concilij & pape item prelati alijque viri Eccleſiaſtici ſimiliter oratores regum & principum, & quod majus, quia de cauſis tam mere ſpiritualibus ibi dicetur eſſe diffinitum judicium, adhuc inter patres ſacri concilij multum deliberabatur in deliberacione, qualis ſecuritas dari poſſet, per quam eccleſia certa ſit, papam id quod fuiſſet in predicta dieta diffinitum tenere, cum enim per tres vices jurauit ſollempniter obſeruare capitula concordata in conclaui videlicet ante ſuam electionem & immediate poſtquam fuit electus, ſimiliter & poſt coronacionem ſuam, & cum prout ſupra commemoratum eſt de non obſervancia juramentorum ipſorum eſt notorie diffamatus. Item cum per ſuam adheſionem tam publice fecerit ſollempniter in publica ſeſſione, preſente ut dictum eſt, diue memorie *Sigismundo* Imperatore promittendo,

Digitized by Google

tendo, quod de cetero abſtineret a gravaminibus inferendis contra concilium & ſuppoſita ejus, & cum qualiter hoc ſeruauerit, facile poteſt teſtimonium haberi; Præterea cum inter deputatos a ſacro concilio deliberaretur de ſuorum admiſſione preſidencium repertum eſt bullas facultatis ipſorum, eſſe de datis bulle ſue adheſionis non tamen conformiter ad illam in ipſis bellis continebatur, unde inter quosdam ex patribus cepit moneri, quod ſua adheſio non realis ſed verbalis fuiſſet. Sed prefatus *Sigismundus* predicens ſe intelligere, quod in hujusmodi bullis de preſidentia eſſet venenum, rogauit quod concilium faceret ad modum boni medici, qui de veneno cum admixtione ſalutarium herbarum conficit pocionem, que ſuauitatem inducit, reciperenturque ſui gracia ſupplicantis, ſed ne poſſet nocere, affigerentur in concilio ſicut imagines, patres igitur, quoniam vident, quod ſuprema adheſione eadem die bullas in totum repugnantes conceſſit plurimum, ſuſpicantur ſua ex parte hujusmodi tractatum concordie claudicare, ſicut eciam quod cum conſenſerunt materiam unionis Grecorum debere perfici prout ordinaret concilium, poſtmodum tamen impediendo curſum indulgenciarum, que ne pecunie maturarentur concilio & remittendo galeas pro contraria legacione, quantum in ſe fuit, viſus eſt concilium impedire. Non fecimus denique mencionem de multis difficultatibus evaſionibus & alijs, que interueniunt ad diffugium, ne, quoniam eccleſia ſub eo modo debito regimine aſſit, amplius publicetur. Ulcionis

vero

vero ſub hac conſideracione finis attendendus erat, quod hic modus tractandi modernas differencias in eccleſia exortas ab antiquo non fuit obſeruatus, quoniam contingit fieri diffinicionem ſuper diſceptacionibus que multiplicatis jam vicibus contigerunt, nulla enim congregatio ita proprie in eccleſia dicitur congregacio ſanctorum ſicut eſt generale concilium, dicimus enim quod ſancti patres congregati in Nicena aut Calcedonenſi, item de temporibus noſtris in Conſtancienſi & Senenſi ſynodis hec & illa fecerunt, nec tamen aliquis ipſorum, qui in hijs duobus ultimis concluſis interfuerunt, adhuc eſt ab eccleſia canonizatus, tamen ipſa congregacio concilij dicitur congregacio Sanctorum, non ſic autem alia quelibet, ut apoſtolus docet in Epiſtola ad Corinthios negocij judicium debet fieri apud Sanctos: Conſequenter de nullis congregatis eſt ita certa fides, quod in medio eorum ſit Chriſtus, ſicut in generali concilio, item quod eidem congregacioni preſidet Spiritus ſanctus, ſimiliter quod eadem congregacio ſit in nomine Chriſti ac in Spiritu ſancto, quamquam congregacio hujusmodi univerſalem eccleſiam repreſentat, ex iſta conſideracione legimus, apoſtolos ipſos, de quibus certitudo erat, quod Spiritus ſanctus in eis loqueretur, conueniſſe ad concilium generale pro habenda diffinicione de queſtionibus fidei & alijs controuerſis, ut de *Paulo* in Antiochia ſuper obſeruacione legalium, qui aſcenderunt ex ſtatuto communi eccleſie *Antiochie* ſuper dictam queſtionem ad apoſtolos & presbiteros in *Jeruſalem.* conſtat

autem,

Digitized by Google

autem, negocia, ſuper quibus nunc agitur eſſe talia, que requirunt concilij generalis judicium, quanquam in eo cepta ſunt & ubi judicium cepit, ſortiri merito debet finem, nec honeſte ſumi absque prejudicio preeminencie eccleſie & auctoritatis generalis concilij expeditio finalis hujusmodi cauſarum, que diuinum requirere videntur judicium quibuscunque ſuis ſuppoſitis quantumcunque præſtantiſſimis per concilium poſſe committi, unde veſtre preclare circumſpectiones merito intelligere poſſunt, quod judicium hujusmodi Cauſarum ſpiritualium & tanti ponderis a congregacione ſacri concilij Baſilienſis, quod univerſalem eccleſiam repreſentat, congregatum eſt in Spiritu ſancto & nomine Chriſti, diciturque congregacio Sanctorum ac in medio ejus eſt Chriſtus & preſidet ſpiritus ſanctus, nullatenus deceat ab eo abſtrahi conſentiendo in aliud quomodocunque judicium, de quo hujusmodi, quod eidem aſſit, non ita certum eſt, ſicut eſt notum de prefato Generali Baſilienſi Concilio. Hec eſt enim cauſa, quare judicio generalis concilij omnes fideles acquieſcere tenentur, nec licet cuiquam illi refragari, quia ſententia ejus creditur ex ore altiſſimi proceſſiſſe, & non permittendum eſt cuiquam diuino contradicere judicio, judicium autem illius diete, quoniam ad humanam prudentiam refertur illi non ſit ex neceſſitate diue legis reuerentia dicitur debita eſſe. Equidem diſcipulis Chriſti eorumque ſucceſſoribus, non autem illis, quorum conſtituit ipſos fore magiſtros ac doctores dictum eſt, ſicut miſit me pa-

ter,

ter, ego mitto vos, & qui vos audit, me audit, & quicunque dixerit vobis ſeruate & facite, item hoc & omnes gentes ſeruare omnia, quecumque mandaui vobis, & quecumque alligaueritis aut ſolueritis ſupra terram, errunt ligata & ſoluta in celo, que verba juxta expoſicionem Auguſtini ſic debent intelligi, hoc eſt: Ego Deus & omnes celeſtis milicie ordines & omnes Sancti in gloria mea laudant nobiſcum & confirmant, quod ligatis & ſolvitis. Cum ergo judicio generalis Concilij cenſetur Deus aſſiſtere illud comprobare & confirmare cum tota curia ſua celeſti, non ſic autem certum eſt de judicio cujusvis alterius congregacionis, veſtris circumſpectionibus jam credimus eſſe notum nullatenus decere generale Concilium a ſe hujusmodi cauſam remittere ad hujusmodi dietam, ſuper qua & prout inſtatur ad preſens. Quo vero ad ſecundam partem petitionis facte per oratores prefatorum ſereniſſimi Regis & Dominorum Electorum, cujus effectum ſed amplius modificatum vos ipſi preclari oratores in dictam viam Reſponſionis cedula ſubjungitis, videlicet quod pendente tractatu concordie usque in illum diem ſuperſedeant patres concilij ab omnibus proceſſibus contra papam & ſuos inſtitutos ſeu fulminatos racione hujus diſſidij. ſacra ſynodus nobis commiſit intimare vobis, quanta cum manſuetudine & modeſtia adverſus ſummum pontificem hactenus ipſa proceſſit, quodque pendentibus ſuper ſeſſionibus ad Inſtanciam pro eo ſupplicancium ſibi conceſſis numquam ab inceptis abſtinuit, ſed ſemper contra

conci-

concilium & ejus ſuppoſita grauiora attemptauit ſcandala, quodque periculoſa ſit unitati ecclesie & veritati fidei catholice in hujusmodi ſuperſedere, & quantum deceat judicium ſacri concilij in ſpiritus libertate manere nec in ſuis coactata judicijs ad cujusuis hominis voluntatem. Cupimus namque vos attencius ſuper hac manſuetudine conſiderare, quod cum per ſacrum Concilium intimatum fuerit oratoribus ſummi pontificis in illa diuulgata reſponſione cogitanti, quod exemplo illorum, qui poſt receſſum pape *Joann. XXIII.* perſeuerantes in concilio Conſtancienſi ab omnibus commendati ſunt, ita patres ſacri concilij intenderent, niſi quod lencius procederent, expectantes, ſi moleſtent cor ſummi pontificis. Ecce jam ſex anni tranſacti ſunt, quod hec verba dicta fuere, quod autem ambaſiate ſeu inſtancie ex parte ſacri Concilij facte ſunt, ut ſe corrigeret, ex parte ſupra dictum fuit, & tamen effectus hujus mollitudinis cordis ſummi pontificis non ſentitur. In Evangelio de plantante ficulneam legitur, quod expectatis tribus annis voluit eam non ferentem fructum, ſuccidere, ne terram inaniter occuparet, ſed rogatus, ut per annum adhuc ſtare ſineret, vix acquieuit. Quid autem, ſi ceteras arbores fructificare impediret, modernum ſummum pontificem ita agere conſpicit univerſus, ut occaſione ſui univerſa eccleſia grauiſſimis turbacionibus ſubjaceat. Nemini præterea docto viro in dubium, quin pro eo, quod ſecunda vice papa diſſoluit concilium, ſtatim potuiſſet in eo acerrime vindicari. Quodque ex reſiſten-

Digitized by Google

ſiſtencia, quam fecit ecclesie, potuiſſet procedi, atque longiori dilacione ad ejus priuacionem. Etenim quoniam ecclesiam non audiebat, ymmo contra eam inſurgebat, reputari potuit merito ut ethnicus & publicanus. Verumptamen ad inſtantiam diue memorie *Sigismundi* Imperatoris & prefatorum Dominorum Electorum per certum tempus expectare voluit ſacra ſynodus, cujus expectacionis tempore amplius ſe fortificauit mittendo bullas convocacionis pro erigendo ſuo conciliabolo *Ferrarienſi*, item mittendo ambaſſiatores, tempore eciam quatuor menſium ad revocationem dicte pretenſe diſſolucionis conceſſorum, eidem, fecit declarationem contra patres de concilio, quod purificate fuiſſent condiciones ſue diſſolutionis, ideo quod iteraſſet fulminatas per eum penas excommunicationis, privacionis, inhabilitationis. Item ſub grauiſſimis penis etiam hoc intermedio tempore arreſtavit quascunque pecunias collectas ex indulgencijs conceſſis per ſacrum Concilium, ubicunque fuiſſent in cuſtodia, & ut aſſeritur, ne quouis modo venirent ad manus concilij, donauit aliquibus principibus pro ipſorum fauore ſibi captando. Erexit preterea actu ſuum conciliabulum *Ferrarienſe* mittendo inibi legatum nomine ſuo & alios prelatos, & fecerunt ſuam primam vocatam ſeſſionem in procedendo contra ſuppoſita ſacri concilij. Demum cum in ſecunda inſtancia, quam fecerunt oratores predictorum dominorum Electorum de Menſe Januarij, ut ſuperſederetur offendendo, dominos ſuos daturos operam, qua-

Digitized by Google

tenus ſummus pontifex dictam prætenſam diſſolucionem revocaret, ac omnia per eum attemptata contra concilium, fuiſſetque eis reſponſum, quod differretur depoſicio ſua, nec ad illam niſi cum magna maturitate ſacra ſynodus procedere intenderet, ſtatim de menſe februarij celebrauit ſecundam dicti conuenticuli ſeſſionem, in qua mandauit, inclite civitati Baſilienſi reuocare ſaluum conductum conceſſum concilio, patres de *Baſilea* violenter expelli, ſcripſit eciam multas literas ad diuerſos Principes & nobiles quod revocarent ſalvos conductos, ſi quos ipſis patribus conceſſiſſent, & tractarent eos tanquam hoſtes fidei Chriſtiane, fecitque hujusmodi Bullas in circuitu *Baſilee* & per magnam partem *Germanie* publicari & illorum vigore, quot fuerunt facte diffidaciones, captiuaciones & prede contra patres concilij longum foret ad preſens ediſſerere. In tercia vero inſtancia, cum ex *Francofordia* pro eodem effectu dicti domini electores ſupplicarent, ipſe ſummus pontifex pertinaciter amplius confouens ſuum conventiculum aliam ſeſſionem fecit, declarando: inibi eſſe ycumenicum concilium. Cum vero ad inſtanciam quartam factam per ſuos oratores ſabbato ante paſcha multi ex preſtancioribus patribus reſpondiſſent, ſatis ſupereſſe temporis poſſe eos ire in *Ferrariam* & reuerti antequam depoſicio fieret, cum inibi ſtarent miſit ad Regem Francie, petens, ut ſuos ambaſſiatores *Baſilee* exiſtentes reuocaret, ac omnes ſubditos & naturales ſimiliter ad multos alios principes multaque in fortificacionem ſui mon-

ſtruoſi

ſtruoſi conciliaboli indies grauiora ſemper committit, nunc autem in ultima inſtancia facta per Dominos oratores, cum reuerſi ſunt de *Ferraria* patres ſacri Concilij multum doluerunt, quod nihil aliud obtinuerunt a papa quam ſicut contrarium dicitur circa cedulam Reſponſionis non paris captioſam & multipliciter condicionatam, per quam ut ſubterfugiat judicium debitum ſacri concilij ſub colore pacis querit dilaciones & per indirectas vias & inaciones ſacri Concilij; Et enim cum ſacrum concilium honeſtate, qua potuit hactenus, hujusmodi inſtancijs condeſcendit, & quia, licet verbo determinata, dilacionem non conceſſit, re ipſa tamen & in facto diuturno jam tempore magis cum manſuetudine expectauit, attendens, ſi, quemadmodum ex parte dictorum reuerendiſſimorum patrum & illuſtriſſimorum principum Electorum oblacio facta erat, papa reuocaſſet illud conciliabolum & alia attemptata contra concilium, verum manifeſte cognoſcit, quod ipſe ſummus pontifex videns tot fieri inſtancias, ne contra eum procedatur, nunc pertinacius, quam primo, nititur confouere & manutenere dictum conuenticulum, & harum dilacionum pendentibus terminis nunquam ab inceptis deſtitit, ſed ſemper grauiora attemptauit. Quod autem ut tercio dicebamus periculoſum ſit unitati eccleſie & veritati catholice fidei in hijs rebus diutius ſuperſedere, ita pridem in generali congregacione cum aliquorum ex parte in fauorem ſummi pontificis inſtancia fieret ad dietam ſuper ſeſſionem procurator allegans, quanta

 peri-

pericula cottidie magis ſuccreſcerent ex hujusmodi ſuperſeſſione, proteſtabatur petens teſtimonium publicum non ſtaret per concilium, quo omnibus hujusmodi periculis obuiaretur. Verumptamen hoc ipſum manifeſte cognoſcere vos ipſi preclari oratores facile poteſtis. Conſtat namque quod in medio populi Dei altare erectum eſt contra altare in grauiſſimum periculum fidei & horrendi ſciſmatis. Etenim cum Religio Chriſtiana hactenus ſemper acquieuerit judicio ſacri generalis concilij, quemadmodum ſententia ex omnium ore prolata, quoniam ut dictum eſt, Spiritus ſanctus loquitur per os concilij generalis, videmusque manifeſte, quantum in dicto conuenticulo ad voluntatem & beneplacitum ſummi pontificis attenditur, poſſet, quod Deus auertat, fieri, inibi aliquas diffinitiones in materia fidei, & ex multorum aſſercione, qui in eodem concurrunt, ac aliorum omnium, qui tenent cum ſacro Baſilienſi concilio contradictionem ignis magnus accenderetur in eccleſia Dei & contingeret Chriſtianos aduerſus Chriſtianos inuicem ſe hereticando accerrime oppugnare. Et ſicut pro introductione fidei Chriſtiane juxta doctrinam ſaluatoris facta fuit ſeparacio, quia erant quamlibet in una domo & diuidebantur tres in duo ac duo in tres, pater in filium, filius in patrem ſuum, mater in filiam & filia in Matrem ſuam, ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam ſic durante hujusmodi diviſione duorum conciliorum generalium, cum ut dictum eſt, omnis ſententia ſynodaliter promulgata tanquam ex ore altiſſimi

tiſſimi prodiit, credi debet a cunctis fidelibus ecclesia legitime congregata in *Baſilea* aſſeret, quod ſit tenendum pro fide catholica, aget vero e contrario illud conciliabolum, quod reſtat, niſi ut aſſeratur, quod contrarium loquitur Deus, hoc modo contigit in prima deſtructione templi & cultus divini, dicebat equidem *Jeremias*, quod gladio, fame & peſte conſumeret Deus habitantes in *Jeruſalem*, pſeudo vero prophete Conſuentes puluillos ſub capitibus eorum prophetabant ex corde ſuo dicentes: hec dicit Dominus Deus, non videbitis gladium & fames non erit in vobis, ſed pacem veram dabit vobis Deus in loco iſto, & quoniam hujusmodi pſeudo prophete loquentes placentia permiſſi ſunt diucius reſiſtere, interim quod eorum perſecucioni traditus eſt ad carceres, ceperunt judei auertere auditum ab oraculo Jeremie qui etſi aſpera, vera tamen predicebat eisdem, & acquieuerunt pſeudo prophete falſum eis predicantibus pacem, ſicque indurati ſunt, donec venit conſummacio. Item nichil eſt quod dicit dominus ſuper prophetas, qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis, & predicant pacem, & ſiquis non dederit in ore eorum, quippiam ſanctificant ſuper eum prelium, propterea vox vobis pro viſione erit & tenebre vobis pro diuinacione, & occumbet ſol ſuper prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies, & confundentur qui vident viſiones, & confundentur diuini & operient vultus ſuos, quia non eſt reſponſum Dei, verumptamen repletus ego ſum fortitudine ſpiritus Domini judi-

Digitized by Google

cio a virtute, ut annunciam *Jacob* ſcelus ſuum, & *Iſrael* peccatum ſuum. Preterea vos ipſi preclari oratores euidenter cognoſcatis, quanto amplius permanet illud conciliabolum & fouetur, tanto major datur occaſio ut grauius ſcindatur eccleſia in duas partes & ſciſſura permaneat, placeat animaduertere, quod facte ſint plurime ſancte ordinaciones per concilium Baſilienſe, jamque ſunt in Regnis & prouincijs pluribus acceptate & in practicam atque communem uſum deducte, ſi prefatum Ferrarienſe conuenticulum practicare diucius permittatur, quoniam, ut jam cepit, in omnibus adverſatur ſacro Baſilienſi concilio, continget per id fieri alias ordinaciones, uel directiones hijs repugnantes, vel ipſarum effectum diſtrahentes, neceſſeque erit tunc ex legum repugnancia in Eccleſia Dei quam plurimas oriri diſceptaciones & periculoſa ſciſmata, hoc eciam ſcandalum omni die videmus contingere ex doctrina proviſionum, que fit de eccleſijs, abbacijs & alijs dignitatibus, & Beneficiis. Etenim cum ſacrum Concilium aſſerat papam fuiſſe & eſſe legitime ſuſpenſum ab omni adminiſtracione papatus, hujusmodi vero adminiſtracionem ad ſacrum concilium deuolutam fuiſſe, promouet ſacrum concilium ad hujusmodi beneficia perſonas, quas idoneas reputat, papa eciam indirecte de eisdem beneficijs providet alijs perſonis, & quoniam ſicut tam hij, quam illi pretendunt, ſe ad eadem beneficia jus habere, euidentiſſimum eſt, quanto amplius ſuper hujusmodi doctrinam inter concilium & papam ſuperſedentur

tur majora indies pericula ſuccreſcere & diviſiones augmentari, ut non obſtantibus quibuſcunque omnino ſuperſedeatur. Idem jam ſentitur multiplici experiencia a pluribus annis, cum ſummus pontifex eos, quos ligat ſacrum Baſilienſe concilium, abſoluit, & quos abſoluit, ipſe ligat per graues cenſuras, fuit tamen jam ab octo annis tanquam pro fide catholica reputatum, quod ſe ſe, & non illud deſtruit, qui abſoluit, quos ligat generale concilium, aut ligat, quos abſoluit. Huic autem ſentencie ſubjungit *Gregorius:* qui aliud ſapit, anathema ſit, Id ipſum eueniet ex doctrina mandatorum diſpenſacionum & aliorum, qui ex gratia uel juſtitia cottidie per ſacrum Baſilienſe concilium & ſummum pontificem e contrario fuerit, & quoniam ex majori ſucceſſu temporis ſemper numeroſior erit multitudo hujusmodi doctrinarum, cum ſuper illis, que pertinent ad exercicium ſupreme poteſtatis eccleſiaſtice per quosdam ad ſacrum concilium, per alios vero ad ſummum pontificem recurratur, euidentiſſimum eſt, quod quanto amplius permittitur conuenticulum Ferrarienſe, tanto magis pericula fidei & ſciſmatis aggrauantur & indies ſemper exereſcet major difficultas in curacione hujusmodi morbi. Equidem non erit facile remouere conceptam fidem in cordibus multorum de prefato conciliabolo, & quoniam hij qui celebrant, quanto amplius perſeuerant, tanto magis ſe firmabunt ad illud continuandum & defendendum, ſummusque pontifex pertinacius induratur, & in ea, qua cepit, inobedien-

 cia

Digitized by Google

cia eccleſie & rebellione permaneat, & fretus hujusmodi fauoribus, quoniam & non reſiſtitur, ymmo pro eo ſupplicatur, continue ſuperbiet, nec umquam flectetur ad debitam obedienciam ſicque conculcabitur auctoritas eccleſie & generalium conciliorum, deſinetque illud unicum in Eccleſia ab origine ſui conſuetum refugium pro ſedandis omnibus doctrinis ſuis celebracio videlicet generalis concilij. Quis namque de cetero, veniet ad Generalia Concilia, ſi pape permittitur pro libito ſue Voluntatis ſedente Generali Concilio erigere conciliabolum in eoque excommunicare, priuare & inhabilitare omnes, qui celebrant generale concilium, & quod grauius facere contrarias ordinaciones ac diffiniciones in materia fidei. Ecce prediximus vobis pericula que jam ante oculos veſtros exiſtunt, & grauiora indies, quod Deus auertat, ſuccreſcent ex hac diuturna, quam petiſtis, ſuperſeſſione, & quoniam fidei jam concepte, ut eradicentur, non facile duratur humana potencia, innumeros, quos dicitis, ex hac ſuperſeſſione augeri fauores, continget fortaſſis non ſufficere ad extinquendos ignes erroriſet ſciſmatum, que ex tantarum protractionum, dilacionum erunt radicati in cordibus hominum. Preterea vos ipſi neſcitis, quod ad officium boni judicis ſpectat, diligenter cuncta rimari. Conſtat autem, quod coram ſacro Concilio Summus pontifex delatus eſt, ſuper predictis XII. criminibus, dicere autem, quod omnia ſuperſedeantur, nec licet concilio diligenter intendere ad ſciendum ſuper hujuſmodi veri-

veritatem; attendite quomodo hec concordant, verbo ſacre ſcripture, quod inquit: cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inueſtigabam, & alibi: ſcrutantes cottidie ſi hec ita ſe haberent, denique ex ſola relacione predictorum criminum cuiquam manifeſtiſſime patet, quam grauia, quamque periculoſa ſint, que, niſi ſumma cum diligencia prouideatur paritura ſunt grauem jacturam & deſolacionem eccleſie Dei, prouideri autem debite non poteſt, niſi prius cognoſcatur, an ita ſit in rei veritate, quomodo fuit denunciatum ſacro Concilio, unde qui impedit cognicionem de hujusmodi, qui neceſſario perire debet, conſiderandum relinquitur, ſi conititur impedire, ne ſuper hoc debite prouideatur. Amplius ex ſententia *Gregorij* in ſua paſtorali habetur, quod nemo in eccleſia Dei amplius nocet, quam qui peruerſe agens, nomen & ordinem ſanctitatis tenet, delinquentem namque hunc redarguere preſumit nullus & in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerencia ordinis peccator honoratur. Supra autem commemoravimus, quod ſummus pontifex per ſuos nuncios & literas ad hoc laborat permaxime, ut quod ſit innocens, nec iniquum commiſerit in religione Chriſtiana credatur a cunctis fidelibus, ſic tamen in hoc profecit, quod eciam nonnulli principes de hujusmodi innocentia in ſuis literis videntur facere mencionem, & quia notorie conſtat de diffamacione ſua ſuper dictis criminibus, quamquam ſub ejus regimine ſtatus eccleſie decoloratur, & indies majora ſuſcipit detrimenta,

non videtur condecens, ut ſacrum concilium omnino ſuperſedeat in inchoato proceſſu. Nam inter alia, ut debite prouideatur eccleſie Dei oportunum videtur prefata crimina innocenciam ſummi pontificis adducere. ſic enim Religio chriſtiana evidenter cognoſcet, quod verba ſua, quibus ſe predicat innocentem operibus, non concordant, & ipſe confuſus deſiſtet a vexacione & perſecucione, quam fecit Eccleſie contempnendo juſtas ipſius ordinaciones & violacionibus earum fauores indebitos tribuendo, erubeſcetque amplius confouere illud conciliabolum, quod ſe aſſerit erexiſſe, ut teſtimonium perhiberet de ſua aſſerta innocencia. Hoc autem remedio uſus eſt Chriſtus aduerſus ſcribas & Phariſeos; Equidem poſuit ante oculos ipſorum grauia crimina ab eisdem commiſſa, & ſic deſtiterunt ab importuna vexacione, in qua perſeuerabant. Conſequenter vos ipſi noſtis, quod grauiſſimum ſcelus in judice quantumlibet vel principe id dicitur eſſe, cum ex auctoritate conciderit impunitatem hunc licenciam peccandi. Equidem grauius delinquit, qui peccat impune, & minus peccatum cenſetur expreſſe conuenire ſuperioris mandato, quam ab eo petere ſiue acceptare conceſſam impunitatem peccandi. Si autem de aliquo conſtet, quod peccat continue, quanquam dicit ſe in hujusmodi peccatis perſeuerare velle judex autem aſſenciat illo ſciente adverſus eum non eſſe procedendum ſimpliciter uel ad tempus eo ipſo videtur illi concedere licenciam peccandi & ſi peccatum illius redundat in perniciem multorum,

alij-

Digitized by Google

elijque ſuo exemplo & auctoritate in peccata trahuntur, cunctorum ciuium reus erit judex, qui hujusmodi impunitatem vel ad tempus concedit auctoritate. Equidem vel per minimum momentum non licet reddere ſecurum a pena eum, qui debachatur in perniciem rei publice pacifice, & aſſerit ſe deſiſtere nolle, Hoc idem contigit de ſummo pontifice reſpectu concilij, nam continuacio illius conciliaboli eſt grauiſſimum peccatum, tenditque in perniciem multorum, cum omnes ibidem conuenientes ſint rei ſciſmatis, ipſeque dicit ſe velle illud continuare, nec ſummus pontifex vel alius pro eo offert, quod umquam deſiſtet, quomodo igitur ſacrum concilium poteſt concedere authentice dilacionem, reddendo eum ſecurum ſimpliciter, vel ad tempus. ſed objici poteſt, ad hoc pro tempore, prime diſſolucionis plures fuiſſe dilaciones conceſſas uel ad inſtanciam principum, uel ex officio, hoc non negatur, ſed eſt racio plurimum differens, tunc enim, & ſi diſſoluerat, non enim erexerat Bononienſe conciliabolum, ſic quod non actu debachabatur, prout nunc agit in perniciem ecclesie. ſic eciam in hac ſecunda diſſolucione, priusquam actu ſummus pontifex erexiſſet Ferrarienſe conuenticulum conceſſit determinante dilacione LX dierum, ſed poſtquam actu erexit, non ſic honeſte poteſt. Eſt eciam aliud quod in omnibus terminis & dilacionibus illis reperitur expreſſa proteſtacio concilij per hoc intendebat deſiſtere, quin pendente dilacione prout neceſſitas rerum ſuaderet, ad ulteriora procederet. Nunc autem peti-

petitur, ut non obſtantibus quibuscumque ſuperſedeatur. Item eſt aliud, tempore illius proceſſus ad nullius alterius abſentis principis inſtanciam reperitur conceſſa dilacio niſi ad inſtanciam diue memorie *Sigismundi* Romanorum Imperatoris unica dilacio XXX dierum & hec petita fuerit multis cum oblacionibus ipſius *Sigismundi* in fauorem ſacri concilij, videlicet quod nullam aliam peteret, quam niſi papa infra illam faceret debitum ſuum libere permitteret procedi per ſacrum Concilium, prout ei videretur, quodque omnibus ordinatis & ordinandis per ſacrum concilium acquieſceret & obtemperaret, & quantum poſſet faceret inuiolabiliter obſeruari, quod infra ipſos XXX dies transferret ſe ad concilium perſonaliter, quod omnes principes Alamanie conuocaret ad locum concilij, ut eidem adhereret, quod quamquam papa interim ageret contra concilium uel ſuppoſita aut familiares eorum arctarentur. Ecce quanta cum obligacione ſui prefatus Imperator prauam dilacionem petiuit, nunc autem petitur absque prefixione criminum, quod pendente tractatu concordie omnino ſuperſedeatur a proceſſu non ſolum contra papam ſed contra quoſcunque ſuos, fuit eciam in hac re animaduertendum per ſacrum concilium, quod una conceſſa dilacio aliam traheret, nec facile eſſet imponere finem. Cum enim ex parte quorundam principum dilacio peteretur ab uno XL dierum ab alio LX ab alio LXXX interrogati, qui inſtanciam faciebant, utrum eſſent contenti, ſi omnibus ſimiliter concederetur LXXX, reſponderunt

Digitized by Google

derunt quod non ſed cuilibet ſupplicancium Principum fieret gratia prout petebat, interrogati ſi illa conceſſa umquam peterent alia reſponderunt, ad hoc ſe obligare nolle, ſed tunc acturos, prout videretur, & plures ex ipſis dicebant, quare non ſuo principi ſicut & alijs dilacio deberet concedi, ex hoc autem daretur occaſio ad diuiſiones inter patres de concilio qui enim eſſent ex principatu ſupplicantis, ut communiter cum majori ſollicitudine inſtarent, alij qui ex non ſibi confederatis aut reſiſtencia vel ab effectu ſupplicacionis diſtrahentur, ipſis denique patribus univerſis non praua moleſtia eſt, quod poſt reſidenciam VII. annorum conſumptis fere omnibus ſubſtancijs ſuis ſuper facto reformacionis Eccleſie, ad quod per maxime conuenerunt, ſic a dilacione unius ad dilaciones alterius trahantur in longum. Eſt enim ſepe conclusum unanimiter inter patres, quid ſi agatur, ut ſummus Pontifex actu recipiat decreta reformacionis, & ea efficaciter exequi velit, fruſtra laboratur ad promulganda multa decreta, nam per hujusmodi decreta anime non obſeruancium illaqueantur, & quoniam fauente ſummo pontifice liceat impune ea non obſeruare, vilipenditur auctoritas eccleſie, que precepit obſeruare. Cupimus enim vos preclaros oratores in memoriam deducere modum & ordinem in geſtis per ſacrum concilium ſuper prima diſſolucione. Equidem reperietis, quoniam quam diu papa ſenſit pro eo interuenire principes ſupplicando nunquam flecti voluit, ut ueritati acquieſceret. Similiter nec quo-

modo

modo ipſi principes aut prelati quicumque requiſiuerunt eum, unde nunquam alias trahi potuit, niſi cum Imperator diue memorie *Sigismundus* & oratores principum cum ſacro concilio conuenerunt, tunc eciam omnes principes requiſiuerunt eum expreſſe, quod reuocaret diſſolucionem. Nunc autem cum ipſe videat ſe grauius deliquiſſe quam primo, nec fieri inſtanciam pro reuocando ſua diſſolucione vel irritando ſuo conciliabolo, ſed quod absque præfixione termini tanta cum inſtancia ſupplicatur, nec contra eum aut ſuos in aliquo procedatur, quodque laboratur, quod cauſa abſtinenciæ habeatur de manibus generalis concilij, qui eſt legitimus judex, & ponatur ad manus aliorum, quam ſit conueniens iſte modus, ut trahatur ad obedienciam eccleſie & profeſſionem veritatis fidei, cui reſiſtit, facile quiuis poteſt judicare, & quoniam ſummus pontifex cupit dare pacem eccleſie, qui fovendo ſuum conciliabolum continue majorem ignem accendit, & ne extinquatur ſuo conſenſu requiruntur tot ſubterfugia dilacionum „ dicit autem ſe velle abſtinere ab ulteriori proceſſu contra exiſtentes in Baſilea ſi ipſi ab inceptis grauaminibus & alijs nouitatibus ſuperſedeant. Verba hec poſſent allicere eos, qui ignorant de geſtis, quod in eis magna offerat, ſed qui noverunt circumſtancias actorum, ſciunt, quod per hujusmodi verba dicere conſueuit, judex cum eccleſia Dei non habet ultra, quid agere valeat, talem clericum judicio ſeculari relinquit, & ipſum curie ſeculari relinquendum fore decernit. Hoc autem eſt notiſſi-

notiſſimum feciſſe ſummum pontificem de patribus ſacri concilij totum quod ipſe fuit, equidem edidit eos prede, ac brachio ſeculari, non uni ſoli principi, ſed omnibus, qui erant in circuitu, ut tractare eos deberent tanquam hoſtes fidei Chriſtiane ſic igitur, poſtquam quantum in ſe fuit, interdixit, ſuſpendit, excommunicauit, priuauit omnibus eccleſijs, dignitatibus & beneficijs, nec non ad ipſa obtinenda inhabilitauit, ac tradidit eos prede ac brachio ſeculari, offert ſe abſtinere velle a proceſſu ulteriori, quid ultra illi agendum reſtat. Denique poſtquam Verba hec dixit, ſicut Relacio facta eſt in ſacro concilio, priusquam de ſua obligacione eſſet notum beneficia multorum contulit, ſeu poteſtatem ad hoc conceſſit. Preterea quod prodeſſet patribus ſacri concilij oblacio hec, qua velit abſtinere, cum ubique literas mandauerit edendo ipſos prede, oportebat reuocare omnia Mandata per ipſum hactenus in contrarium facta. Poſtremo id cupimus vobis notum eſſe quod quanto judicium eſt magis auctoritatis ſupreme, tanto decet id amplius eſſe liberum, nec cohortari ad voluntatem cujuscunque, hoc eſt enim doctrina judiciorum, ut inferiora judicia artata ſint frequenter, ne licet ipſis judicibus niſi certo loco de certa cauſa & perſonis ac certo tempore judicare, unde ad ferias, quas inferiores judices obſeruare tenentur, ſupremus judex nullatenus obligatur, nec loci, perſonarum, cauſe, aut alia queuis doctrina ipſius judicium coanguſtat, & dicitur beatus talis ſupremus judex, qui facit judicium & juſticiam

ſticiam omni tempore. Nunc autem ſupremum judicium in terris eſt generalis concilij; Ita ut eciam ſuum conſiſtorium diuinum reputetur. Eſt enim ſanctus Spiritus conjudex, non igitur judex condecens per hujusmodi petitas dilaciones coarctari judicium Generalis concilij, quoniam prout Spiritus ſanctus dictauerit ad providendum in tempore. Ex hijs aliisque plurimis, que facile adduci poſſunt, vos preclari oratores euidenter poteſtis cognoſcere, quod nullatenus decet ſacrum Concilium in prefatam dietam, modo quo petitur, conſentire, nec autentice concedere dilacionem, ut pendente tractatu in proceſſu contra papam & ſuos omnino ſuperſedeatur. Verum id dicere poſſumus, quod ſacra ſynodus in finem perficiendi opus reformacionis per eum inchoatum ſemper mature & cum debita grauitate procedat, ut coram Deo & hominibus de cunctis parata ſemper ſit, reddere racionem.

XXXIV.

XXXIV.

SEQVVNTVR DIFFICVLTATES PER AMBASIATORES SACRI CONCILII BASILIENSIS MOTE ORATORIBVS REGIS ROMANORVM, PRINCIPVM ELECTORVM, ET ALIORVM PRELATORVM ET COMMVNITAVM IN DIETA NVRENBERGENSI IN DIE SANCTI GALLI HABITA, ET VOLEBANT ILLIS PROVIDERI, ANTEQVAM TERCIVS LOCVS ELIGERETVR &c.

In dieta Nurembergenſi de feſto *Galli* Anno Domini milleſimo CCCC°XXXVIII°. per dominos relatores deputatos a tota inibi exiſtente congregacione ad conferendum cum oratoribus ſacri Concilij Baſilienſis & ſummi pontificis, fuit propoſitum oratoribus ſacri Baſilienſis Concilij, quod pro tractanda pace & concordia in eccleſia Dei videretur expediens, Concilium Baſilienſe transferri debere in alium locum, ubi eciam Greci conuenirent, & intenderetur ad unionem ipſorum, fuit autem Reſponſum & auiſatum, quod circa iſtud medium conſideranda ſunt quatuor: & primo dicitur, quod ſi aliquando fuit conueniens celebrare generale concilium moderno tempore eſt ſumme neceſſe, cum propter Cauſam Bohemorum, que licet fuerit diffinita nondum eſt acceptata, cum propter reformacionem tociens mundo promiſſam & non completam, ut eciam, que jam decretata ſunt, acceptentur, & deducantur in execucionem, cum propter pacem in eccleſia dandam, que tot

ſciſmatibus nunc periclitari videtur, cum propter unionem grecorum, que inter alia videtur precipue eſſe in deſiderio omnium Chriſtianorum. Item & ex aliįs ſatis unicuique euidentibus cauſis 2do dicitur, quod Baſilea ſit locus ydoneus ad celebracionem generalis concilij adeo quod ſtantibus terminis fortaſſis magis ydoneus non reperiretur, attenta precipue ſecuritate & libertate, que ad celebracionem Generalis concilij ſingulariter pertinere noſcuntur, nam ubi Spiritus Domini, ibi libertas, generali autem Concilio preſidere creditur Spiritus ſanctus. Unde in civitate ipſa celebracio Concilij poteſt aptiſſime perfici, primo hoc ſuadet probata experiencia jam a ſeptennio, cum ibi cottidie fuerit habundancia victualium, ſalubritas aeris, licet circumquaque viguerit peſtis, ſecuritas & libertas, que ad hoc videntur maxime neceſſaria, ut dictum eſt, adeo ut ſummus pontifex volens in ſua bulla juſtificare ſuam ſecundam pretenſam diſſolucionem contra libertatem hujusmodi Baſilienſi ſynodo, prout in Bulla ſue 2do pretenſe diſſolucionis apparet, non oppoſuit, niſi tres leues querelas, quas facile eſt repellere attenta eciam precipue conſtancia Baſilienſium ciuium, qui nec cenſuras pape, nec diffidaciones multorum formidancium plena fide & virtute ſemper manutenuerunt ſalvum conductum ab eis Concilio conceſſum. 2do ſuadet magnitudo rerum geſtarum in operibus, adque fuit congregatum, in quorum proſecucione omnipotenti Deo gloriam quantum profecerit, notorium eſt toti orbi, ſed inter alia conſi-

Digitized by Google

conſideranda eſt precipue cauſa, caritas in materia unionis Grecorum, pro qua patres admodum ewangelice, non attendentes, per hoc aſſequi dignitates eccleſiaſticas aut beneficia nec quascunque res temporaneas, ſed pro deſiderio duntaxat hujusmodi unionis conſequende proprias ſubſtancias expoſuerunt, mittendo in Greciam plus quam XII. millia ducatorum, priusquam de indulgenciis vel a ciuibus Auinionenſibus aliquid percepiſſent. 3tio idem patet ex Manſuetudine ac modeſtia in omnibus geſtis ſingulariter cura ſummi pontificis tam in ipſo quam in hoc ſecundo proceſſu. Equidem habetur in reſponſione cogitanti, cum dictum fuiſſet oratoribus pape, quod quemadmodum in concilio Conſtantino actum eſt circa papam *Jo. XXIII.* ſic oportebat quo ad Dominum *Eugenium*, ſed in hoc eſſet doctrina, quod mollius procederetur, expectando, ſi forte molleſceret cor ſuum pontifex; jam expectatum eſt per ſeptennium, & tamen ewangelium dicit de ficulnea, quod non expectatum ſit, niſi per tres annos, & poſt aſſignatus eſt unus peremptorie. Et attendendum eſt, quod contra illam ficulneam nichil aliud dicitur, niſi quod terram inaniter occuparet, ſi vero alias arbores infructificantes reddidiſſet, non tamdiu fuerat expectatum. De moderno autem ſummo pontifice uniuerſus orbis conſpicit, quod ſub ejus regimine eccleſia grauiſſimis turbacionibus ſubjaceat & cottidie per amplius omnia ruunt in pejus. Attento ſpecialiter, quomodo ex quadruplici capite, videlicet propter inobedienciam ymmo re-

ſiſtenciam in diſſoluendo 2da vice & excommunicando concilium propter erectionem conuenticuli Ferrarienſis propter tranſactos jam ſex Menſes, & propter crimina, de quibus citatus fuit pro ut a multis aſſeritur, potuiſſet juſte deponi jam diu ſummus pontifex, ſed expectatum eſt magna cum manſuetudine. 2do ſuadet continuari concilium *Baſilee* racione finis, nam cum prædicta opera feliciter inchoata ſint per hoc concilium & bonum hactenus progreſſum habuerint merito debent compleri per ipſum, & ſpecialiter de pace cum ab inicio ſui fuerit ad hoc inſtitutum, quod fortaſſis non ſic legitur de aliquo generali Concilio. Item quia jam hoc opus expertum eſt quo ad pacem in eccleſia dandam. Etenim cum propter primam diſſolucionem pape eccleſia fuerit in maxima turbacione alijs aſſerentibus, cum papa propter quod potuerit diſſoluere alijs acquieſcentibus veritati declarate per eccleſiam, quod non potuit ſacrum Baſilienſe concilium, tam honeſtam viam inuenit, quod pax reddita fuit & catholica eccleſia conquieuit in pace ipſo eciam ſummo pontifice, qui reſiſtebat, confitente, una cum Concilio eandem veritatem, attento eciam, quod nulli amplius deſiderant pacem, quam patres ibi ſiſtentes, quibus videretur eſſe confuſio recedere a concilio in ſciſmate, cum primo ad illud in pace venerint. Item quia poſt ſeptennium laborum ſuorum deſiderauit reportare laudabilem fructum, unde cum tam diu laborauerint, & ut manifeſtiſſime apparet in omnibus geſtis ſacri Concilij, ſed ſpecialiter in proceſſu adver-

adverſus ſummum pontificem maxima cum manſuetudine hactenus proceſſerunt, merito poteſt cognoſci longe diſtare ab intencione ipſorum, qui ex ſuis operibus in ecclesia Dei ſciſma ſequatur. In Religionibus namque, ut mores hominum cognoſcantur, aſſignatur unus duntaxat probacionis annus, ſed jam ſeptem anni tranſierunt, quando probati ſunt, qui huic ſancto interſunt concilio hijs infertur colligere, quod eciamſi alius locus eque ydoneus reperiretur, concilium Baſilienſe in illum transferri, aut non licet, aut ſi fieri deberet, multe difficultates apparent, quibus primo erat prouidendum, patet hoc ex racione generali, quia ſi, ut dictum fuit, eſt nunc ſumme neceſſe, concilium celebrari, cum ſit actu congregatum, concilium non videtur incipiendum ab ejus diſſolucione, ſicut habens neceſſitatem feſtinam manigandi, ſi habet navim, non deſtruit, ut aliam pro nauigando edificet „ Tercio magis ſpecifice tangendo, propoſitum videtur, quia iſta materia de mutacione concilij Baſilienſis in alium locum & ſpecialiter ad partes ytalie videtur perueniſſe primo ex inſtancia pape & ſuorum adherencium, patet hoc ex cedula parte ſua oblata per Reuerendiſſimos dominos Cardinales *ſancte Crucis* & ſancti *Petri* Concilio decima die aprilis anno XXXVI°. ſimiliter ex bulla ſua dat. *Bononie* III. Kalendas marcij anno XXXVII. & fuit publicata in Concilio XI. die April. conſequenter ex cedula primi decreti, adhuc ex peticione ſeu auiſamento Reuerendiſſimi Domini *Juliani* Cardinalis ſancte *Sabine* XV. Sep-

tem-

tembris Anno XXXVII. in capella majoris ecclesie expoſito coram preſtancioribus patribus ſacri Concilij & ad preſens juxta modum quo inſtatur, ut creditur non proponitur hoc medium de mutacione Concilij Baſilienſis in alium locum ita ut celebrari debeat in Hijspania eo quod multum diſtet, Item nec in Gallijs, nam ibi jam per concilium ſunt decretata duo loca optiſſima *Auinio* ſcilicet & *Sabaudia*, ſed quod debeat transferri vel in Italiam aut in alium Germanie locum. Quod vero ſtantibus ceteris non deceat transferri in ytaliam animadvertitur non quidem ex defectu aliquo ejusdem inclite nacionis, equidem notiſſimum eſt, quam fructuoſe celebrata ſint in ytalia multa generalia Concilia, ſed quoniam ex actionibus moderni ſummi pontificis vehemens datur ſuſpicio, ne ad preſens effectualiter inibi celebretur generale concilium, ut namque dicitur in Reſponſione cogitanti. Si papa temptabit diſſoluere concilium exiſtens in Germania quanto magis ſi fiunt in ytalia, nec ut ibi dicitur in hoc ſtandum eſt ſue promiſſioni, quia non obſtante ordinacione ſua & predeceſſoris ac duorum conciliorum, quibus erat ſtabilitum diſſoluere temptauit, multo magis ſi ex ſua ſolum dependeret inſtitucione. Verba autem contenta in dicta reſponſione cogitanti ſunt iſta, Eſt eciam & aliud propter quod pati non debemus mutari locum, quia nec aliud Concilium fieret, nullus enim veniret, nec ſe ad tam longum iter exponeret ea preſertim ratione, quod quilibet timeret, ſicut factum eſt ita futurum eſſe & multo

magis

Digitized by Google

magis in Italia, & ſi dicatur permittere non diſſoluere, niſi omnia completa ſint, erunt qui replicabunt, ſi duorum Conciliorum & duorum pontificum auctoritas non valuit, quin predicta diſſolucio fieret, multo minus valebit ſimplex promiſſio, dicetur eciam, ſi dominus papa decederet, ſucceſſor faceret, ſicut nunc fecit Dominus *Eugenius* nec putetis homines ita eſſe rudes, quod hujusmodi non cognoſcunt artes, exiſtimatur, nichil aliud querit per multas & varias vias, niſi quemadmodum concilium diſſipetur tot moleſtias & anguſtias junctas & diverſos labores, qui hic paſſi ſunt pro ſuſtentando concilio, quod ſic ſcirent mutandum eſſe locum ſtatim ad papam redirent amplius non viſuri concilium, ſuſpicantur multi, quod non tam loci mutacio quam extinctio decretorum concilij Conſtantienſis queratur. Ex quo quanta mala in eccleſia nunc & futuris temporibus ſequerentur vix narrari poſſet. Hoc igitur & multa alia arctant conſciencias noſtras, ut nullatenus dicte diſſolucioni pretenſe aut loci mutacioni prebeamus conſenſum, hec ubi ſupra, & fuerunt hec verba dicta ad oratores moderni ſummi pontificis, jam elapſi ſunt ſex anni. Quod autem nunc magis, quam tunc, ac fortius urgeant hujusmodi conſiderationes, patet manifeſte, nam ſi concilio exiſtente in Germania tantum per oratores ſuos papa, uti a pluribus dicitur, ſciuit practicare, quod multos abſtraxit de Concilio torpore aut fauore, quanto forcius ſi ſtaret concilium ubi ipſe, aut proprie. Item ſi temptauit contra vota tocius multitu-

titudinis obtinere electionem loci, quem volebat aut de illa cedula parvi decreti ſeu praui deſerti, multo magis poſſet obtinere, quemcunque vellet, ſi aut proprie, vel ubi ipſe foret celebraretur concilium, & quia viſum eſt, quanta reſiſtencia hactenus fecerit, auctoritati concilij generalis pertimeſcendum eſt, quod temptaretur, vel in contrarium fieri declaracionem aut taliter exponi verba decreti concilij Conſtancienſis, quod fortaſſis in totum ſupprimeretur effectus ab illo ſacro Concilio intentus, pro ut hoc jam pertimeſcebatur a ſeptennio. Item ſi contra exiſtentes in Germania totum potuit papa, quod ad ejus inſtanciam fuerunt multi eciam magni viri de Baſilienſi Concilio in Germania prede & carceribus traditi, quantomagis poſſit in ytalia, ubi tenet ad ſtipendia gentes armorum & capitaneos, quorum aliqui forte ex ſe ipſis ad hoc inclinarentur. Et non fit mencio hic, quomodo Cardinales qui in illo Concilio intereſſent, ut veriſimiliter preſumitur omnes preſcripſerunt, ſe in dicta ſecunda diſſolucione uel proſequendo eam laborent, alij vero pauci aut nulli eſſent preſentes, pertimeſcendum igitur eſſet, quod ſubſcripciones ſuas proſequerentur, quomodo autem tunc viſi eſſent patres, qui conſtanter permanſerunt in ſacro Baſilienſi Concilio contra ſubſcriptiones pape & ipſorum intelligere eſt facile„ Quarto dicitur, quod ſi petitur tanquam pro conuenienti medio pacis, ut Baſilienſe concilium in alium Germanie locum mutandum eſſet, attendendum, quod in hoc multe difficultates occur-

currunt, quibus aut majoribus ex ipſis, priusquam hoc in execucione ponatur, primo eſt prouidendum, eſt autem primo, quia ſic agendo videtur eſſe perniciofum exemplum, dioetur equidem in futurum, quod Baſilienſe concilium poſt tam diuturnam expectacionem & tam multas citaciones citauerit papam notorie diffamatum ſuper tantis criminibus & ipſe per inobedienciam diſſoluit concilium, excommunicauerit, & priuauerit patres, erexit actu conuenticulum ſciſmaticorum, facta jam probacione ſuper criminibus & ſummo pontifice amplius firmante ſe in pertinacia ſua diċenteque, ſe non teneri ad comparendum translatum eſt concilium in alium locum juxta deſiderium ſummi pontificis. Manifeſtum igitur eſt, quod de cetero vix aut nunquam patres venient ad generale concilium timentes ea, que modo contingunt, videlicet, quando res ſunt in concluſione, tunc debeat concilium transferri. Item ſummi pontifices, quando ponuntur in poſſeſſione diſſoluendi concilia generalia pro libitu voluntatis, nam quando concilium procedet ad reformacionem eccleſie in capite, diſſoluetur, quemadmodum *Eugenius* fecit generale concilium, & erigeret aliud, demum dicetur, quemadmodum actum eſt in iſto, ſic tunc pro pace fieri debere, ut concilium transferatur in alium locum, attento per maxime reſpectum, quem nunc ſummus pontifex predixit in bulla ſue diſſolucionis, videlicet quod ad hoc erigebat Concilium ſuum, ut in eo ſuam innocenciam oſtenderet toti orbi, ſic poterit quilibet

libet

libet ſummus pontifex dicere, quod de criminibus, de quibus notorie eſt diffamatus, vult ſe purgare non in concilio generali a quo citatur, ſed in illo Concilio, quod ipſe noviter ſtatuerit in loco ſibi grato diſſoluens concilium a quo fuit citatus. Item cum omnis hec doctrina videatur incepiſſe, eo quod ſummus pontifex nunquam voluerit efficaciter ſuſcipere canones in concilio editos, imo dicebat ſe non teneri ad earum obſeruacionem, ſed pro neceſſitate non debere obſeruare, & in tantum proceſſit, quod ſciſma actu introduxit, ut liberaretur ab inchoato proceſſu, ſacrum vero concilium ſuper hoc eciam ipſum citauit commemorando crimina & defectus ſuos, quomodo exiſtente hac diſceptacione licet agi de mutatione Concilij. Item ſacrum concilium inherens declarationi fidei in Conſtantienſi concilio de ſubjectione pape, ad generale Concilium citauit modernum ſummum pontificem ſuper dictis criminibus, papa vero aſſerit, citationem ipſam nulliter, & de facto proceſſiſſe, unde videtur, male ſentire de auctoritate generalium conciliorum, quomodo igitur in tanta reſiſtencia licet concilium mutari, attento, quod de nullo ſummo pontifice legitur, tantam feciſſe reſiſtenciam adverſus auctoritatem generalis Concilij, ſicut hactenus fecit & continuat modernus ſummus pontifex, quamquam nullum concilium fuerit tam ſingularis preminentie, ſicut eſt Baſilienſis, unde ſi papa adverſus hoc preualeat, difficile aut nunquam procedi poterit per Generale Concilium ad correctionem ſummorum ponti-

Digitized by Google

pontificum. Eſt enim hoc Concilium Baſilienſe ſuper omnia alia preeminens, quoniam ut ſupra commemoratum fuit fundatum eſt auctoritate duorum ſummorum pontificium & duorum Generalium conciliorum, item firmatum auctoritate & ſumma adheſione duorum Imperatorum Romanorum. Item preeminet in magnitudine & pluralitate rerum geſtarum, item in incorporatione plurimorum imo omnium Regum & Regnorum Chriſtiane Religionis comitum & dominorum principalium, ſimiliter & eccleſiaſticorum cardinalium & patriarcharum, multorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, doctorum & aliorum plurimorum, ita quod in nullo Concilio plures unquam incorporati fuerunt, & quod ſingulare eſt, de nullo generali Concilio expreſſe legitur, quod in ſua incorporatione, qui interfuerunt, fecerint umquam tam ſingularia juramenta in fauorem ipſius concilij, quemadmodum in hoc actum eſt, equidem jurant, quod eidem incorporantur fideliter laborare pro ſtatu & honore ejusdem, & ipſius decreta manutenere & defendere; prouidit in hoc celeſtis clementia ſciens hoc ſacrum concilium tantas in futurum pati debere impugnationes. Item hoc concilium preeminet alijs in diuturnitate temporis, unde durauit amplius, quam umquam legatur de alio generali Concilio. Quilibet igitur euidenter comprehendere poteſt, quod ſi hoc concilium ſuccumbit in certamine iſto ſuper auctoritate generalium conciliorum, quod in totum ſuccumbere videtur auctoritas eccleſie. Equi-

dem

Digitized by Google

dem vix aut nunquam erit illud concilium, quando reſiſtere audeat ſummo pontifici. Occurrit circa hoc unum non mediocriter conſiderandum, quod cum ſcilicet jam concilium Baſilienſe habuerit doctrinam cum ſummo pontifice ſuper prima diſſolucione, ſummusque pontifex poſt multas requiſitiones ac monitiones penales tandem fuerit judicialiter confeſſus veritatem, quod absque conſenſu concilij non potuerit diſſoluere, cum iſta ſecunda diſſolutio fuerit multo grauior, ſi antequam hec veritas recognoſcatur, concilium patiatur mutationem, euidenter poterit dici quod ſuccumbit, & reſpicitur potius ad factum, in quo ſuccumbit, quam ad verba prime adheſionis, unde illa verba interpretabuntur juxta ſequentia facta. Equidem dici poterit, quod in tam arduis amplius teſtantur facta, quam verba, hoc autem motivum, quod coram papa & ſuis non ſit in obliuione, patet manifeſte: Nam ſecundi oratores ſui miſſi ad concilium allegarunt illud dicentes, quod facta pociora ſunt verbis, & tacitum ab expreſſo non differt regulariter. Attento eciam, quod cum papa aſſerat, ſuam congregacionem Ferrarienſem eſſe generale Concilium, ſi translatio fiat, antequam ipſe veritatem confiteatur, videlicet, quod diſſolуere non potuit, manifeſte videtur preualuiſſe in certamine, hoc modo fuit per ſacrum concilium reſponſum oratoribus pape, quia ſunt III. anni jam transacti in illa reſponſione ſynodali, que incipit, *ſperauit hactenus.* dicitur enim ſic ex perſona patris, & quidem deterius eſt auctoritate ecleſie,

cleſie, talia poſſe videretur ſummus pontifex, ſi poſt hujusmodi contradictionem inter concilium & papam ortam quia victum liti cederet, & ipſum & alios pontifices Romanos in poſſeſſione diſſolvenda concilia poneret, que cauſande ſpes erit, quod prefatus dominus *Eugenius* decreta hujusmodi ſacri concilij ſeruet & ſeruari faciat,, ſe ipſum Concilium ſpernat recognoſcere, quibus eciam remedijs uti poterimus, ut ſtatutis hic promulgandis non conueniant ſe ipſum concilium, per quod ſtatuta fiant, irritari patiamur, mori malumus, quam tanto errori per ignauiam cedere, ſi majores noſtri pro legibus paternis viriliter decertare & mori ſtatuerunt, cur nos ſic erimus degeneres, ut pro conſeruatione univerſalis ecclefie id ipſum non faciamus, ſi de priuatis rebus ageretur, ac perſonaliter pateremur injuriam, eſſet fortaſſe cedendum, & patienter propter Deum ferre laudabile foret, injurias autem Dei impune tolerare juxta beati *Criſoſtomi* ſententiam, nimis impium foret. Hic articulus, de quo hic diſceptamus, fidem concernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt, ſi Dominus *Eugenius* ſanctam Eccleſiam non audierit, quam hoc concilium repreſentat, oportebit tandem haberi ut ethnicum & publicanum, ſi eccleſiam amplius offendere non uult, recognoſcere neceſſe habebit, hoc verum fuiſſe & eſſe concilium, ipſumque diſſoluere nequiuiſſe, hoc ubi ſupra. Unde ex his euidentiſſime poteſt quis animaduertere, ſe incipere a deſtitutione hujus concilij ſit mali exempli.

Succe-

Digitized by Google

Succedit alia non parva difficultas, ut enim infra dicetur illa congregatio, in qua dicitur concilium Baſilienſe transferri debere, non erit idem concilium cum Baſilienſi, ſed erit aliud eſſentialiter ab iſto differens, ita quod hujusmodi due congregationes non poſſunt eſſe unum & idem concilium. Hoc preſuppoſito, certum eſt, quod Concilium generale, ut recte inchoari debeat, requirit preuiam notificationem, ita ut ueriſimiliter credatur potuiſſe peruenire in notitiam illorum, ſaltem qui ad Concilia Generalia venire tenentur, poſſuntque tam ipſi venire, quam etiam alij, qui Generalibus concilijs conſueuerunt intereſſe, & cum hi omnes non in una aut duabus prouincijs, ſed diſperſi exiſtant in tota Religione Chriſtiana, quanta dilatio temporis requiratur, ut hujusmodi notificatio fiat, facile quisque intelligere poteſt,, legitur de Concilio Ceſarienſi, quod inuehebatur contra illud, quod non fuiſſet ante intimatio facta, tamen ut reſpondit concilium a tempore intimationis transactus erat jam annus, verum ſi dicatur, fortaſſis non eſſe de neceſſitate juris, hanc intimacionem precedere, qui eedem perſone, que ſunt in iſto, ſufficient in illo, occurrit neceſſitas facti. Equidem omnes qui exiſtentes nunc in Concilio pro alijs & ad expenſas ipſorum dicunt ſe non ituros ad illud concilium nouiter inchoandum, vel iſtud in alio loco continuandum, niſi primo a ſuis Dominis haberent de hoc ſpeciale mandatum. Unde ad hujusmodi particulares intimationes eſt neceſſaria ſatis magna dilatio temporis, & fortaſſis non conſen-

conſentirent in translationem hujusmodi, niſi primo notificarent ſaltem aliqui & principales ex ipſis, per maxime illi, qui ſunt pro aliquibus Regibus, aut principibus, de quorum dominijs patres conueniunt ad generale Concilium in magna multitudine. Nec iſta intimacio potuit ante fieri, quia Concilio ſemper viſum eſt non debere transferri, vel quod tractatus pacis, quicumque erunt, illi non debent incipere ab hujusmodi translacione, ſi vero hujusmodi concilium ycumenicum Baſilee debeat celebrari, eciamſi iſtud non diceretur continuari, ſed aliud nouiter ob cauſam grecorum inſtaret celebrandum, ceſſat neceſſitas intimacionis, & per conſequens illa protractio diſpendioſa ipſis, quoniam quidem *Baſilea* ſit locus electus pro Concilio ycumenico jam hoc eſt intimatum per totam Chriſtianam Religionem a duobus annis, quoniam non ſolum ex parte concilij ſed etiam pape cum per ſuos preſidentes electa fuerit, & per litteras pape intimata diue memorie *Sigiſmundo* & alijs principibus. Preterea omnes ſcimus, quam difficilis ſit congregacio Epiſcoporum & aliorum, qui conſueuerunt intereſſe in generalibus concilijs, viſum eſt enim, quod poſt quatuor communiter vel ſex annos Reges primo miſerunt ſuas ambaſſiatas ſollempnes ad hoc Concilium Baſilienſe, & ſi fortaſſis dicatur, fuiſſe cauſam differentiæ, que erat inter ſummum pontificem & generale Concilium, libeat conſiderare de concilijs Papienſi & Senenſi, que durarunt quaſi per annum, pauciſſime tamen aut nulle ambaſſiate Regum ad illa venerunt,

runt, conſtat autem tunc nullam eſſe differentiam apertam inter concilium & papam *Martinum Vtum* quinimo videbatur pro libitu ſuo regulari concilium. Amplius autem illud concilium, in quo iſtud transferretur erit ordinatum ad eadem perficienda propter quod iſtud fuit congregatum vel non, hoc autem ſecundum nullus diceret, quia grauiſſimum ſcandalum eſſet, non proficere, quantum poſſibile eſt hec tam ſancta opera inchoata ſpecialiter opus reformacionis, quod tantum eſt in deſiderio omnium chriſtianorum, ſi vero ad eadem opera ibidem procedetur, cum opus pro nunc maxime vigens ſit Reformacio in capite, propter quam ne in hoc Concilio profiteretur, papa in bullis ſuis profitetur, ſe diſſoluiſſe concilium, manifeſtum eſt, quod eadem impedimenta fortaſſis & majora in illo Concilio apponentur, ne hujusmodi capitis reformatio compleatur. Auditum enim fuit frequenter in Concilio Senenſi preſidentes pape dicere, cum per congregatos ibidem de reformatione eccleſie tractaretur: reformetis membra, prout videbitur, ſed non tangatis caput. Denique omnes nouerunt, quod facilius eſt impedire, ne fiat concilium, quam poſtquam congregatum eſt, ne in ipſo procedatur ad ea, propter que eſt congregatum, & quot poſſunt teneri practice, ne ad illud accedant, qui intereſſe volunt, referunt, qui viderunt, quod papa *Johannes XXIIIus* volens ſatisfacere concilio Pyſano, quod ordinauerat, concilium continuari debere ad triennium in loco, quem ſummus pontifex elegiſſet, indixit

Rome

Digitized by Google

Rome fieri generale concilium, & in eccleſia ſancti *Petri*, fecit ad hoc fieri ſedes & thronos ſcilicet, ſed ab alia parte ut legitur in libro de geſtis Concilij Conſtantienſis, tales practicas, ut credebatur tenuit, quod in circuitu *Rome* fuerunt guerre, & ſic nullus de exteris curijs ad illud venit concilium; non dicitur, quod ſic modo contingeret in translatione concilij Baſilienſis, ſed quod tunc adverſus dictum Papam *Johannem* nullus per Generale concilium erat proceſſus inchoatus, & nunc ex quadruplici capite modernus fortaſſis proceſſus, quia fertur jam inſtructus ex toto per generale Concilium „ Conſequenter attendendum occurrit, qui & quales erunt prelati, aut quicumque alii, qui vellent, quin potius auderent venire ad illud generale Concilium, in quo proceſſu jam inſtructo non reſtabat niſi ferenda ſententia depoſitionis contra ſummum pontificem. Equidem licet diceretur, quod accedere deberent ſuper tractanda pace & concordia tamen quia multa facile contingunt, ne pax includatur, ſummus pontifex merito formidaret ad ſententiam procedendum fore, eandem etiam conſiderationem habere poſſent prelati & alij, qui ad tale Concilium accedere deberent, accedit etiam conſiderandum, quod ſi tales practice tente ſunt, quod multi tam prelati, quam alij, qui primo conſenſerunt in citationem ſummi pontificis, poſtmodum vel receſſerunt de concilio, aut inſtant, ne aduerſus eum procedatur, quanto magis ne accedant nouiter ad aliud ſuper reformatione eccleſie in capite inter alia celebrandum con-

cilium, porro videmus plures Reges & principes interponere ſe ſupplicando ſacro Concilio, ut in proceſſu inchoato ſuperſedeatur, attendendum eſt, cum hij debeant mittere ſuos ambaſſiatores ad illud concilium, ſi cum illis magis, quam accepti ſunt eisdem Regibus, poterit practicari, vel ut non mittant, aut tardius, aut mittendi ſint tales de quibus papa confidat, non minus etiam venit in conſiderationem, qualem ſpem habebunt illi qui venerint de perficiendo reformacionem eccleſie in capite, quin experimento ſenſerunt, quod poſt tam diuturnam exiſtenciam VII. aut octo annorum in Baſilienſi Concilio cum tantis vigilijs & laboribus quia res erat in concluſione, actum eſt de translatione concilij,, fortaſſis dicetur omnes hujusmodi difficultates ceſſare. attento quod ad inſtanciam principum & de intentione ipſorum agitur de alio loco ad celebrandum concilium principaliter pro tractanda inibi pace eccleſie, & quemadmodum ſummus pontifex, videns ſe afflictum, ut veriſimiliter preſumitur, pacem deſiderat, non ſolum non impediet, ſed pro viribus procurabit, ut in iſto aſſit magna multitudo prelatorum & aliorum expectans per medium illius concilij obtinere pacem & ſecuritatem ſtatus ſui, reſpondetur prout ſupra tangebatur, quod talis pax, quam accepta ſit ſummo pontifici videlicet ſecuritas ſtatus ſui, an ſequetur in illo concilio, eſt non mediocre dubium, quia multa ſolent contingere impedimenta pacis, & tamen ipſe ſcit adverſus eum imminere proceſſum, eſſeque jam inſtructum, & hoc eſt ſibi

certum;

certum; Eſt & aliud nam ſi prima vice, quando diſſoluit Concilium, abolita ſunt eidem certa crimina, hoc non fecit concilium, niſi ipſe multa primo ſibi non grata feciſſet ante & alia promiſiſſet. Cum autem modo obſtent multo grauiora contra eum intelliget hujusmodi ſecuritatem, ſi fieri debeat, graui onere qualificandam per illud Concilium celebrandum, ſi vero ſemel juxta deſiderium ſuum diſſoluatur Baſilienſe concilium & contingat ad ſtatim non fieri, intelligit ſummus pontifex, quod nemo fidelium audebit ei dicere ſaltem autentice, cur ita facis aut de hijs, quod in proceſſu conſtat arguere ipſum, & ſic per indirectum obtineret ſecuritatem absque gravi onere, ſi enim potuit preualere adverſus generale Concilium, quis ille erit, qui diſſoluto Concilio valeat corrigere ipſum, quinimo putabit ſibi licere quidquid libuerit, unde ſive ſub reſpectu pacis aut Reformationis illud Concilium deberet celebrari maximum erit multas difficultates intervenire poſſe ne fiat. Equidem prioribus ſeculis auditum ac diebus noſtris viſum eſt, quales practicas conſueverunt tenere ſummi pontifices, ne plene congregarentur & libere celebrarentur generalia Concilia, ubi ſtatu ipſorum aliquid venit in deliberationem, & ab hoc aliqui doctores juriſtarum docuerunt, quod cum concilium congregatur contra papam, ſi ipſe impediat viam generalis Concilij, poteſt licite ordinari, quod interim ſubtrahatur obedientia & ſuſpendere eum ab adminiſtratione papatus, quia maxime difficultates per eum ingere-

rentur in congregando Concilium & in congregato turbando & diſſolvendo, & hoc aliter probari non expedit, quia experientia docet „ Tertia difficultas occurrit ex decreto concilij Conſtantienſis, *frequens*, ibi enim exprimuntur cauſæ translationis, videlicet obſidionis guerrarum aut peſtis vel ſimilis. Itaque ſecundum intentionem hujus decreti concilium non debet transferri, niſi ubi talis neceſſitas occurrit, quod patres ſiſtentes inviti ſubtrahuntur a celebratione generalis concilij & alij non poſſunt accedere. Summo autem omnipotenti Deo gratias talis cauſa non occurrit ad preſens, quantum ad Baſilienſe concilium, verum quia dici poteſt aliam occurrere cauſam euidentis & maxime utilitatis, videlicet unionis Greçorum. Hinc reſponderi poſſet, quod hujusmodi unio optime poteſt fieri in Baſilienſi Concilio uel loco, nihil enim huic obſiſtit, niſi aut conſenſus Grecorum, aut voluntas ſummi pontificis; Eſt namque eccleſia ibidem legitime congregata & ſicut dictum eſt, in ea ſunt incorporati omnia Regna & omnes ſtatus qui ſunt inter catholicos. Sed quia voluntas ſummi pontificis rationabiliter non debeat obſiſtere, apparet ex hoc, quia ipſe in Baſileam ſpecialiter conſenſit, eligendo ipſam pro unione cum Grecis habenda, ut patet ex cedula ſuorum legatorum, qui ſuo nomine dixerunt, quod oratores mittendi ad conducendũm Grecos omnes inſtanciam facere deberent apud eos, ut ciuitas Baſilienſis locus eſſet ycumenici concilij, inſtandum igitur ſolum eſt pro conſenſu Grecorum, & quoniam ceſſat

ſat

Digitized by Google

ſat jam ratio, propter quam ſe nolle venire dicebant, ſi diligentia fiat, videtur, obtineri poſſe, cum enim primo jam non acceptarent *Baſileam*, ne videretur, quod venirent ipſi ad eccleſiam Latinam inibi ſiſtente generali Concilio legitime congregatam, jam ratio hec ceſſat, quia ſicut venerunt in Ferrariam, ubi ſecundum aſſertionem pape & ſuorum erat actu generale concilium, ita poſſent induci, ut in *Baſileam* conſentirent, ſed ut non nulli exiſtimant, pertimeſcendum eſt, ne Greci in favorem pape retrahantur a conſentiendo. Videmus equidem tam ſatis magne importantie & ſiniſtre reputationis ſecundum judicium multorum, contra ſe ipſos feciſſe in ejus favorem. Equidem cum primo Imperator Grecorum miſiſſet tres ſolemnes oratores ad concordandum cum ſacro concilio Baſilienſi ſuper acceſſu ſuo perſonali ad noſtram eccleſiam, dedit eis bullam auream ad jurandum etiam nomine ſuo, nihilominus ad inſtantiam unius ſcortarij, quem papa miſit, concordauit, ſe non venire, ſed per legatum mittendum a papa in Conſtantinopolim preuijs diſputationibus decertaretur, quid tenendum ab utraque eccleſia pro catholica fide. Item non obſtante juramento per ſuos facto in concilio Baſilienſi ſimiliter & ratificatione ſua ſubſecuta, ſuper quo ad concilium miſit aliam bullam auream, nihilominus obmiſſis galeis Concilij voluit acquieſcere voluntati pape. Item ad inſtantiam pape ut fuit commemoratum, venit ad locum, ubi actu ſecundum aſſertionem pape & ſuorum, erat congregatum concilium.

Digitized by Google

Item veniret in conſiderationem, ſi Greci ipſi ſunt in omnimoda libertate, vel quia multum indigere dicuntur auxilio unius in ytalia, aut plurium communitatum neceſſitate acquieſcerent ipſorum voluntati, & ſic acceſſus ipſorum ad illum locum de quo agitur vel in totum aut multum dependeret ex arbitrio ipſorum. Preterea cum hujusmodi translatio preſupponat diſſolutionem Concilij aut ſaltem disgregationem patrum, cogitandum ſe offert, ſi primo concilium diſſolueretur, quia Greci eſſent in illo loco, ad quem dicitur transferendum, quot practice teneri poſſent, ne venirent ad illud vel in tranſitu manentium pro tranſiendo in Germaniam difficultates objiciendo, aut illis etiam volentibus tranſire, quot impedimenta poſſe fieri ut retraherentur, vel quod interim guerra parua aut magna moueretur contra Conſtantinopolim, & ſic indicaretur licita eorum reuerſio, aut quod facilius eſſet, rumores de hoc confingi, ut ſic cum apparentia coloris reuerterentur. Item non explicatur, quot practice teneri poſſent, vel etiam absque diffinitione reuerterentur, promittere, mittere, aut cum ipſis mittendo legatum in Conſtantinopolim, prout in primo fuerat practicatum, vel taliter, qualiter cum ipſis ſuper differentijs componendo ſimpliciter vel ad tempus, facile namque intelligere quis poteſt de cauſa, quare papa tantum laborauit, ut Grecos ad ſe duceret, cum primo refundauerit tractatum eundem a Grecis oblatum de conducendo ipſos, duxeratque per bullam ſuam directo ſacro Concilio remittendo

ipſum

ipſum hoc negotium, quod ſua non intererat, qua pro medio in hunc finem unionis peruheheremur, nihilominus poſtea imminenti contra eum proceſſu concilij pro ipſis infert, circa hoc autem dicta ſunt de interitu, ne acceſſus fiat Grecorum ad illud concilium, in quo petitur transferri concilium Baſilienſe. Unum venit ſpecialiter conſiderandum, quod cum hoc ſacrum concilium elegit pro concilio ycumenico Sabaudiam primo per ipſos Grecos nominatam, & poſtea non obſtantibus eorum juramentis bina vice per duas ſuas bullas aureas repetitas nihilominus venire ad eam recuſarunt gloſſando contra numerum ac modicam & modernam ſcientiam & exiſtimationem omnium hominum, quod Sabaudia intelligi deberet de ea que eſt in ytalia citra montes, cum tamen in eorum inſtructionibus dicebatur, extra ytaliam vero dicimus *Budam* vel *Wiennam* aut ex neceſſitate *Sabaudiam*, nunc autem ſi per concilium aliquis locus eligatur absque primum habito eorum conſenſu manifeſtum eſt, aut nihil proficere, aut illis leui etiam ex cauſa offerri materiam recuſandi, unde non habito eorum conſenſu nec generali aut ſpeciali intendere ad electionem loci, videtur operam perdi. Eſt autem & aliud, quoniam per hoc, quod petitur per concilium ad nominationem loci alterius preterquam jam nominatum eſt ponere ipſos patres ad grauiſſimas diſceptationes, docuit enim experientia petite electionis quam difficillimum, imo quod impoſſibile ſit, quo ad electionem loci in unam ſententiam conuenire, nulla

etenim materia, quantumcunque ardua fuit, patres Concilij in duas partes diuiſit, niſi electio loci, quod igitur ſuper re incerta nulla habita vel leui conjectura aſſenſus Grecorum patres intercedere debeant, ad nominationem loci non videtur, rationabiliter diſpoſitio ad pacem „ Preterea offert ſe conſiderandum, quod materia hec de mutatione loci in alium locum non dicitur, quod ex anima id petentium, ſed ex intentione pape & ſuorum videtur introduci ad finem effugiendi aut differendi proceſſum inchoatum per concilium ſuper reformatione eccleſie in capite, Etenim ſi concilium aſſentiat hujusmodi mutationi & procedere velit ad electionem, cum requiratur unanimus conſenſus duarum partium omnium patrum, qui ſunt in concilio, quantum temporis in hoc preteribit, facile videri poteſt; facta autem electione fortaſſis locus ille non concedet, omnia que videbantur neceſſaria pro concilio inibi celebrando, & procedere oportebit ad aliam electionem. Hijs tandem omnibus exiſtentibus, cum nominatio illius loci inter cetera dicatur fieri & requiri, ut inibi agatur de pace eccleſie, veriſimile eſt, imo ſic futurum creditur quod ſtatim a proſecutionibus hujus materie fiet inſtancia usquequo in locum illum congregetur actu concilium ycumenicum, quod in hoc Concilio ſuperſedere debeat a proceſſu reformationis eccleſie in capite jam inchoato & inſtructo. Quid aliud eſt hijs dilationibus ſuper dilationes irretiri, niſi fruſtrari judicium eccleſie„ Id vero quarto conſiderare licet, quod cum celebratio

tio dicti concilij ycumenici dependere videatur ex conſenſu preſtando per Grecos, & Greci nunc exiſtant ad manum ſummi pontificis, ſi conſenſus eorum aderit, umquam vel ſaltem eo tempore, quo ſummus pontifex credat in detrimentum aut quoduis periculum ſui ſtatus tendere, nam ſi exiſtentibus ipſis in Conſtantinopoli in ſua plena ac majori libertate, quomodo eſſe dicuntur, potuit papa trahere conſenſum eorum ad beneplacitum ſuum pro defenſione ſui ſtatus, quanto magis nunc apud ſe teneat ipſos, quare autem papa, quoniam voluit primo diſſoluere concilium Baſilienſe innuit ſe ex hac cauſa Grecorum, dicens ſe velle eos conducere in Bononiam, deinde cum hoc reſcriptum non potuit obtinere per Grecos requiſitus quod eos adduceret, numquam voluit conſentire. Item quoniam conſilium hanc materiam proſequebatur, aſſeruit hoc opus, quod impoſſibile, e parte ſua dictum eſt concilio pro reſponſo, quod hanc Materiam aliqui philateriam antiquam & catilenam vocabant, ſed tandem imminente proceſſu contra eum item proſecutus eſt, Inter hec omnia dilationum gravamina ad illud unum lacrimabili dolore animus cujuscunque fidelis merito reſpicere poteſt, quod ſi diuturna vacatio eccleſiarum particularium diſpendioſa cenſetur, quanto magis Romane Eccleſie, que illorum magiſtra eſt & caput, quodque nunc per concilium papa legitime ſuſpenſo eccleſia Romana vacat, quantum ad exceptiuum, durante autem hujusmodi vacatione, quot turbationes inſurrexerint aut inſurgere poſſint in eccle-

Digitized by Google

ſia Dei quisque videt. Quod igitur hujusmodi vacatio dilacionibus ſuper dilaciones conceſſas magis diſpendioſa efficiatur cotidie, an expediat facile judicari poteſt, non eſt preſentis intentionis explicare, quomodo per dilationes hactenus conceſſas parum aut nihil profectum eſt, ut enim ſacra ſcriptura teſtatur, quia non profertur cito contra malos ſententiæ absque timore ullo filij hominum perpetrant mala, item illud quod differt negotia, iurgia concitat, que autem dicta ſunt de ſuſpicione ſummi pontificis contra effectualem celebrationem generalis Conciſij, ſpecialiter quantum ad reformationem inibi fiendam in capite poteſt quis animaduertere commemoranda geſta preteriti temporis, qualiter papa modernus ſe habuit circa concilium Baſilienſe, & intelligere poterit, quod papa, licet verbo frequenter dicat, deſiderare ſe celebrationem generalis Concilij, quod aut ſatis repugnet, vel vult celebrari concilium tali loco & modo, quod in eo ipſe diſponere valeat ad ſuum beneplacitum voluntatis. Cum enim concilium Baſilienſe mandaverit celebrari ultimo die Maij Anno XXXI. ſtatim de Menſe novembris mandauit diſſolui, & non expectato, quod juxta ſuam commiſſionem proceſſum fuiſſet ad diſſolutionem, ipſemet allegando pro cauſa quod Concilium vocaſſet Bohemos ad diſputationem, per ſe diſſoluit, & induxit aliud in Bononiam, ubi tenebat merum & mixtum Imperium, facta per eum omni diligentia ad Reges & Principes, & penes Concilium videns, quod Bononia non acceptabatur pro conci-

concilio, obtulit primo omnem locum in ytalia, dummodo eſſet de terris eccleſie, que erant ſibi ſubjecte. 2do omnem locum in ytalia preter quam in terris Ducis Mediolani. 3°. omnem locum in Germania, dummodo non eſſet Baſilea, ſed hoc non libere ymo cum XII. conditionibus, ut vel numquam eligeretur, aut non libere celebraretur in Germania concilium. 4to acceptavit Baſileam concilium ibidem nouiter continuatum, & circa hoc taliter ordinando preſidentes ſuos, quod in concilio non fieret aliud, niſi quod eis videretur. 5to voluit Baſileam taliter, quod ſui preſidentes omnia agerent cum conſenſu concilij, & cum hoc, quod penes ipſos foret, poteſtas coactiua jurisdictionis etiam cum invocatione brachij ſecularis contra omnes ibidem ſiſtentes, etiamſi cardinales, facta demum adheſione & ſuis preſidentibus admiſſis, cum patres exiſtimarent, omnia jam in unanimitate fieri debere, papa ut creditur ſciens oratores Grecorum venire ad Concilium cum pleno mandato, timens, ne ſi concilium ad hoc opus intenderet, non tam cito haberet finem, tractauit, ut dictum eſt, cum Grecis, ne venirent, ſed quod in Conſtantinopoli deberet concilium celebrari, unde cum recenter per ſuam adheſionem confeſſus fuiſſet ſatis argute, quod exeunte Baſilienſi concilio, prout in VIIIva ſeſſione fuerat declaratum, non poſſet aliud erigi concilium ſedente ipſo concilio, & intendente per ſe ad opus unionis Grecorum, ad quod ipſemet inſtituerat, practicauit de alio Concilio celebrando in Conſtantinopoli ſuper eadem,

dem, ut ſic vel duo Concilia ſic per eum vocata contrairent ſimul, aut diſſolveretur Baſilienſe concilium, quot vero practice poſt adheſionem fuerint tente, vel ad ſubtrahendos patres corporaliter a concilio vel retrahendos a fauore concilij in reformatione Capitis dicere non expedit. Demum intelligens aduerſus ſe concordatum monitorium unanimiter per totum concilium, quod revocaret omnes appellationes interpoſitas vel interponendas ad eum a ſententijs latis per concilium aut ſuos commiſſarios, Item omnia facta per eum contra tenorem adheſionis & contra decreta concilij, quamquam ratificaret & approbaret omnia decreta ipſius concilij & preſertim de electionibus & de annatis, polliceretur que illa ſine dolo & fraude manutenere & ſeruare, auiſando expreſſe, quod per oratores concilij ad ipſum mittendos papa deberet attentus reddi, quod per adheſionem, quam fecit, haberet concilium adheſionem verbalem, ſed ipſe realiter contrafaceret decretis, querendo ea eneruare, & quia non obſtantibus tot, tantisque ambaſſiatis & exhortationibus adhuc cottidie multa temptarentur contra decreta & ſuppoſita ſacri concilij, quod nihil aliud eſſe videbatur, quam inducere mundum in transgreſſionem vel errorem, ut ipſe, qui caput eſt, transgreditur, contra & alij ſuo exemplo transgrediantur, vel exiſtiment, concilia Generalia nullam habere poteſtatem, quamquam patres exiſtentes in concilio parati eſſent, potius mori quam pati auctoritatem Eccleſie ſic conculcari. Hoc autem monitorium, cum Concluſum

cluſum fuiſſet XX & XXIIII. Januarij anno Domini M°CCCCXXXVI° de Menſe Februarij ſequenti VI. die pronuntiavit legatos ad Baſilienſe concilium Reverendiſſimos Cardinales *ſanctæ crucis* & *ſancti Petri*, qui ex parte pape de Menſe Aprilis inſtarent immediate concludi ſuper electione loci, in quo papa & concilium in ſimili conuenirent, reſponſo hoc fieri non poſſe, quia promiſſum fuerat ſollempni decreto Grecis, concilium debere ſtare firmiter *Baſilee*, usque ad aduentum eorum in portum, quem nominaret concilium, papa ſpecialiter & expreſſe poſtea per ſuas bullas publicatas in generali congregatione XI. Aprilis anno XXXVII° petiit in ytalia eligendum locum pro concilio ycumenico, & viſo non poſſe obtinere hoc ex votis patrum, qui erant in concilio per ſuos preſidentes, cum vix haberent ſextam partem votorum, factum eſt illud ſcandalum de concluſione contra concluſionem publicata in XXV. ſeſſione, utrum autem ex oratione factum ſit intercedendo aut contemnendo ſciſſuram eccleſie, que ex hoc contingeret, inſpiciantur literæ domini Archiepiſcopi Tarentini ad papam directe ſub dato *Baſilee* XV. Junij anno XXXVII. dicit enim ſic: credat mihi Sanctitas veſtra etiam advenientibus Grecis difficile erit, nos hinc recedere ſine ſciſſura, video Dominum legatum magni animi eo tempore ad transferendum & fulminandum cenſuras contra rebelles, qui erunt pars major in duplo, ex hijs cognoſcere, quis poteſt, quanta deſiderata eſſet deſtitutio concilij Baſilienſis, quam etiam cum ſciſſura obtinere volebant. Preterea ut frequenter relatum

eſt

Digitized by Google

eſt in concilio ad hunc effectum multa impedimenta preſtita fuerunt ciuibus Auinionenſibus, ne concilium haberet pecunias pro mittendo Galeas in Greciam ſed quia hoc non potuit, miſit papa contrariam ambaſſiatam. Preterea non obſtante quod primo per ſuam adheſionem confeſſus fuiſſet, ſe non poſſe diſſoluere concilium absque ejus conſenſu. Item non obſtante ejus conſenſu per eum dato, quod Concilium & non ipſe proſequeretur opus Grecorum, dicens, quod ſua non intererat, qua via ſua aut quo medio in finem illius unionis proueniretur, Item non obſtante, quod conſenſiſſet, concilium debere ſtare firmiter in Baſilea usque ad aduentum Grecorum, ut patet in dicta cedula per ſuos preſidentes fabricata. Item non obſtante quod hanc cedulam ipſe confirmauit in conſiſtorio generali & miſit de hoc literas bullatas ſuas ad Imperatorem & alios principes inſerto tenore ipſius, quod concilium deberet ſtare in *Baſilea* usque ad adventum Grecorum; Nihilominus absque conſenſu non ſolum Concilij, ſed illorum qui illam cedulam publicatione laborauerant ymmo invito concilio diſſoluit, diſſoluere attemptat illud, antequam Greci advenirent ad aliquem portum latinum, immo priusquam Galee per eum miſſe applicarent in Conſtantinopolim, ita quod nec ſeruare viſus eſt decretum concilij nec cedulam ſuorum preſidentium per eum confirmatam & publicatam, & quod amplius diſſoluit illud tempore, quo ſciebat Bohemos actu in concilio diſputare de materia fidei, & in tanta veneratione habuit progreſſum generalis conci-

concilij, ut voluerit, quod ſi in minimo procederetur contra ipſum vel aliquem ex Cardinalibus aut oratoribus ſuis, quod etiam quantum ad ea, que eſſent fidei, concilium non poſſet intendere. Ex premiſſis alijsque multis obmiſſis ex cauſis poteſt euidenter cognoſci, quod ſupra dictum eſt de deſiderio pape ad celebracionem generalis concilij, ſed nunc precipue, quando inſtatur, ad reformationem Eccleſie in Capite,, quarta difficultas eſt propter diverſitatem, hoc eſt, quod ſi concilium ycumenicum non quidem per Modum diffinitionis determinando ſed aviſando, videtur quod tunc non erit idem, ſed aliud conſilium translatio namque videtur eſſe genus alienationis, maxime quando inuenit Nomen, unde ab hoc ſacra ſcriptura maledicit eum, qui transfert terminos proximi ſui. Item aliud dicitur Regnum *David* a Regno *Saul*, quod in ipſum translatum eſt: conſtat autem quod in translatione concilij & mutatio nominis, concilium enim conſueuit denominari a loco, a quo celebratur, & locus eſt de ſpiritualibus pertinentibus ad Concilium unde ex varietate loci ſequitur, diuerſitas concilij, eſt quod doctrina inter diſſolutionem, translationem, prorogationem ſive continuationem, cum quo ad illa duo prima in utroque eſſe concilij diverſitas, eſto enim, quod idem ſunt patres, qui mutant ſe de loco ad locum, cum non eſt eadem congregatio, ſicut idem eſt epiſcopus, qui transfertur, cum diverſi ſunt Epiſcopatus, a quo & in quem transfertur ſicut dicit ſacra ſcriptura translato ſacerdote &c. conſtat enim quod

aliud

Digitized by Google

aliud fuit ſacerdotium leuiticum & aliud eſt ewangelicum, in quo illud fuit translatum, hoc autem euidentius apparet, ſi illud concilium debeat eſſe ycumenicum, conſtat enim quod in multis decretis Baſilienſis concilij illud ycumenicum nominatur futurum, concilium Baſilienſe autem non eſt futurum, ſed preſens concilium. Item modus procedendi videtur eſſe forma concilij, hic autem modus jam eſt determinatus, quo ad Baſilienſe concilium, quo vero ad ycumenicum, qualis debeat eſſe procedendi modus non poteſt aut debet antea determinari, quia prout dicitur in ſeſſione XIX, hoc remittitur, ut determinet ipſam univerſalis ſynodus, reſoluendo autem ad inferiora, quantum ad hunc modum procedendi, qui dicitur eſſe forma in generalibus concilijs, videtur quod modus & forma ſpecialis omnium generalium conciliorum eſt, quod materie per maxime ardue concluduntur in concilio de unanimi conſenſu omnium patrum in ipſo exiſtentium aut majoris partis ipſorum. Quod vero ad hunc conſenſum inueniendum exquirantur ſeu procedatur per naciones aut deputationes vel alijs particularibus modis, hoc videtur eſſe non forma ſpecialis ſed accidentalis, niſi fieret ſpecialis pro tempore per commune decretum vel ordinationem celebrantium generale Concilium, & quoniam in celebratione conciliorum, quibus fideles intereſſe conſueuerunt, jam hic modus eſt determinatus ex communi modo & conſuetudine obſeruata in generalibus concilijs a principio naſcentis eccleſie videlicet quod unanimi

nimi conſenſu patrum ſive majoris partis ipſorum res concludantur. Cum Grecis autem ſeu alijs quibuscunque extra eccleſiam conſtitutis hic modus non eſt practicatus, quinimo in Calcedonenſi Concilio ordinatum fuiſſe dicitur, quod cum hereticis communes conventus non habeantur. Hinc igitur oportet ſtatui procedendi modus de communi conſenſu ſimiliter & concludendi, cum enim illi in pauciori numero conueniant, quam latini, non preſumitur, quod velint concludi a majori parte, & ſic manifeſte patet, quod procedendi modus eſt adhuc incertus, quodque variari poteſt, unde non eſt certum, quod in illo Concilio ycumenico ſit eadem, que in concilio Baſilienſi forma ſpecialis. Item licet *Baſilea* tam per *Martinum* quam *Eugenium* ſummos pontifices fuerit inſtituta pro concilio celebrando ad reductionem eccleſiæ orientalis, & quorumlibet aberrantium populorum, tamen quando per concilium proceſſum eſt ad electionem loci pro ycumenico concilio, ipſa nouiter ad hoc electa fuit, unde licet apud latinos aliquando dicatur, quod unum & idem eſt concilium translatum de uno loco ad alium nec ſunt duo, tamen in materia, de qua agitur, diverſitas hujusmodi Concilij, ſi transferatur, manifeſte patet ut videtur ex intentione tum eccleſiæ latinæ quam Græcæ. Nam quia Greci volebant venire ad locum, ubi actu concilium eſſet congregatum, utraque eccleſia conſenſit, ut de communi utriusque conſenſu fieret unum aliud novum Concilium, ſi enim eſſet unum & idem ſemper ſtaret, ratio

quare Greci non vellent conſentire, ex hoc autem evidenter intelligere poteſt, quicunque ſi ita eſt, quod concilium celebrando in illo loco, pro quo inſtatur erit unum & idem cum conſilio Baſilienſi, vel erit aliud ac diverſum ab eo, attento, quod qua ratione Greci dicebant, ſe nolle venire *Baſileam*, eo quod ibi eccleſia Latina eſſet legitime congregata, eadem etiam ratione refutarunt illum locum, in quem dicitur transferendum *Baſilee* concilium, quia ſi eſſet unum & idem, igitur jam actu eccleſia eſſet ibi legitime congregata. Hoc autem preſuppoſito, quod multiplex difficultas ex hujusmodi translatione, niſi alias concordaretur, inſurgit, prima quo ad perſonas, hoc enim diffinitum eſt, quod papa vel alius quicumque non poſſit retrahere aut impedire quaſcunque perſonas venientes ad concilium *Baſilee*, nec poſtquam venerit abſtrahere non obſtantibus quibuscunque juramentis factis etiam ſummo pontifici qui quantum ad hoc irritantur, item revocantur omnia Mandata, in contrarium facta, item per multa decreta ſpecialiter in VIII. & XIII. ſeſſionibus infliguntur grauiſſimæ poenæ adverſus Impetrantes ſeu ad ſequentes beneficia iſtorum, qui incorporati ſunt in Baſilienſi concilio. Item de cauſis ipſorum incorporatorum qui ipſis invitis non tractentur in curia Romana, ſunt etiam aliæ multæ immunitates & libertates eorum, qui conueniunt ad celebrationem Baſilienſis Concilij, qui non ſe extenderent, niſi fieret alia prouiſio ad illos, qui celebrarent Concilio in alio loco 2da de iſto ſpecialiter concilio declara-

claratum eſt, quod non potuit, nec poteſt, nec poterit diſſolvi absque ſuo ſpeciali conſenſu, per quemcumque eccleſia papaliter dirigitur, & papa ſic confeſſus eſt. Item de modo diſſolutionis ejus ſive translationis etiam ordinatum eſt ſpecialiter quod fieri non poſſit niſi duabus partibus omnium patrum conſentientibus in omnibus quatuor deputationibus ac in congregacione generali votis ſingulorum ſingulatim ſcrutatis conuenire facta ſuper hoc publica ſeſſione 3° etiam declaratum eſt, tanquam ſit articulus fidei Catholice, quod iſto durante concilio non poſſit alia congregatio ſub nomine generalis concilij erigi per quemcumque, etiamſi papaliter aut Imperialiter dirigitur. 4to certum eſt, quod adheſio papæ tam ſolempniter facta & promiſſiones ſuæ tam ſtrictiſſime in ea contentæ ſunt ſpecialiter vero ipſius ſacri Baſilienſis concilij. Item Revocationes ſuarum aſſertionum quo continentur tam in libris ſuis, quam in alijs quibuscunque, aut ſuo nomine faciunt mentionem quoad Baſilienſe concilium, ſimiliter Revocationes proceſſuum & abſtinentiam ab hujusmodi in futurum. Nunc igitur ſi his omnibus non obſtantibus, quæ ſpecialiter & expreſſe faciunt mentionem de Baſilienſi Concilio, nihilominus papa temptauit 2do diſſoluere illud, & aliud erigere, quodque maxime per hoc reſciendum eſt pro cauſa tam levi videlicet ſi vel in minimo procederetur contra aliquos de cardinalibus aut oratoribus ſuis dicens, quod cauſa vrgentiſſima & neceſſaria eſt diſſoluendi concilium, ſi in facto juſtitiæ procedatur contra

aliquos ex predictis. Quinto igitur putabit ſibi magis licere hoc facere in alio concilio, in quod petitur transferri concilium Baſilienſe, quiuis aut mediocriter attendens ſatis facile hoc intelligere poteſt, eſt & aliud non mediocriter animadvertendum, quoniam jam in hoc concilio determinatum eſt, qui debeant habere voces, quomodo exquiri debent vota, quomodo concludi, & alia multa, quæ pertinent ad ſtabilitatem concilij, quæ fortaſſis niſi tali modo prout ſint inſtituta & continuata hactenus fuiſſent tempore, quo magis erat neceſſe procedere ad opera, propter que concilium erat congregatum, fuiſſet diſſolutum. Item huic Baſilienſi concilio jurarunt præſidentes papæ, fideliter laborare pro ejus ſtatu in honore, ac ejus decreta manutenere & defendere. Item accepti ſunt ad præſidentiam oratores papæ cum certis qualificationibus ſolum reſpicientibus iſtud concilium, qui quantum neceſſarie & quantum accomode hactenus fuerint pro ſtabilimento concilij, potuerunt cognoſcere, qui animadverterunt ad modum & ordinem rerum geſtarum, conſtat autem, illi qui rem ipſam manibus attractarunt, quam difficilimum fuit, illam materiam de præſidentia oratorum papæ deducere ad finem. Et nunc papa ſuſpenſo hujusmodi materia hec, quod multo plures & majores ingereret difficultates, quiuis ſatis facile percipere poteſt. Attentendum etiam foret, quod non minor difficultas affuit ſuper concordanda præeminentia ſedium inter aliquos Reges & principes, ut aut aliquando concilium ſuperſederit

rit ab actibus conciliaribus per plures Menſes, continue interpollatim aut frequenter, unde ſi ad aliud concilium mitterent, qui minus bene contenti ſunt, quot difficultates ingererent ſatis intelligi poteſt. 2do offert ſe aliud conſiderandum, quam in iſto concilio diffinitum eſt, quod ipſo durante papa extra locum ipſius concilij exiſtens non poſſit creare de nouo aliquos Cardinales, quia per hujusmodi creationem durante hac diſceptatione majorem poſſit facere reſiſtentiam cum ipſis ad declaratas jam veritates, quilibet in diſſolvendo concilium & eligendo aliud conueniſſe videtur, & cum ipſe non recte videatur ſentire de auctoritate eccleſiæ, jam pro manutenendis extendendis ſuis aſſertionibus accumularet multos fautores & ſequentes, nunc igitur exiſtente hoc concilio nec per eum diſſoluto contradixit huic decreto creandi de facto in Cardinalem patriarcham Alexandrinum, quanto potius hoc fieret concilio diſſoluto, quibus fortaſſis promiſſum eſt, ut fiant cardinales hactenus & modo non inſtent, ſive diſſoluatur, ſiue transferatur, quomodocunque deſinat eſſe hoc Baſilienſe concilium ad conſequendum effectualiter ſuum deſiderium. Non obſtat ſi dicatur, cum papa non reputet hoc eſſe concilium, ſi vellet, ſtatim faceret ipſos, rationabiliter enim præſumere poſſunt, quod obſtante dicto decreto ab alijs non pro talibus pacifice reputabuntur, attento quod hoc Baſilienſe concilium etiam poſt ſecundam pretenſam diſſolutionem pape tanquam legitimum reputatur, non ſic autem de illo per eum erecto

 Ferra-

Digitized by Google

Ferrarienſi conventiculo 3° ſuccedit & aliud non minus graue, ſicut enim de Cardinalibus diffinitum eſt, quod durante concilio non poſſit fieri extra locum concilij, ita ſimiliter decretatum eſt de electione pape, quod ſi hoc durante concilio ſedes apoſtolica quomodolibet vacare contingat, electio fieri non poſſit, niſi in loco Baſilienſis concilij, ne quomodolibet ſciſma contingat. Itaque in ejus mutatione non parum imminet periculum, niſi primum ſuper hijs omnibus debite prouideatur. 4to manifeſte conſtat ex decretis ſacri Baſilienſis concilij, quod papa propter ſuam contumaciam, quia diſſoluit concilium & noluit reſipiſcere. Item quia eccleſiam noluit audire imo reſtitit, & ex alijs legitimis cauſis eſt ſuſpenſus ab omni adminiſtratione papatus, hujusmodique adminiſtratio eſt legitime devoluta ad ſacrum Baſilienſe concilium. Si igitur hujusmodi concilium deſinat quomodolibet, quia de futuris rebus parua aut nulla eſt certitudo, ſatis dubium eſt, utrum aliud fiet, expoſito, quod aliud fiet, nec ut dictum eſt, primo provideatur quod dicetur de hujusmodi adminiſtratione Ingeretur equidem non parua confuſio in eccleſia Dei alijs nullis aut paucis volentibus obedire fortaſſis ſummo pontifici, alijs vero contradicentibus, quia legitime eſt ſuſpenſus, nec erit aliquod legitimum ſupremum tribunal, ad quod recurri poſſit pro iſtius veritate judicij & utinam non contingat, quod ſacra ſcriptura atteſtatur in libro judicum: In diebus illis non erat Rex Jſrael, ſed unusquisque, quod ſibi rectum

vide-

videbatur, hoc faciebat cui rei non parua conjectura accedit, attento, quod ſacrum Baſilienſe concilium legitimum eſſe reputatur etiam poſt ſuſpenſionem pape, quodque adminiſtratio ſcilicet deuoluta ad Baſilienſe concilium, ſi contingat illud deſinere eſſe & aliud non fieri, non per hoc adminiſtratio ipſa pertinet ad papam ſuſpenſum legitime. Qualiter igitur tunc eccleſia remanebit absque certitudine capitis ſeu poteſtatis ſupremæ, cui debeat obediri per ordinationes ſupremæ poteſtatis, & per illos, qui ab eis exempti ſunt. Quoniam autem, ut dicit apoſtolus omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe debet, ſi ſupremi ordinarij aut ab ipſis exempti dicant, ſe non habere ſuperiorem in terris cui obedire teneantur, ſubditi ipſorum, cum illi non aſſignent eis eccleſiam, cui in terris annuntiari valeant peccata ſua, nunquam reputabunt eos inter fratres & filios Dei annumerandos, ſiquidem juxta doctrinam Ewangelij, peccata fratrum, quomodo corrigi volunt, ſiue dici poſſunt eccleſiæ matri ſuæ; non eſt præſentis actionis ſuper hoc extendere ſermonem, ſed optat attendi, quod inter alios articulos condemnatos ſacra ſynodus Conſtantienſis commemorauit, ita inquiens non eſt ſicut illa apparentia, quod oporteat unum caput in ſpiritualibus regens eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante conuerſetur, quia Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum melius ſuam eccleſiam gubernaret. Item ſi per nullos aut pauciſſi-

Digitized by Google

mos obediretur generali concilio, quia non erit nec ſummo pontifici quia ſuſpenſo ne contingat impleri dictum Apoſtoli de diſceſſione particularium eccleſiarum ab obedientia Romanæ eccleſiæ. Hanc autem urgentem materiam ſcandali facile unusquisque percipere poteſt, quia cum papa contra omnes celebrantes concilium Baſilienſe & concilium contra omnes clericos poſt ſuſpenſionem obedientes ſummo pontifici pronuntiaverint ſententiam excommunicationis, cujus abſolutionem præterquam in mortis articulo ſibi reſeruarunt, ſi non data abſolutione contingat non eſſe concilium & papam manere ſuſpenſum. Ad hæc autem fortaſſis dicetur, quod facile hijs omnibus prouideri poteſt, ſi concilium Baſilienſe ante ſuam translationem faciat unum decretum, in quo determinet, quod idem concilium, in quod transferetur, non ſit aliud, ſed ſit unum & idem cum ipſo habeatque omnia hec prout ſtatuta & declarata ſunt, quantum ad Baſilienſe concilium, quodque omnes incorporati in illo alio cum eisdem juramentis &c. Nec non illo durante quemadmodum iſto, nec creatio cardinalium aut electio pape fiat alibi, quodque papa intelligatur illi, quemadmodum iſti adheſiſſe, ſimiliter de amminiſtratione papatus, quod etiam pertineat ad illud. Hæc autem facile dicuntur, ſed opus eſt intelligere quomodo perficiantur. Eſt quidem primo difficultas, utrum illud fieri poſſit, ſi enim neceſſe eſt, ut illud concilium ycumenicum ſit aliud quomodo concilium differet contra rei veritatem illud cum iſto

eſſe

eſſe idem. Item de juramentis, fortaſſis illi qui jurarunt Baſilienſi concilio dicent ſe non intelligere obligatos ad illud aliud nec unquam fuiſſe de intentione ipſorum aut illorum, quorum nomine jurauerunt. Et quod amplius multi ex ipſis fortaſſis non permitterent fieri hujusmodi declarationem. Item papam dicent ſolum adheſiſſe Baſilienſi concilio & hic non obligari ad aliud, ſimilimodo eſt de preſidentia ſuorum oratorum & de alijs multis. 2do eſto quod hujusmodi vel aliquid ex ipſis poſſent de jure extendi ad illud aliud concilium, non parua difficultas foret ad trahendum patres in eundem conſenſum, fuerunt enim multæ inſtantiæ ex parte papæ, tam per literas quam per nuntios ſuos tempore primæ diſſolutionis factæ, quod multa imo fortaſſis major pars ex iſtis decretis deberent reuocari per concilium quia, ut dicebant, erant facta in præjudicium ſui & ſedis apoſtolicæ, & nunc ſi deberent renouari, non dubium, quin admodum reſiſteretur, experti ſunt qui interfuerunt, quanta difficultas interceſſit ſuper innovatione decreti Concilij Conſtantienſis de auctoritate concilij generalis ſupra omnes fideles etiamſi papalis dignitatis. 3a difficultas eſt diſpendioſa protractio temporis, ut enim alibi deductum eſt omnis mora in executione eorum, quæ expediunt ſtante hac turbacione eccleſie multum eſt periculoſa. Cumque predicta decreta, de quibus facta eſt mentio, ſint fortaſſis XX. qui interfuerunt, ſciunt, quantum temporis conſumebatur in condendo quotlibet ipſorum, & nunc ad concordandum quæ

illorum aut de modo quo revocari ſiue extendi deberent, nulli dubium, quod intercederet magna dilatio temporis. 4ta omnibus non minor difficultas eſt, nam etſi omnes patres in id conſentiant, ut tamen ipſa decreta effectualiter auxilientur requiritur, quod acceptentur maxime ab illis, in quorum manibus eſt executio, ne quando patres conuenerint in illo alio loco, putauerintque ſe ſtabilitos vigore hujusmodi decretorum, qui non acceptarunt, nitentur contradicere & fortaſſe allegabunt, non ſervanda eſſe, ut in omni primo de hujusmodi acceptatione concordetur, quantum ſit difficile facile intelligi poteſt, cumque modo reputetur legitimum Concilium, & ſi papa hactenus dixit, ſe non teneri, obedire conſilio Baſilienſi, quod etiam ſecundum eum erat legitimum & indubitatum concilium quod præſumitur faciet contra illud aliud niſi primo aut per ipſum papam ſive per alios ad quod obedire ſpectat & exequi, tam ipſum concilium quam dicta decreta ſiue alia pertinentia ad ſtabilitatem & progreſſum illius in communi concordia accepta rata & firma maneant. Equidem papa cum non reputet Baſilienſe eſſe concilium, ſi auctoritate hujus aliud debeat ſtatim eadem imo fortior aduerſus illud opponendi occaſio ſibi erit, ſi autem conſimilis ejus eſt auctoritas, talis qualis ſit, ad hoc interveniat, oportebit etiam, ut non ſolum aſſentiat eſſe concilium, ſed ad omnia prædicta vel quæ neceſſaria videbuntur pertinentia ad ſtabilimentum ſiue progreſſum illius præbeat aſſenſum, quod ſi acquieſcere nolit,

prout

prout veriſimiliter exiſtimatur, priusquam concilium Baſilienſe ſe transferat oportebit haberi conſenſum illorum, qui debent intereſſe, aut mittere ad illud concilium, principalium ſaltem, ſic enim factum eſt tempore Conſtantienſis concilij, quod priusquam illi de obedientia Benedicti XIII. conſentirent in illud, agente diuæ memoriæ *Sigismundo*, qui per hoc in *Cataloniam* usque perſonaliter acceſſit, concordata ſunt certa capitula communi conſenſu concilij Conſtantienſis & illorum Regum ac principum, qui videntes pertinaciam ejus, quod nollet dare pacem eccleſiæ dimiſerunt illum, & ſic, licet non acceſſerit, aſſenſus dicti papæ Benedicti XIII. nihilominus quia acquieuerunt ſententiæ concilij, quia illi primo obediebant, & ſic non prævaluit ſciſma. Exemplariter autem rememorando præterita, difficultates ſupradictæ evidentius patent. Notum eſt namque quod papa modernus hactenus licet fecerit multas difficultates & vexationes ſacro Baſilienſi concilio, tria tamen fuerunt principalia, ſuper quibus fuit doctrina, adhærere, præſidere & parere, Priusquam adherere vellet, tranſierunt plusquam anni duo, circa preſidere, ut dictum eſt, non minores fuerunt difficultates, & licet prefatus Imperator *Sigismundus* magnam ſuper hoc, exiſtens in concilio perſonaliter, fecerit ſollicitudinem, tamen adhuc inter adherere & præſidere interceſſerunt quaſi tres menſes, quantum vero adparere, videlicet quod vellet acceptare canones in concilio editos & obſeruare, & obſeruari ab alijs facere, jam quaſi efflu-

effluxerunt quatuor anni nec tamen unquam obtineri potuit, quod parere vellet huic concilio, pro quo inſtatur, hæc tria absque dilatione temporis fiant, concedere dignetur omnipotens Deus. Sed cum tantum tempus ſuper hijs in hoc concilio tam legitime inchoato & continuato effluxerit, quid erit in illo? aut ſi fortaſſis neceſſe erit tenere eundem tertium, qui in iſto ut primo ſuper adherere, 2do ſuper preſidere tempus inutiliter conſumatur, & cum perueniatur ad tertium videlicet parere quidem eſt finis pro tam leui caſu, quemadmodum & nunc ſummus pontifex fecit, non temptet concilium diſſoluere. Unum autem omnibus patet, quod illud Concilium non habebit illa quatuor, in quibus ſingulariter ſacrum Baſilienſe concilium, ut ſupra fuit commemoratum præeminet omnibus concilijs generalibus. Eſt etiam aliud, quod licet, quoniam concilium concordauit capitula cum Grecis ſuper ycumenico concilio, non primo prouiſum fuit iſtis difficultatibus ſeu aliquibus ex ipſis, quæ poterant interuenire, hoc factum eſt credentibus patribus, qui tunc erant in concilio, quod papa, qui nouiter jam adhæſerat concilio nullatenus diſtrahere aut impedire niteretur concilium in operibus ſuis ſed potius adjuuare, poſtmodum autem ſenſibili experimento potuit cognoſci, qualem animum haberet ad celebrationem effectualem generalis concilij. Unde jam oportet attendi conſilium apoſtoli, videte fratres quoniam caute ambuletis „ Item doctrinam Ewangelicam quod oportet prudentes eſſe ſicut ſerpen-

tes,

tes, & quoniam hic articulus, ſuper quo diſceptatur, fidem concernit, negligendi ſeu inaduertendi in hujusmodi negotio non leuis culpa putatur. Ex præmiſſis igitur manifeſte unusquisque recipere poteſt, quod cum ad prius neceſſaria ſit celebratio concilij generalis, & ſacrum Baſilienſe concilium actu eſt legitime congregatum in deſtitutionemque ſui multæ ac multæ difficultates occurrunt, quod niſi primo illis debite provideatur, non eſt de ipſius mutatione agendum. Patet etiam 2do ex prædictis quod ad tentandam pacem & concordium in eccleſia non videtur, primo incipiendum ab hoc medio de mutatione concilij Baſilienſis, etenim cum hoc dicitur ſuper mutatione Concilij in alium locum eſſe dicatur inter concilium & papam, qui a principio pro tractanda concordia inter hoc non videtur incipiendus a deſitione concilij, quando eſt congregatum ad ſalutem & pacem eccleſie omniumque Chriſtianorum. Attento ut ſupra commemoratum fuit jam altera vice per medium hujus concilij, cum ſimilis eſſet turbatio, eccleſie pax eſt reddita. Videtur etiam 3° quod ad hujusmodi petitionem, cum ſic generaliter proponitur, niſi cognoſcerent, quemadmodum primum provideatur difficultatibus ſupradictis non poteſt honeſte condeſcendere, patres concilij jurarunt, etenim, fideliter laborare pro ſtatu & honore hujus concilij, & niſi alias provideatur, manifeſtum eſt, quod ſi deſinat eſſe non ſolum ſtatus & honor hujus concilij ſed auctoritas omnium generalium conciliorum ſuccumbere videtur, & quod gravius

eſt

eſt præminentia & auctoritas univerſalis eccleſiæ. Item cum dicti patres juraverint, manutenere & defendere decreta hujus concilij, papa aſſentiente ſe non teneri ad obſervandum & tanta diſceptatione ſuper horum legitimatione & vigore exiſtente, ſi concilium deſtrueretur, qui in hoc conſentirent, utrum dicerentur manutenere & defendere ipſa decreta ſatis facile percipi poteſt. Item conſtat, quod reſiſtentia, quam hactenus papa fecit, concilio videtur fuiſſe ſuper loco petens, ut transferatur in quemcumque alium locum ytaliæ ſeu Germaniæ, & hoc precipue petebatur, ut ceſſaret ſemel Baſilienſe concilium, unde cum pro hac cauſa, videlicet ut quomodolibet deſinat eſſe Baſilienſe concilium, ſummus pontifex videtur laboraſſe a ſeptennio continue, aut quia fortaſſis dicetur hoc medium eſſe ſummi pontificis, deſiderium, quod ipſe alias confeſſus eſt, non eſſe rationabile, quoniam per ſuam adhæſionem publice fuit confeſſus, non ut petebat Bononie aut alibi celebrari debere generale concilium, ſed Baſilee, ubi erat rite inchoatum eſſe legitime inibi celebrandum & proſequendum, non minus, ſed fortaſſis ad hoc idem urgentius hodie militant rationes. Quarto ex præmiſſis euidenter poteſt apparere, quod non eſt detrahendum, aut quovismodo imputandum ſacro concilio, quod oratoribus ſuis ad præmiſſam dietam Nürembergenſem deſtinatis non conceſſit liberam facultatem ad tractandum & concludendum de mutatione ſacri Baſilienſis concilij in alium locum,

ſed

ſed de hoc ad præſens ſuperſedetur, quia alibi locus ſe offert ad hujusmodi conſiderationem.

XXXV.

NATIONIS GERMANICAE EPISTOLA AD EPISCOPVM HALBERSTADENSEM. GRATVLATVR EI EPISCOPATVM. POSTVLAT LIBERVM DIMITTI JOANNEM SVNDIS INDVLGENTIARVM SACRI CONCILII PRECONEM.

Sincera ſalutacione premiſſa Reuerende Pater Inclita nacio noſtra leta fuit non immerito, quod perſonam veſtram nobilitate generis, literarum ſciencia ac virtutum moribus ornatam ad inſignem Halberſtadenſem Eccleſiam promotam conſpexit; preſertim his diebus, quibus ad promovendum negocium reipublice ac auctoritatem hujus ſacri Baſilienſis Concilij & eccleſiaſticam libertatem manutenendum & fouendum ſanctam Matrem eccleſiam talibus prelatis magis indigere cognovit. ſane quia referente fama publica, quod Reuerenda veſtra paternitas quendam dominum Joannem Sundis presbiterum & predicatorem Indulgenciarum pro reductione Grecarum per dictum ſacrum concilium dudum conceſſarum, & in ſynodo Epiſcopali Halberſtadenſi per venerabilem dominum Joannem Chriſtianum Decanum eccleſie ſancte crucis Hildesheimienſis ad hoc ſpecialiter deputatum publicatas, receptas & admiſſas, & quem idem dominus

nus Decanus ad dioceſim veſtram, ob id requiſitus per veſtros miſit, ipſum presbiterum exiſtentem in eccleſia celebrantem, & negocium ſacri concilij & univerſalis eccleſie ſibi injunctum exequentem per veſtros ſatellites manu armata & violenta de eccleſia extraxiſtis & cepiſtis, & ad Caſtrum veſtre reſidencie adduci feciſtis ipſum presbiterum & nuncium ſacri concilij carceribus ac diris cipis mancipando in pernicioſum exemplum & ſcandalum plurimorum, ex qua re, ſi vera ſit, noſtra leticia, de perſona veſtra concepta, in luctum conuerſa eſt; & neſcimus, ex qua radice tam horrendi ſacrilegij reatus proceſſus. Quoniam ſi dictus presbiter & nuncius ſacri concilij in aliquo exceſſiſſet, prout non ſperamus, & paterne per vos ammonitus, ſi non emendaſſet, prefatus dominus decanus principalis delegatus nullo modo eum ſuſtinuiſſet in dicto negocio nobis in opprobrium, quia ſingularem apud vos graciam habere conſueuit, prout nobis retulit. Eciam nacio noſtra, precepta veſtra racionali querela erga ſacrum Concilium de remedio vobis prouidiſſet oportuno. Cum igitur premiſſa ſint mala, & res mali exempli, de quibus peyora euenire poſſent ſupplicamus cum fiducia paternitatem veſtram, eamque in domino exhortamur, quatenus taliter provideatis, quod dictus presbiter & nuncius ſacri Concilij mox viſis preſentibus cum equo, qui ad dictum decanum executorem principalem pertinet & alijs literis & rebus ſuis ſine difficultate per vos & veſtros relaxetur & liberetur, ne nacio noſtra,

que

que ſimilia nondum ab aliquo prelato intellexit, unde ſcandalizetur, & ſacrum Concilium non incitetur ad vindictam. In hoc faciatis debitum veſtrum & rem Deo & nobis omnino gratam; ſin autem: timere haberetis divinam ultionem & infamiam oriri contra vos per univerſum, de quo ſumme doleremus; In domino feliciter valeatis. Datum Baſilee feria 2da infra feſta paſcalia, noſtre Germanice Nacionis ſub ſigillo.

Preſidens, prelati Doctores & Magiſtri nacionis Germanice in ſacro Baſilienſi Concilio legitime congregati.

XXXVI.

EJVSDEM NATIONIS LITTERAE AD FRATREM STEPHANI DVCIS BAVARIAE.

Illuſtriſſime Princeps & gracioſiſſime domine nobis ſemper recolende, poſt noſtras humiles ſemper premiſſas oraciones, veſtre magnificencie carus Germanus eciam princeps, nobis colendus Dominus Dux *Stephanus* paucis hijs diebus preſenti ſacro generali Concilio ſuos deſtinauit literas, quarum copias ſoli veſtre celſitudini & nulli alteri principum, patefacimus preſentibus, ac transmittimus interclufas, cui quidem Germani propter zelum nimium, quem ad veſtram inclitam domum Bavarie gerimus, ſcripſimus ac fecimus corde &

animo feruentibus, prout ipſi domini Chriſtianiſſimis ſemper operibus per orbem famate perſtrinximus, expedire & in copia noſtre litere, ipſi Germano per nos directe eciam preſentibus interclusa, videbit veſtra excellencia plenius contineri. Admonemus igitur & hortamur eandem veſtram excellenciam preſentibus, quibus valemus & poſſumus unanimiter in domino precantes, quatenus eundem germanum a ſimilibus de cetero ſcribendum, & ne dicto *Heinrico*, aut alijs decetero pro libito falſa nephandaque contra ipſum ſacrum Concilium referentibus, fidem credencie nequaquam adhibeat, ſed premiſſa ſcripta compenſando aliquibus proximis tempore & loco captatis concilium ipſum ſacrum deuotius recognoſcere debeat, velitis inducere pariter & informare, prout modis prudentibus & vijs ſcietis & poteritis omnimodo, ut alij omnes Chriſtiani Reges & principes faciunt fideliter & recognoſcunt; Ex hoc enim ab omnipotenti Deo meritum obtinebitis, & ab ecclesia tota laudem, ab olim in vos, ut eandem veſtram inclitam domum, a ſuis progenitoribus magnificis operibus laudabiliter propagatam reportabitis continuo, & adaugebitis. Dabimus etiam operas noſtras & ſollicitudines debitas, ut ille veſtre celſitudinis *Joannes Beyr* ſcultetus in *Ensheim* ab indebitis vexacionibus per ipſum ſacrum Concilium releuetur, pro ut eadem celſitudo ipſi ſacro Concilio ſuis literis VIII die preſentis menſis Maij ſcriptis clarius explicauit, Quam ad incrementum ec-

clesie

cleſie & fidei ac ſubditorum omnium optamus feliciter diucius perſeruari. Scriptum *Baſilee.*

XXXVII.

EJVSDEM NATIONIS LITTERAE AD REGEM ANGLIAE HORTATORIAE VT SYNODO BASILEENSI AD EXEMPLVM ALIORVM PRINCIPVM ADHAERERE VELIT.

Sereniſſime Princeps Rex inclite honorem ſimul & exaltationem veſtre Regie Majeſtatis tanto amplius feruenti ingentique amore deſideramus, quanto plus nouimus preclare memorie progenitores veſtros & noſtram Nacionem pocioribus ſemper benivolencijs, dulciſſimisque conuerſacionibus & honoribus ſe mutuo preueniſſe; Nam & antique nobis commemorant hyſtorie inter noſtros & incliti Regni Anglie principes vetuſta fuere hoſpicij jura, ut & illi noſtris, & noſtri illis ſepe fuerint auxiliati, operatur & nunc adhuc caritas & digna affectio, ut nil eorum reticeamus, que veſtre celſitudini nouerimus referanda; cum itaque preſens ſacro ſanctum generale Baſilienſe concilium ad veſtram celſitudinem in preſenciarum ſuos transmittat oratores ad exponendum eidem non nulla ſtatum, auctoritatem & exaltacionem univerſalis eccleſiæ & communem populi Chriſtiani ſalutem concernencia, inter que duo principaliter perſtringimus petitura: primum, ut veſtra ſerenitas pacis

Digitized by Google

commoda aperienda pro Regis pacifici honore & gloria ampleƈetur; & ſecundo; ut veritate & juſtitia ejusdem ſacri Concilij penſatis, celſitudo ipſa ultimo ſe eidem ſacro Concilio Eccleſiam univerſalem repreſentanti, pro ejus pacifici Regis, qui ipſius ſponſus eſt, eccleſie ſimili honore adherere velit & fauere. Ad quorum primum, pacem videlicet deſideratam ampleƈtendam; Excellentiſſime Rex noſtras humiles preces adjicimus, ſupplicantes obnixius, ut velit ipſa celſitudo ad Dei laudem & gloriam, & ipſius eccleſie ſupremum deſiderium ad eam ſe inclinare pacem bone voluntatis hominibus diuinitus pollicitam. Et quoniam pertimeſcimus aduerſus alteram peticionem veſtre ſerenitati multa iniqua & minus vera ſuggeſta pro parte domini *Eugenij* Pape in præjudicium eccleſie univerſalis & auƈtoritatis ejusdem premiſſi amoris auiditate detenti decreuimus eidem celſitudini aperire hec pauca per oratores ipſos plenius exprimenda. Quod licet hoc ſacrum concilium, tam bone memorie *Martini* pape V. quam diƈti domini *Eugenij* Romanorum pontificum auƈtoritate legitime fuerit conuocatum, potiſſime pro pace traƈtanda inter fideles quosque pro extirpacione hereſum & reformacione eccleſie in Capite & in membris facienda, & quarto pro reduƈtione Grecorum ac diu continuatum, tamen poſtmodum ipſe *Eugenius* Papa nondum perfeƈtis hijs omnibus, nec dum vix inceptis, illud absque cauſa diſſoluit, & tandem per ipſum ſacrum concilium commonitus, quod inconſulte diſſoluit, conſultus re-

voca-

vocavit eidem ſacro Concilio adherere, decreta ipſius ſervare & omnes fauores præſtare ſuis claris literis promittendo, contra quas quidem adheſionem & promiſſionem aliquando poſt decurſo ipſe temere veniens præter alias in Deum & eccleſiam factas Machinaciones ſingulis quantumcunque Canonice electis in eccleſijs ſua reſervatione, innitendo per eam contra decreta noſtra ſaluberrima alijs providit, eccleſias ipſas in diviſione dampnabili ponendo. Et demum Concilio & eccleſie memoratis reductioni Grecorum evidenter intendentibus ſtudioſa impedimenta præſtitit & ut tanti pretextu boni reductionis Grecorum Concilium ipſum in ytaliam traduceret, & ejus auctoritatem illic pro libito confutaret, *Ferrarie* ciuitatem poſt alia loca inconſultis motibus elegit. Illic, preſens ſacrum Concilium contra ejus determinaciones & decreta, quo' ad hoc ſaluberrime previſa carere, priusquam Greci ad portum aliquem latinum acceſſiſſent, transtulit, & ex tunc congregacionem ſciſmaticorum, quod, preſenti ſubſiſtente ſacro concilio, concilium nominare auſus eſt, & conciliabulum exiſtit, celebrare preſumpſit, multa inibi execranda, Deo & eccleſie odibilia pro voluntatis libito edendo & conſtituendo de facto tunicam inconſutilem, Catholicam videlicet eccleſiam deteſtabiliter ſcindendo, quantum ſcelus eccleſia ipſa ab euo perpeſſa non fuit; Que omnia plerique Chriſtiani principes diuina utique concitacione commoniti perpendentes ipſi ſacro Concilio adherere concluſerunt: primum incommutabilis eccleſie de-

 uotiſſi-

uotiſſimus *Albertus* Ungarie & Bohemie Regnorum Rex nouellus & Auſtrie &c. Dux illuſtris ſuas ad Regna hujusmodi concordes aſſumpciones ſacro Concilio ad participium leticie patefaciens, illius benedictionem petiit, & cum congratulatione letabunda deuotus recepit, ſuccedentibus preclaris Bauarie & alijs principibus plurimis. Aſſunt preterea Arragonum, Nauarre & Portugallie Reges, & Eccleſia Gallicana tota ſe usque ad mortem auctoritatem eccleſie defenſuram profeſſa eſt. Concomitatur & certa racione Iſpaniarum Rex Inclitus & aſſiſtencia incommutabili Mediolanenſis ſimiliter & Sabaudie Duces habentur. Aſſunt & principes alij atque communitates multe nimis. Denique & Italia tota preter communitatem Veneciarum, forſan pocius hoc temporis curſu ſua, quam que Dei ſunt querentem. Miſit denique idem ſacrum Concilium Ambaſiatores ſuos ſolempnes, videlicet; Reverendiſſimos Patres L. Patriarcham Aquilegienſem origine Ducem Illuſtrem. N. Archiepiſcopum Panormitanum in utroque jure celeberrimum virum ex milibus electum, & *Franciſcum* Epiſcopum Parmenſem ad Imperialem locum *Francfordie* ad preclariſſimos patres & Illuſtres Romani Imperij Electores pro futuri Romani Regis electione die prefixa convocatos, ut modo probabili illis neceſſitatem Eccleſie & juſtitiam ejus demonſtrent. Que inter alia multa que emerſerunt, pro aliquali ſummaria informacione deſcribere curauimus, ut de ſupraſcriptis contra aliter referentes veſtrum reddamus celſitudinem premunitam,

Digitized by Google

nitam, eandem unanimiter ſinceris affectibus, quantum debemus & poſſumus ſecundo loco requirentes & rogantes in Domino, quatenus etiam vos catholicum Regem in puritate fidei & ecclefie flagrantem quemadmodum apud eccleſiam ipſam indubitata ab omnibus fiducia habemini in hoc neceſſitatis articulo eccleſie non deficiatis, ſed manifeſtis operibus & magnificis effectibus vos ipſum eccleſie & concilio exhibere velitis mentem Regiam pro adheſione ſimili declarando, ut exinde memorata eccleſia eciam veſtre Celſitudinis fulta preſidio ſua ſancta incepta opera ad Dei Laudem & gloriam feliciter conſumare poſſit, & ex hac ejusdem celſitudinis digna merita & glorioſa opera in eam inclite memorie ſuis progenitoribus laudabiliter propagatam altis laudum preconijs glorioſius attollere, & ſi umquam oportunitas ſe obtulerit, congruis aſſurgere teneatur recompenſacionum impendijs. Reddet preterea veſtra Regia majeſtas Nacionem noſtram & noſtrum ſingulos eidem majeſtati magnificis mentis extollende ſedulo ſincerius obligatos; quam omnipotens preſeruare velit, queſumus, hic in tempore incolumen, & in futura patria perpetuo feliciter viuentem. Datum *Baſilee* &c.

hec N. *Volrat.*

Digitized by Google

XXXVIII.

EJVSDEM NATIONIS RESPONSVM AD LITTERAS STEPHANI COMITIS PALATINI RHENI BAVARIAE DVCIS.

Illuſtris Princeps & domine Generoſiſſime poſt oraciones tam debitas quam deuotas; ad creatorem noſtrum ſemper oblatas hijs paucis diebus preteritis, veſtra celſitudo, unam ſuam literam non ſacro Baſilienſi Concilio, prout omnes Chriſtiani Reges & principes, nullo prorſus excepto ducti in fide & deuocione praclaris ſuis literis profitentur & ſcribunt, ſed domino Ludovico Cardinali Arelatenſi, Patriarchæ Aquilegienſi, Archiepiſcopis Epiſcopis Electis & Abbatibus, ceteriſque in *Baſilea* ſub prætextu generalis Concilij conſtitutis tranſmiſit preſentandam. Deſignante inter cetera informatione cujuſdam *Heinrici Maſsbenn* eandem excellenciam clarius didiciſſe, eosdem Cardinalem patriarcham, archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates &c. utique ſacrum generale Baſilienſe concilium facientes & repreſentantes emulacione inuidiaque laborare, nec ulla caritate frui, adverſus dominum noſtrum papam, prout polliciti fuerunt, obſequi, eidem, cum ipſe ſacro Concilio adhereret, hoc primo, ſecundo, eosdem per diverſa decreta ſua auctoritatem & poteſtatem ipſius domini noſtri enervaſſe & diminuiſſe, & quod minus decet catholicum aſſerere & Chriſti fideles, per indulgencias decepiſſe, quod eccleſie & fidei prorſus alienum eſt, & horrendum; Denique

nique optatam Grecorum unionem impedire. Quibus ſic perhorrendis literis per non nullos preſtanciores hujus ſacri Concilij patres primitus preuiſis & perlectis ijdem patres tante tamque nobilis ex antiquo progenite domus Bauarie, benigna conſideratione permoti, literam ipſam veluti domum ipſam ſcandalizantem in publicum usquequoque non produxerunt, ſed eam noſtre Germanice nacionis, de qua dicta domus exiſtit, paucis admodum prelatis doctoribus & perſonis, eandem domum ceteris magis zelantibus, communicarunt, ut adviſacione & operacione conuenientibus nos veſtram nobilitatem melius redderemus informatam, & quibus modis & vijs hoc ſcriptum ſilencio tegeretur, ne ſi forſan hac in re in publicum prodeunte eccleſia commoneretur in debitam deſcendere ultionem, nos itaque tam benignas quam gratuitas patrum eorundem communicationem & aduiſacionem debita gratiarum peractione ſuſcipientes deputati fuimus, ut juxta ipſorum ſummam benignitatem & prouidenciam ſcripta hec tegerent, qui vel lenius quantocius ad veſtre nobilitatis excellencie noticiam deducere ſperantes, quod eadem ſcripta ex certa ſua ſciencia minime emanaſſent. ſic quidem Illuſtris princeps mente & intencione fidelibus prout tenemur, premiſſa ad veſtre nobilitatis Intelligenciam, deducimus attencionem unanimiter eidem nobilitati ſuadentes, eamque exhortantes & rogantes in domino, ut eadem nobilitas hujusmodi ſcriptis per vos prorſus a ſimilibus de cetero abſtineatis quinymo loco & tempo-

Digitized by Google

re conuenientibus ſicut ceteri ſoliti ſunt catholici principes, ipſi ſacro Concilio reſcribere, Illudque & eccleſiam totam, ejus nomine veraciter repreſentatam ſicut catholicum decet principem recognoſcere & pro viribus promouere, eique adherere & obtemperare velitis, ut ſic prefatis ſcriptis ſepultis eccleſia univerſalis veſtris dignis & laudabilibus meritis, in vos a felicis memorie veſtris progenitoribus laudabiliter propagatis, ſi umquam opportunitas ſe obtulerit non immerito aſſurgere aſtringatur; Reddidit autem hijs ſuperioribus diebus ipſum ſacrum concilium de ſuis veritate & Catholica juſtitia cunctos Chriſtianos Reges & principes plenius informatos. Et quoniam hujusmodi veſtre litere, quaſi ſitis earundem veritatis & juſtitie Inſcius id depoſcunt, hec pauca pro informatione aliquali ſummaria, quantum ad prius ſufficere cernimus eidem excellencie aperimus, ut eam reddamus aliquantulum contra aliter minus vere referentes præmunitam. Noſcat igitur eadem veſtra excellencia, quod licet hoc ſacrum Concilium tam bone memorie *Martini* pape V. quam dicti domini noſtri *Eugenij* Romanorum pontificum auctoritatibus legitime fuiſſet conuocatum, pro tribus ſaluti fidelium expedientibus, unde pro pace tractanda inter principes pro extirpacione hereſum & reformacione eccleſie in capite & in membris facienda & quanto pro reductione Grecorum diucius deſiderata, pro qua quidem reductione ipſe dominus noſter *Eugenius* papa ad preſens ſacrum Concilium eosdem remiſerat Grecos,

ut

ut quod ſuam cum eodem concilio unionem acceptarent, prout promiſerunt, & patentibus deſuper confectis literis, tam per Grecos quam ſacrum Concilium firmatum fuit, tamen poſtmodum ipſe dominus noſter papa, antequam premiſſa fierent, nec dum plene incepta fuiſſent, concilium ipſum absque cauſa, quamquam non poſſet, diſſoluit, & tandem per ipſum ſacrum concilium commonitus, diſſolucionem, quam inconſulte fecerat, conſulcius reuocauit, eidem ſacro Concilio adherere, decreta ipſius ſeruare, & omnes fauores illi præſtare ſuis bullis promittendo, contra quas quidem adheſionem & promiſſionem, aliquanto poſt decurſo tempore denuo veniens preter alias ipſi concilio & eccleſiæ factas moleſtias, de quibus longum eſſet enarrare ſingulis quantumcumque canonice ad Eccleſiarum, monaſteriorum & dignitatum regimina juxta decretorum ejusdem Concilij & juris communis diſpoſicionem electis, reſeruatione abolita, innitendo alijs prouidit, eccleſias ipſas in diuiſione dampnabili ponendo, & demum Concilio & eccleſiæ memoratis reductioni Grecorum evidenter intendentibus ſtudioſa impedimenta preſtitit, Inhibendo Auinionenſibus ne pecunias pro hujusmodi reductione ſacro Concilio promiſſas exburſarent, Ut ſic eccleſia deficiente ipſos Grecos contra ſua promiſſa ipſi ſacro Concilio ſollempniter facta ad ſe traheret, & prætextu eorumdem reductionis Grecorum concilium ipſum in Italiam traduceret, & illic ejus auctoritatem & decreta ſalubria confutaret ſuos ambaſiatores, quos

ex

ex hoc ſacro Concilio ſtudioſe extraxit, ipſum ſacrum Concilium preueniendo transmiſit, pro quibus ut ambaſiatoribus ſacri Concilij literæ ſub ejus bulla clandeſtine falſo bullate comperte fuerunt, qui ſe ejusdem domini noſtri pape, & ipſius Concilij ambaſſiatores concordes Grecis affirmare non erubuerunt, priusquam ipſius ſacri Concilij, ambaſſiatores veri, accedere potuiſſent, quibus ſic preter bonos mores, in decepcionem & ſuppreſſionem ſacri Concilij, inſtauratis Idem dominus noſter, *Eugenius* preſens ſacrum Concilium, absque ejus conſilio & aſſenſu ejus priusquam Ipſi Greci ad portum Latinum appropinquaſſent, contra ejus ordinaciones & decreta ſaluberrima in contrarium facta & edita, in ciuitatem Ferrarienſem tranſtulit de facto, & ex tunc congregacionem ſciſmaticorum, quod preſenti ſubſiſtente ſacro Concilio, Concilium nominare auſus eſt, & concilium exiſtit, celebrare incepit & preſumpſit, multa execranda, Deo & eccleſiæ odibilia, pro voluntatis libito edendo, ac perſonas ſacri concilij, earumque res & bona cunctis prede ſupponendo de facto, tunicam inconſutilem Catholicam, videlicet eccleſiam, deteſtabiliter ſcindendo, quantum ſcelus eccleſia ipſa ab euo perpeſſa non fuit, quibus ſic indebite geſtis & perpetratis in Eccleſia Chriſti, quam ut prediximus, ipſum ſacrum Concilium repreſentat, & cui omnis interea adeo conſpicitur collata poteſtas, cuique omnis fidelis eciamſi papalis exiſtat in premiſſis obedire tenetur, obviare diſpoſuit, cupiens deo propicio premiſſa

miſſa omnia, propter que concilium ipſum, congregatum extitit, feliciter adimplere, pro exaltacione eccleſie & ſacrorum Conciliorum incommutabiliter ſervanda eciamſi martirio ſiſti patres deberent, que veſtre nobilitati voluimus ut premiſſimus deſideranter aperire, ut eam redderemus aliquantulum de premiſſis veritate & juſticia aviſatam, prout plenius Regibus & principibus cunctis in ſcriptis, novimus per ipſum ſacrum Concilium reſeratum. Preterea nondum ad plenum Bohemi ſunt eccleſie uniti, quos modo ſereniſſimus Princeps & dominus noſter gratioſiſſimus dominus *Albertus* Romanorum Electus, ac Hungarie & Bohemie Rex Illuſtriſſimus ſuper communione ſub utraque ſpecie determinacioni & ordinacioni prefati ſacri Baſilienſis Concilij ſubmittit denuo atque remittit, quos firmiter ſperamus ad eccleſiam in omnibus ex integro reduci & ei uniri ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui veſtram excellenciam dirigere & conſervare dignetur in omni proſperitate & ſalute ad vota. Datum *Baſilee* &c.

XXXIX.

Digitized by Google

XXXIX.

CONCORDITER AVISATA PER ORATORES PRINCIPVM PRO PACE ET QVIETE TOTIVS ECCLESIAE.

Sequuntur concorditer auiſata per oratores omnium ſereniſſimorum ac illuſtriſſimorum principum in hoc ſacro Concilio exiſtentes pro pace & quiete tocius eccleſie, nec non & pro ſanctiſſimo opere unionis orientalis eccleſie cum Latina, ut peractis hujusmodi glorioſis operibus pax & tranquillitas in univerſa eccleſia floreat, atque ipſum ſacrum Concilium Baſilienſe in principibus & ceteris membris ſuis incorporatis immarceſſibilem apud Deum Coronam glorie conſequatur. In primis videlicet, quod hoc ſacrum concilium ſui auctoritate nominet & eligat *Argentinam*, *Conſtanciam*, *Maguntiam* pro celebracione generalis vel ycumenici Concilij, & rebus inibi tractandis, proſequendis terminandis, qua electione & nominacione in generali Congregacione facta inuictiſſimus Rex Romanorum, ac Chriſtianiſſimus Rex Francorum una cum alijs Regibus & principibus, qui ad hoc concurrunt, curabunt eam infra unum menſem intimare pape, nec non Imperatori Romeorum & predictis Conſtantinopolitanis ipſisque Grecis, qui quidem ſcilicet papa, Imperator & predicti infra alium Menſem habeant in aliquem locorum prefatorum per bullas & literas ydoneas expreſſe conſentire, ceſſante penitus congregacione Ferrarienſi, quem quidem conſen-

ſum

ſum infra alium Menſem habeant ipſi ſacro Concilio intimare, & quicumque infra hujusmodi tres Menſes a die electionis & nominacionis locorum prefatorum conſenſus hujusmodi ſacro Concilio fuerit intimatus, mox ſacrum Concilium ipſum locum, in quem papa & Greci conſenſerunt, habeat ſolenniter decretare.

Et id fiat ſi ſolus papa vel ſoli Greci in aliquem predictorum locorum infra dictum terminum conſenſerint, & conſenſus hujusmodi fuerit ut prefertur, intimatus, ſi vero papa in unum predictorum locorum & Greci in alium conſenſerint, ſacrum Baſilienſe concilium habeat gratificare, ceterum ſi locus per papam & Grecos, ut prefertur, acceptatus propter guerram, peſtem aut famem foret incommodus, pro premiſſis alter locorum nominatorum, loco per papam, vel Grecos acceptato, aut ipſis diſcordantibus, ut prefertur, gratificato vicinior ſuccedat, omnibus vero locis ex cauſis premiſſis incommodatis locum habeat prouiſio Conſtancienſis concilij, que ſuper hoc in ſimili caſu emanauit. Ita tamen, ut ſi dictus locus ille, in quem papa & Greci conſenſerunt, ex cauſis premiſſis ante futuri hujusmodi concilii inchoacionem factus incommodus, ſacrum Concilium Baſilienſe in eo habeat diffinire; ſi vero poſt ipſius inchoacionem incommodetur locus ejus, ipſum concilium ſibi prouidebit. Ad quem quidem locum papa per ſe vel ſuos preſidentes & eciam ipſi Greci infra duos Menſes a Die acceptationis loci per eos vel eorum alterum facte, &

ſacrum

ſacrum Concilium Baſilienſe infra duos Menſes a die intimacionis dicti conſenſus pape vel Grecorum ſe conferre teneantur. Ita ut immediate poſt lapſum duorum menſium a intimacionis conſenſu pape vel Grecorum ſacro Concilio Baſilienſi facte in hujusmodi loco omnino ycumenicum Concilium puta propter preſentiam Grecorum vel generale ipſis abſentibus aut abinde recedentibus cenſeatur & exiſtat ſtabile, & permaneat preter ſui conſenſum indiſſolubile unitum; ad conciliares actus neutro Caſu procedatur, niſi dictis duobus Menſibus, & inſuper XV diebus totaliter elapſis. Preſidentes autem papales caſu quo papa perſonaliter non venerit, admittentur, & preſidebunt eo modo, quo in ſacro Baſilienſi concilio ſeruatum eſt. Et ſiue hujusmodi Concilium per preſenciam Grecorum efficiatur ycomenicum, ſiue propter eorum abſenciam generale fiat, ut ſupra dictum eſt, omni caſu ſeruabitur inibi modus procedendi, quem ipſum Concilium declarabit. Inſuper quam primum papa in locum, ut prefertur, conſenſerit, teneantur eciam in continenti per aliam bullam Canones Concilij Conſtancienſis, quorum unus incipit: *Et primo.* alius vero incipit. *Item ſtatuit* ſuper poteſtate generalium Conciliorum editas realiter & expreſſe provideri in forma *Conſtancie* decretata. Cumque Conſenſus & profeſſio hujusmodi per bullas ipſas huic ſacro Concilio fuerint intimate, mox ſuſpenſio, de ipſo facta, ſublata intelligatur, pariter & ipſo jure intelligantur reuocate omnes pene, cenſure, & ordinaciones &

queuis

Digitized by Google

queuis alie diſpoſicionis per ipſum vel ejus auctoritate quomodolibet facte vel fulminate contra incorporatos ſacro Concilio, vel adherentes eidem in continenti, eciam omnes cenſure, pene & ordinaciones quecunque per hoc ſacrum Concilium vel ejus auctoritate facte contra papam eique adherentes ſublate intelliguntur.

Verum ſi nec papa, nec Greci in aliquem predictorum locorum conſentire voluerint, ita quod infra tres Menſes a die nominacionis & electionis locorum predictorum promouentibus Regi Romanorum ac Regi Francorum tanquam propinquioribus, qui hoc ſacro negocio ſuos oratores ad utramque partem ſpecialiter deſtinarunt, conſenſus hujusmodi non fuerit ipſi concilio intimatus. Nichilominus ſacrum concilium aliquem locorum nominatorum habeat decretare, ſeque infra alios duos Menſes inibi transferre, ita quod omnino poſt lapſum quinque menſium a die nominacionis & electionis locorum prefatorum ſaltem generale Concilium in aliquo eorundem celebretur. ubi nichilominus papa audiatur, ſi quid habeat dicere, vel allegare, aliaque fiant que ad curam ſacrorum conciliorum ſpectare noſcuntur, verumtamen ad actus conciliares non procedatur, niſi dictis quinque menſibus & inſuper XV diebus totaliter elapſis. Item ordinabitur, quod de pecunijs indulgenciarum, aut alias, qualitercunque ſatisfiat ciuibus Auinionenſibus de pecunijs per eos ſacro Baſilienſi Concilio mutuatis, nec non de expenſis, dampnis & intereſſe per eos factis & habitis pro

reductione Grecorum. Inſuper tractabitur de prouiſione ſedi apoſtolice & alijs prelatis facienda, & ordinabitur, prout Spiritus ſanctus dictauerit. Ne autem prætextus translationis vel diſſolucionis ingeratur, teneatur dominus Rex Romanorum cum uniuerſo Imperio prouidere de tutela & ſecuritate loci illius, in quo concilium celebrari debeat, ut prefertur, ac inibi protectionem conſtituere. Nec non de ſaluo conductu & ſecuritate loci & ſtratarum ac victualium competencia omni commoditate, que humanis Conſilijs ſubjacere poteſt, pleniſſime prouidere, poteruntque patres hujus Concilij aliquos de gremio ſuo illico premittere, ut ſic omnia præparatoria taliter ordinentur, ut nulla machinacione ycumenici vel ſaltem uniuerſalis Concilij celebracio valeat impediri.

XL.

ORATIO HABITA IN CONCILIO, PROPONVNTVR IN EA CAPITA PACIS ET VNIONIS SANCIENDAE INTER PAPAM ET CONCILIVM. CONCEPTA EST A LEGATIS PRINCIPVM.

Reuerendiſſimi patres, cum hodierna die hunc cetum ſacrum pro pace eccleſiaſtica conſeruanda a turbacionibus, que prochdolor in eccleſia jam exorte ſunt, & in futurum grauius augeri timentur, ſine ſcandalo ſedanda, aliqua propoſituri

Digitized by Google

ri ſumus. Quid melius in ipſo exordio occurrere nobis poteſt, quam illud Ewangelicum verbum. Beati Pacifici, quoniam filij dei vocabuntur. Profecto intelligere veritas ipſa hujus verbi prolacione voluit non ſane pacem in ſemet ipſis duntaxat habentes beatos & filios Dei fieri, ſed ipſos pacificos pacem ſcilicet facientes & concordie ſemina ſtaminantes; hinc homini religioſo pax eſſe debet, injurias aliorum non excreſcere, uel non augere male loquendo auſi eciam eas extinguere bene loquendo ſtuduerit, ſpiritualis namque vere fructum ſpiritualem querere debet, fructus autem ſpiritualis, ut inquit apoſtolus, eſt Caritas, gaudium pax verus Catholicus ſummis vigilijs inſiſtere debet, precipue vero hoc principibus congruit, ad quos magis ex ipſo officio pertinere videtur, quam ut eorum témpore pacatam eſſe volunt matrem ſuam eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt. Cum ſive augeatur pax, & diſciplina eccleſie, ſiue ſoluatur, omnipotens ab eis racionem exigit diſtricto examine, qui eorum poteſtati corpus ſuum, ſcilicet eccleſiam tradit defendendam. Hoc ergo conſiderantes illuſtriſſimus Romanorum Chriſtianiſſimus Francorum ſereniſſimus caſtellæ Reges, ac illuſtriſſimi principes Electores ſacri Imperij Romani, & ſciſmatis periculum iminere cernentes ſeptimo apud hanc ſanctam ſynodum tam literis, quam per organum Oratorum ſuorum affectuoſe inſtiterunt, ut diſſenſio hec, que inter hoc ſacrum Concilium & ſanctiſſimum patrem dominum *Eugenium* papam IIII. in magnum Chriſtianitatis diſpendium

ſuborta eſt, absque ſcandalo ſopiretur, & auctoritate univerſalis eccleſie conciliorum & ſedis apoſtolice ſanata omnium unanimi conſenſu tam ad uniendos cum eccleſia Dei orientales populos, quam ad alia piiſſima opera, que fidei exaltacionem & pacis inter principes Catholicos conſeruacionem, ac ubi rupta eſt, reparacionem, nec non morum in clero & populo reformacionem contra nunc provideretur. Cum vero pro tunc hoc obtentum non eſſet; Idem inclitiſſimus Romanorum Rex, apud *Nurembergam* dietam diſpoſuit, ibi conuenientibus hujus ſacri Concilij ac ſanctiſſimi domini pape legatis, nec non ſollempnibus oratoribus ejusdem domini Regis ac dominorum Electorum, aliquorumque aliorum Alamanie principum aliqua pacis remedia moueri & eſſe concludenda ſperabant; que licet mota ſint, emula tamen pacis, illo videlicet cujus inuidia mors introiuit in orbem terrarum, impediente, concluſa non extiterunt. Quam ob rem ejusdem domini Regis, dominorumque Electorum oratores in magno numero ad hoc ſacrum concilium accedentes, una cum oratoribus ſereniſſimorum Regum Francorum, Caſtelle & Aragonum, illuſtriſſimique ducis Mediolani cum magna inſtancia per longa temporis interualla procurarunt, ut die aliqua ad pacem accomode aſſumerentur, ac licet multa aperta ſint, obtineri tamen non potuerunt. Cum vero labores ſui optatum conſequi non potuiſſent, apud incilitam metropolitanam urbem *Maguntiam* dieta certa ſtatuta eſt, in qua conuenientes aliqui

ex

ex Electoribus in perſonis proprijs, ſupra ſcriptorumque dominorum Romanorum, Francie & Caſtelle Regum, nec non aliorum dominorum Electorum, qui preſentes vero aderant, ac domini ducis Mediolani, non nullorumque aliorum Electorum, aliorumque notabilium Alamanie prelatorum oratores grandi cum diligencia media pacis & vias accomodas huic rei obtinende vouerunt. Et licet ibi cauſa hujus ſacri Concilij, quoniam ejusdem domini pape legati diuerſis cum temporibus affuiſſent, nulla tamen prochdolor viarum illarum eodem inimico pacis inviſibiliter obſiſtente optatum inibi pacis effectum ſortita eſt. Zelo igitur pacis conſequende ibidem Reges & Principes inducti & propter imminentes difficultates deſiſtere ab hoc ſuo ſancto propoſito non intendentes auiſanda ſalubria & vias acceptabiles & deuotas, per quas auctoritas ſacrorum conciliorum ſeruetur. Et huic grauiſſime turbacioni remedium oportunum adhibeatur, per ſuos oratores conceperunt firmiſſimam fiduciam gerentes per veſtram ſacram concionem fore acceptandas, que ut Reuerendiſſimis veſtris paternitatibus clarius & intelligibilius innoteſcant, ſcripturam ſuper ea re confixam huic noſtre ſupplicacioni, exhortacioni & requiſicioni inſerenda duximus, cujus tenor ſequitur in hec verba:

Sacrum Generale Concilium Baſilienſe in Spiritu ſancto legitime congregatum univerſalem eccleſiam repreſentans, quam utique oratores ſereniſſimi Arragonum Regis, licet in ejus confe-

fectione principaliter non aſtitiſſent, cum magna attentione legentes & in extimabilem profectum eccleſie Dei ex contentis in ea euenturis veriſimiliter conſiderantes nomine Regio deuote acceptarunt, ac in eandem ſententiam cum alijs oratoribus conuenerunt, quatenus unanimi Regum ac principum catholicorum conſenſu, quorum oratores in preſenti concilio aſſunt, ſciſma hoc, quod oriri, incipit, quantocius fieri poterit, ſopiatur. Cernunt ergo veſtre Reuerendiſſime paternitates tam ex crebris & deuotiſſimis requiſicionibus retroactis, quam ex hac ſcriptura, que ultimo concepta eſt, cum quanta devocione & ſinceritate animi & fervore affectionis, quam ad eccleſiam gerunt, hij domini Reges & principes moveantur, cum non ſemel aut bis, ſed ſepiſſime inſtiterint, & inſtant, nec deſiſtere intendunt, donec pax optata per Dei miſericordiam concedatur. Nec abs re, nam cum in alijs ſciſmatibus per diuerſa ſecula temporibus occurentibus manus Imperiales & Regie ſepe juxta qualitatem cujuslibet ſciſmatis remedia ſalubria prebuerunt irracionabile nimium fuiſſet, ſi ſpiritus ſciſma, quando adhuc tenerum eſt, ſuccreſcere, & ad augmentum aſcendere, in magnum fidei & eccleſiaſtici ſtatus periculum ac animarum ſuarum, aliorumque fidelium detrimentum, Catholici principes juxta ſuam poſſibilitatem dimitterent. Sed nec antiqua exempla commemorare opus eſt, nec antiquis ſolum veſtigiis inherendum, cum adhuc ab oculis noſtris euanuiſſe non videtur, illud ultimum & inveteratum ſciſma,

quod

quod juxta aliquos hiſtoriographos viceſimum quartum in ſciſmatum numero fuit, per interpoſicionem glorioſe & indelibilis memorie domini *Sigismundi* Romanorum Imperatoris aliorumque Regum & principum magna cum eccleſie gloria in ſacra Conſtancienſi ſynodo, in qua copioſa omnium nacionum, prelatorum & aliorum doctiſſimorum virorum copia, & Regum & principum in ſollempnibus oratoribus conformis & conſentanea multitudo affuit, ſciſſum eſſe, depulſoque ſciſmate unionem reparatam fuiſſe. Supplicant igitur veſtris Reuerendiſſimis paternitatibus, idem domini Reges & principes exhortantur & requirunt per organum noſtrum, & nos per viſcera miſericordie domini noſtri *Jeſu Chriſti* humiliter ſupplicamus, exhortamur & requirimus nomine ſuo ea deuocione ac reuerencia, qua decet, quatenus hec media & vias ad pacem accomodas acceptare & amplecti. Et in quantum ad ſacrum concilium ſpectat execucioni demandare juxta ordinem ſupradictum dignentur, loca precipue, ut premittitur nominando infra tempus dierum XI. aliaque faciendo temporibus congruis, quæ in prefatis medijs continentur, ceſſandoque ipſo tractatu durante ab omni nouitate, per quam pacis tractatus impediri, ſeu differri, aut difficultari veriſimiliter valeat. Offerimus autem nos oratores prefatorum dominorum Regum Romanorum Francorum, Caſtelle, Arragonum ac principum Electorum, nec non ducis Mediolani nominibus, quibus ſupra nominacionem hanc per nos aut aliquos in-

timare prefato domino pape ac dominis Imperatori & patriarche Conſtantinopolitano, & omnibus poſſibilibus intendere, ut hec media & via ad effectum optatum adducantur. Quod ſi paternitates veſtre reuerendiſſime hoc explere dignabuntur, cauſam gratam Deo facient, & toti eccleſie, nec non auctoritatem ſacrorum conciliorum firmius ac integribilius conſeruant accomodam, donumque filiorum Dei conſequentur, & viri pacifici beatitudinis promiſſæ participes fient; alioquin ſi facere renuerint, ſeu diſtulerint, quod non arbitramur, & per hoc pax in eccleſia remorabitur, aut majorem difficultatem in tractando recipit prefatis dominis Regibus & principibus ac nobis nomine ſuo imputandum non erit, ſed quantum cum Deo poterunt, ea ad effectum perducent, que in ſcriptura ſupra inſerta, nec non intelligencia per dictorum dominorum oratores *Maguncie* concepta & concluſe pluribus patribus ac deputatis hujus ſacri concilij bene nota, oblata & tradita, ad quam nos referimus continentur, & alia quecunque honeſta & licita, que ad ſedanda ſciſmata & pacem eccleſiaſticam conſeruandam conferre videbuntur, prout a jure diuino & humano reperient, quatenus aliquid per eos non obmittatur ex hijs, per que pax in eccleſia valeat obtineri, ut una cum illis, qui pacem acceptare voluerunt, pacifici facti beatitudinem ore ſalvatoris promiſſam conſequi mereantur. Cum Regibus & principibus non minus cure eſſe debeat ea diſponere, que ſanctiſſime Dei eccleſie proſunt, quam proprie anime ſalus.

Per

Digitized by Google

Per hoc tamen nec ipſi Reges & principes nec nos nomine ſuo intendimus ſacrorum conciliorum aut apoſtolice ſedis auctoritati, juribus, preeminencijs in aliquo prejudicare; ſed in tanto diſſidio ac eccleſie diuiſione, in quantum licet & decet, ſe ad pacem & tranquillitatem conſeruandam interponere decreuerunt, Rogamusque prothonotarios &c.

XLI.

RESPONSIO FACTA PER AMBASSIATORES SACRI CONCILII GENERALIS BASILIENSIS IN NOREMBERGA, ET DATA AMBASSIATORIBVS DOMINI REGIS ROMANORVM ET ELECTORVM IMPERII.

Saluberrimum etenim videtur, ut in hijs, que exaltacionem fidei & auctoritatem univerſalis eccleſie continere videntur, enixius in cunctis ſtudiis circa fidelium deuocionem Veritas ſpirituali redoleat flore & ſit euigilans, & pax predicata labijs cum voluntate animi concordet. Hinc eſt, quod non longe his diebus preteritis propoſicione in pretorio preſentis ciuitatis coram Ambaſſiatoribus ſereniſſimi principis domini Regis Romanorum & illuſtrium principum ſacri Imperij Electorum ex parte ſacri concilij Baſilienſis uniuerſalem eccleſiam repreſentantis per oratores eiusdem ſacri concilij, videlicet Reuerendiſſimos

 in

in Chriſto patres dominum *Lodomarum* Patriarcham Aquilegenſem, *Georgium* Epiſcopum Vicenſem, Magiſtrum *Johannem de Segobia* ſacre Theologie profeſſorem ac dominum *Johannem de Bacbenſteyn* decretorum doctorem per organum dicti Epiſcopi Vicenſis facta non nulle peticiones alias dictorum oratorum ea parte in *Vienna* coram Regia celſitudine Imperiali domini Regis Romanorum expoſite de nouo fuerunt repetite, quibus peticionibus ſubſequenter eiusdem ſacri concilij oratoribus ſub forma ſequenti fuit reſponſum, prout in cedula.

Ut autem juxta dicte cedule ſeriem & contextum omnibus in ea contentis omni cum compendio ſatisfiat, ſuorum ad ordinem contentorum in eadem transferre curabimus. Dicunt enim in primis, quia inter prefatum ſacrum concilium Baſilienſe & dominum noſtrum papam *Eugenium* graues ſint diſcordie ſuſcitate, propter quas ipſe dominus noſter eciam pecunias, que inter alia petuntur, certis penalibus literis ſuis duxit arreſtandas aliaque mandata comminauerit, que multum aduerſantur peticionibus oblatis; Inter hæc adverſa fluctuantes ad certam proteſtationem factam in *Francfordia* confugierunt, cujus effectus ſacro Concilio non eſt ignotus, hinc primo in loco deducto præfatorum ſacri Concilij Baſilienſis oratorum ex parte fuit per organum prefati Epiſcopi Vicentini in preſencia omnium ſupradictorum & aliorum tam clericorum quam Laicorum ſic replicatum: Quod ad papam non ſpectat hujusmodi arreſtum mandare, qui ipſi ſubjectus eſt ſacro Conci-

Concilio Baſilienſi, univerſalem eccleſiam repre-ſentanti tam in vim decretorum Conciliorum Con-ſtancienſis & Senenſis, & in Concilio Baſilienſi re-novatorum, quam in vim ſubmiſſionis & adheſio-nis per eum ſacro Concilio Baſilienſi, per medium diuæ Memoriæ domini *Sigismundi* Romanorum Imperatoris facte, ac etiam in vim juris commu-nis & per conſequens in hijs de quibus agitur con-tra eum eſt inferior & eccleſia univerſalis eſt ſu-perior & major eo; cumque eccleſia univerſalis *Baſilee* repreſentata pro Grecorum reductione in-dulgentias conceſſerit, que de theſauro eccleſie procedunt, non licuit pape, illarum execucionem impedire, & tali mandato nullatenus eſt obtempe-randum, quinymmo eſt nullum, ut pote factum ab inferiori & ab illo qui nullum habet ſuper pre-miſſis in eam curren̄ti poteſtatem, cum lex ſupe-rioris per inferiorem tolli non poſſit, & inferior ſuperiorem ligare non poteſt nec abſolvere; præ-ſertim cum hujusmodi arreſtum & cetera eius mandata per ſanctam ſynodum Baſilienſem uniuer-ſalem eccleſiam repreſentantem fuerit & fuerint caſſatum & caſſata, & nullum nunciatum ſeu nun-ciata Aſſertum enim mandatum, de quo paulo ante dictum eſt, per eundem fieri non potuit, nec ei eſt obediendum, quia ex hujusmodi mandato ve-hementer preſumitur ſtatus eccleſie turbari, vel forte etiam alia mala ventura eſſe & tum peccat quiuis obediendo pape etiam ab adminiſtratione non ſuſpenſo quia papa debet futura mala preca-uere, non juuare. Ceterum dicta proteſtatio neu-

trali-

tralitatem continere videtur, & ita tenor proteſtacionis oſtendit, nec non & contextus cedule ſupradicta in ea parte, dum dicunt, ſe ab omni partialitate propter bonum pacis & concordie velle abſtinere. Hic autem neutralitas nullatenus tolerari poteſt absque tocius eccleſie triumphantis & militantis ac fidei Catholice offenſa, quo attento, qui non eſt niſi unus, qui preſideat in papatu, opus de neceſſitate ſalutis fateri, quod ſi eccleſia non eſt *Ferrarie*, ſicuti in ueritate non eſt, cum ſit conuentienlum hereticorum, & ſcismaticorum, & non concilium ſed conciliabolum debet appellari, ut in propoſitione publica, hec & alia per dictum Epiſcopum lucidenter fuerunt deducta, ut ſit in *Baſilea*, ubi concilium generale univerſalem repreſentans auctoritate duorum Romanorum pontificum, videlicet felicis recordationis domini *Martini* & domini *Eugenii* pape moderni extitit legitimum conuocatum, que eccleſia non poteſt dici niſi una, alias ſi Baſilee eccleſia univerſalis non dicatur repreſentata, neceſſe erit dare aliam eccleſiam, quod cum deviat a fide, & ſic deficeret fides eccleſie que usque ad finem ſeculi durabit, quia Chriſtus oravit pro illa dicens *Petro:* pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & non ſolum pro *Petro*, quam pro tota univerſali eccleſia dicitur oraſſe, eccleſiam noluit derelinquere ex quo concilium generale legitime *Baſilee* fuit congregatum. Verum eſt dicere univerſalem eccleſiam fuiſſe & eſſe ibi repreſentatum, ſi illi non obediatur, ejusque decreta non obſeruentur, reſultabit, ec-

cleſiam

Digitized by Google

cleſiam uniuerſalem potuiſſe errare & erraſſe, quod cum a fidei Catholice veritate dinoſcitur exorbitare, quia tota eccleſia congregata errare non poteſt, & qui dixerit univerſalem eccleſiam Catholicam congregatam errare, hereticus eſt cenſendus, quia illud eſt facere verbum Chriſti mendax, verbum enim domini validum ſtat ſemper & firmum, dixit inſuper vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſeculi. Porro proteſtatio dictorum electorum, qui proteſtantur auctoritate univerſalis eccleſie & conciliorum generalium, ſe uelle manutenere & obſervare, non juuat eosdem quia proteſtatio contraria facto dinoſcitur euidenter dum ſimpliciter peticionibus ſupradictis otemperare formidant, unde attento quod univerſalis eccleſia eſt *Baſilee* legitime repreſentata, ut ſupra dictum eſt, de neceſſitate ſalutis illi eſt obediendum, quia due eccleſiæ non poſſunt eſſe, & neceſſe eſt, ut una ſit eccleſia, que in Apoſtolicis ſedibus & ſucceſſione Epiſcoporum dinoſcitur eſſe fundata, cum illi ſucceſſores Apoſtolorum eſſe dicuntur; Unde pro patribus tuis nati ſunt tibi filij unum conſtat eſſe eccleſiam, que Chriſti corpus eſt, qui in duo diuidi non poteſt, prout hic & alia in propoſitione publica per organum dicti Epiſcopi fuere extenſius declarata, per maxime cum idem Rex Romanorum adheſerit ante aſſumpcionem ad culmen Imperiale Concilio Baſilienſi & ſubſequenter adheſerit & adheret, ut deuotus Eccleſie filius & Advocatus & defenſor de preſenti adheret, & ceteri illuſtres principes Electores & alii

alii Reges & principes ſacro Concilio Baſilienſi firmiter incorporati & illi adheſerunt ac ipſi & omnes Catholici de neceſſitate ſalutis illi univerſalem Eccleſiam repreſentanti obedire tenentur. Et ſic non licet neque licuit ab obedientia univerſalis Eccleſie *Baſilee* repreſentate reſilire alias contrarium facientes meruerint penas contra illos ſtatutas, qui ab unitate univerſalis Eccleſie recedere videntur. Arbitrantur tamen oratores ſacri Concilii, quod domini Electores, qui illam poteſtatem fecerunt, bono Zelo, tunc fuerunt ad illam fiendam ab initio moti, non ad effectum, ut ab obedientia univerſalis Eccleſie, *Baſilee* legitime repreſentate recedere deberent, cum hoc fidei repugnaret, ſed cum illa in ſe ipſa non poſſit obſervari, neque practicari non videtur tenenda, minus obſervanda rurſus fundamentum nullum recuperat, id quod in eadem cedula continetur, videtur videlicet, qualiter propter tractatum pacis & concordie quam diligentiſſime proſequi intendunt, unam conventionem indicere intendunt, illamque ſacro Concilio Baſilienſi, ac domino noſtro *Eugenio* pape denunciare, quatenus ad illam cum plena poteſtate transmittant legatos atque nuncios ubi parati ſunt, velut ad Catholicos & Orthodoxos ac fideles ſanctæ matris Eccleſie omnia ſalubria media aperire, per que hujusmodi materie diſcordia poſſit amputari ſciſſureque in Dei Eccleſia preueniri. Hijs omnibus reſpondetur, quod hec convencio nullatenus eſt indicenda ad effectum, ut de cauſis in concilio Baſilienſi contra papam introdu-

ctis

ctis debeat extra concilium aliquid quouis queſito colore coram domino Rege Romanorum & Electoribus ſacri Imperij agitari. Quin nec domino Regi Romanorum, nec dominis ſacri Imperij Electoribus talem conuencionem ad effectum perducere eſt permiſſum; quinymmo tam lege diuina quam humana hoc prohibitum videtur. Unde conſiderato quod Eccleſia univerſalis eſt legitime congregata, non licet pape pretenſam oblacionem in premiſſa cedula contentam facere, qui male ſentit de univerſali Eccleſia, qui derelicto judicio Eccleſiaſtico ſecularium Auxilium poſtulat, & inuocat, & id nichil aliud videtur eſſe, niſi ex toto elidere auctoritatem uniuerſalis Eccleſie & ſacrorum Conciliorum generalium, cum de cetero quilibet papa videns Concilium adverſus eum in hijs, in quibus univerſali Eccleſie eſt ſubjectus, congregatum quadam brevi via ad Reges & principes recurſum haberet verum, quilibet offerret, ſe velle audiri, & ſic auctoritas univerſalis Eccleſie prorſus deluderetur, quod tamen fieri nec racio nec equitas compaciuntur, quinymmo exhorbitavit a lege diuina & humana, oblacio, per papam facta, videtur, ut euadat judicium Concilij, cui eſt ſubjectus & ſic, quia de juſticia diffidit, illud ſubterfugere videtur. Unde ubi contra papam agitur ad Imperatorem, & ſacri Imperii Electores ac ad alios dominos temporales non poteſt haberi recurſus quia ſi mutari volumus doctrinam Imperatorum Catholicorum, qui hactenus fuerunt, experiemur hujusmodi conuocacio-

nes

nes coram Imperatore & ſecularibus, in concernentibus Romanum pontificem ſeu Eccleſiam aut Eccleſiaſticos viros omnino tam lege divina, quam humana eſſe prohibitos & illicitos de *Conſtantino* etenim fideliſſimi Romanorum Imperatore teſtatur Hiſtoria Eccleſiaſtica, quod cum libellus, accuſacionem Epiſcoporum continens, fuiſſet ſibi oblatus, illos Epiſcopos convocans dictum libellum igne concremauit, & ait; Ite, inter vos omnes diſponite cauſas veſtras, quoniam non eſt juſtum, ut judicemus Deos; Item cum conſpicerem querelas clericorum ad me eſſe deferendas, ait; a nemine vos debere judicari, cum illorum cauſa ad ſolius Dei Judicium fuerunt reſervate ſuſpiciatur, quid actum fuit tempore *Sixti* pape, qui de crimine extra Concilium accuſabatur, & fuit habitus recurſus per eum ad *Valentinianum* Auguſtum Imperatorem, dictus Imperator de hujusmodi cauſa noluit ſe intromittere, ſed vice dicti *Sixti* pape idem Imperator Concilium contra papam fecit, & ibi in preſencia tocius Concilii cauſa contra papam fuit examinata, & ad tollendam ſuſpicionem, licet taliter evadere potuiſſet coram omnibus ſe purgauit, ſi igitur cauſa accuſacionis ſeu denunciacionis contra papam extra Concilium introducta, eſt in Concilio de novo introducenda; quanto magis in Concilio generali contra dominum noſtrum *Eugenium* introducta videlicet tam in Cauſa fidei cum debeat ab illo articulo, & unam ſanctam & apoſtolicam Eccleſiam, quam eciam in criminibus de quibus apud bonos & graves

yes

Digitized by Google

ves notorie diſſamatus eſt, & ſtatus univerſalis Eccleſie ſcandalizatur, & eſt incorrigibilis nec non in alijs reformacionibus Eccleſie tam in capite quam in membris concernentibus eſt penitus in concilio remanenda, & extra concilium non eſt coram domino Rege Romanorum & ſacri Imperii electoribus pertractanda, quin in eloquio divino ſacerdotes Dij & Angeli appellantur, merito dominus Rex Romanorum & alii ſupradicti ignari debent eos ſic honorare, cum ipſe Deus aut Deos aut Angelos in ſuo eloquio illos appellat & ideo cum temporibus antiquis *Mauritius* Imperator cogeret & vellet clericos coram ſe facere evocari & illos ſub ſe reſpondere; Beatus *Gregorius* per rationes ſuperius deductas hujusmodi conuencionem improbans, ſcripſit ſibi, ut ab hujusmodi convencione ceſſaret, & ita ceſſavit. pariter de *Simaco* papa accuſatio legitur; quod cum *Theodoſius* Rex Concilium Epiſcoporum feciſſet convocari, fuit ſibi reſponſum, ad eum hujusmodi convencionem non ſpectare & dictus Rex, Deo inſpirante, reſpondit ſinodalis arbitrii in tanto negocio ſentenciam eſſe ſequendam, nec ad ſe aliquid preter reverenciam de negocio eccleſiaſtico pertinere. Item de beato *Gregorio* legitur, quod voluit ſe excuſare & purgare non coram Imperatore & Laico ſed ſolum in judicio Eccleſiaſtico. ſimiliter legitur de *Leone* papa, qui coram Eccleſiaſticis voluit ſe purgare. Pari modo refert *Jheronimus* in libro virorum illuſtrium cum *Damaſus* papa a ſubditis de adulterio accuſatus cum LX duobus Epiſcopis ſe

expurgavit ſimiliter eciam legitur quod cum tempore Divi *Valeriani* & *Maximiniani* Auguſtorum *Marcellinus* Epiſcopus urbis *Rome* de ydololatria fuerat accuſatus & diffamatus, cujus rei gracia concilium univerſorum Epiſcoporum fuit collectum, & in concilio cauſa ſua fuit terminata; præfati autem Imperatores de hujusmodi cauſa noluerunt ſe intromittere, ſed judicio concilij relinquerunt; Non ergo licuit, neque licet Imperatori & dominis Electoribus de negocijs concilij ſeu ecçleſiaſticarum perſonarum aliquid diſponere poſſe. Unde ad ſacerdotes, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, voluit dominus pertinere, non ad ſecularem poteſtatem; qui, ſi eccleſie ſue fideles eſſe volunt, ſacerdotibus voluit eſſe ſubjectos. Illa ergo, quæ contra papam ſunt pertractanda, intus concilium, & non extra illud ſunt omnino agenda, & ſic iſta conuencio de nouo ad effectum ſupra dictum indicenda eſſet inutilis, & infructuoſa. Ac talis, que a lege diuina & humana exorbitare videtur. ubi enim papa cupiat ſuam juſticiam & innocentiam oſtendere ac audiri, perſonaliter ad concilium veniat, cui omnino eſt ſubjectus, aut ſuos legatos transmittat, quamvis de oblatione ſua per eum facta nullatenus confidendum exiſtat, ex transacta inde vita didicimus, quid de ſubſequenti ſua conſtitucione preſumatur ex prius actis & neglectis conſtabit, & nunc negligere velle ſemel diſſolucionem concilij Baſilienſis, & translacionem in *Bononiam* de facto factam revocauit, & ſacro concilio Baſilienſi adheſit, & non obſtantibus di-

ctis

ctis reuocatione & adheſione nouiſſime diſſolutionem prefati ſacri concilij contra omnimodam, legis diuine & humane diſpoſicionem in *Ferraria* conciliabolum erigendum attemptare, quantum in eo fuit, nunc dubitauit de oblacionibus eius, non eſt aliquatenus ſperandum, cum ex preteritis preſumatur circa futura, nec poteſt affirmari, quod univerſalis eccleſia *Baſilee* repreſentata tractatum pacis cum domino noſtro papa hactenus confutaverit, quin eciam varie pie matris exhortacionibus, admonicionibus & requiſitionibus diverſis in temporibus admonuit, exhortata eſt eundem, & ipſum longo tempore, & fere per ſpacium ſeptem annorum expectauit, ut ſe conformaret doctrine eccleſie univerſalis congregate, & illius decretis vellet omnino parere; tandem imitando doctrinam Chriſti, qui inuitatos diucius expectauit, & expectatos coegit intrare, eciam coegit *Paulum*, quare mater Eccleſia non cogeret dominum noſtrum papam *Eugenium* a doctrinis & regulis uniuerſalis eccleſie deuiantem, ne ulterius poſſit eſſe perdicio plurimorum. *Paulus* reſtitit *Petro* in faciem, merito tota eccleſia ipſum regere poteſt ad ſalutem, ne ſtatus uniuerſalis Eccleſiæ, preſertim in hijs, que reformacionem morum in capite & in membris reſpicere noſcuntur, confundatur. Nec perſecucionem facit mater Eccleſia, que malos cogit ad bonum. In concilio enim augetur in jure ſuo, extra autem Concilium ipſum debere audiri, auctoritates legis diuine & humane prohibent euidenter. Quamuis audientia eſſet eidem

deneganda, quia novum altare ſeu conciliabolum ferrarienſe erexit, & primo & ſecundo ac tercio ab eccleſia univerſali vocatus obedire contempſit, & ſic ſe ipſum deſtituit, & ſuum honorem perdidit, adeo quod audienciam non mereatur habere, prout in Calſidonenſi Concilio fuit determinatum. Nulla lege reperitur permiſſum, quod cauſa fidei contra papam extra Concilium ſit examinanda, preſertim coram laicis ſeu Imperatore; unde de crimine hereſis ſeculares poteſtates, cum ſit crimen eccleſiaſticum nullatenus, prout cognoſcitur, nec ſentenciam aut proceſſum impedire, aut in negocio fidei aliqualiter ſe opponere, ut illum impedit, aut retardant. Quod ſi contrarium fecerint, ſentenciam excommunicacionis ipſo facto incurrunt, in qua ſi per annum permanſerint cauſa, quaſi heretici ſunt condempnandi. Inde dicebat *Nicolaus* papa, ubi non legiſtis, Imperatores anteceſſores veſtros ſinodalibus conuentibus interfuiſſe, niſi forſitan, in quibus de fide tractatum eſt, que univerſalis eſt, que omnium communis eſt, que non ſolum ad religioſos, verum eciam ad Laicos, & ad omnes omino pertinet Chriſtianos; & ideo in ſeptima actione Calſidonenſis concilij *Marcus* Imperator dixit inter cetera: Nos ad fidem confirmandam, non ad potenciam oſtendendam exemplo religioſiſſimi principis *Conſtantini* ſinodo intereſſe volumus. Inſuper eſt conſiderandum, quod ſancta ſinodus Baſilienſis nunquam refutavit tractatum pacis; ſed papa eſt ille, qui preparat viam ad impediendum omnem tractatum

pacis,

Digitized by Google

pacis, licet exquiſito colore indirecte videatur, illum introducere velle, ſed ad alium effectum intendit, niſi ut elidatur auctoritas univerſalis eccleſie *Baſilee* legitime repreſentate. Qua enim fronte, aut quo jure poteſt procurare per medium domini Regis Romanorum, & electorum ſacri Imperij in alio loco extra concilium audiri, ſuam pretenſam juſticiam & innocenciam oſtendendo, profecto hoc non videtur, quia ipſe ille eſt, qui a notorio ſcindit eccleſiam, ſciſma notorium faciendo, dum illud conuenticulum Ferrarienſe niſus eſt erexiſſe. Inauditum enim eſt, ut duo Concilia dicantur eſſe, uno in papatu preſidente; illud eſt duas eccleſias conſtituere, quod deuiat a fide, cum non ſit, niſi una Eccleſia. Quouſque ergo iſtud ſciſma per papam introductum ex toto tollatur, prefatum conciliabolum radicitus eneruando, & quod unicum reputetur concilium univerſalem eccleſiam repreſentans ſolum & duntaxat eſſe dicatur, quale eſt concilium Baſilienſe legitime congregatum, & quod papa dictum conuenticulum, quatenus de facto proceſſit, reuocet, & annullet, licet per ſacrum concilium Baſilienſe fuerit caſſatum & annullatum, & ut ſancte ſinodo Baſilienſi adhereat, ſi hijs pretermiſſis aliquis tractatus pacis per quoſuis introducatur, nihil aliud erit, niſi ſciſma introductum per papam validare & approbare. Hec enim tolerari nullatenus poſſunt ſine offenſa divine majeſtatis ac leſione eccleſie militantis *Baſilee* repreſentate. Huic ergo morbo peſtifero ante omnia eſt celeriter prouidendum.

Ubi enim papa adheſerit ſacro concilio Baſilienſi, prout tenetur, tunc ſciſma predictum erit abolitum & remotum, quo pacto erit diſpoſitio introducendi tractatus pacis, & non ante. Et dominus Rex Romanorum ac Electores infra Concilium debent illos introducere, & non extra, & ſacrum Concilium more pie matris libenter omnia audit, ſalua in omnibus auctoritate univerſalis eccleſie in Concilio Baſilienſe repreſentate. Ex premiſſis omnibus ſingulis liquidum eſt, videre, hujusmodi conuencionem eſſe penitus ad Effectum predictum rejiciendam & per conſequens prefati oratores ſacri concilij Baſilienſis illam non admittunt, poſtulant, non debere indici, cum hoc cedat ad laudem Dei, & honorem uniuerſalis eccleſie, & de contrario timent oriri ſcandala & ſciſſure, quia fruſtra eſt expectare, quod expectatum non prodeſt, ad quid occupare fruſtra membranas velle audire legatos pape, cum nil ibi poſſit ſtatui, quod derogare valeat auctoritati univerſalis eccleſie Baſilee legitime repreſentate. Nihil aliud reſultaret, niſi circuitus, qui omnino eſt vitandus; ſuper eo autem, quod ab oratoribus ſacri concilij Baſilienſis reſponſum ſuper petitis in concilio Baſilienſi per ſacri Imperij electorum ambaſiatores poſtulatur, ex parte oratorum ſacri Concilij dicitur, ipſos non habere poteſtatem talem Reſponſionem dandi, cum eisdem ſit abdicata poteſtas, illud faciendi niſi per prius obtinuerint reſponſionem ſuper peticionibus in *Vienna* coram Regia celſitudine oblatis. Cum itaque usquequoque eisdem

dem oratoribus ex parte Regie celſitudinis, aut per ambaſiatores Electorum non fuit factum Reſponſum, cum allegetur nunc in ſecunda eorum peticione ſupra dictam inſertam cedulam reſponſione nobis verbo facta, ipſos adhoc non habere poteſtatem, auctoritate ijdem ambaſiatores ſacri Concilij reſponſum poſtulatum referre non poſſunt ex defectu poteſtatis, permaxime ex inſtructionibus ijdem ambaſiatores aſtricti exiſtant omnibus electoribus. aut uni ex illis, quorum nullus prius exiſtit facere reſponſum. Requirentes vos omnes dominos ambaſiatores ſereniſſimi domini Regis Romanorum & electorum ſacri Imperij & ipſos illuſtres electores, ut hujusmodi proteſtacionem ac neutralitatem e ueſtigio reuocetis, illisque nullatenus adhereatis, quinymo ab illarum obſervacione omnino abſtineatis, ſi ſciſſuram in dei eccleſia cupitis euitare, quam per viam proteſtacionis & neutralitatis ac conuencionis ſupradictarum videbitis contingere; Vosque in omnibus taliter habentes, ut decreta ſacri concilii Baſilienſis per vos omnes inuiolabiliter obſeruentur, & per alios, quantum in vos ſpectaverit faciatis inuiolabiliter obſervari, taliter, ut auctoritas univerſalis eccleſie Baſilee repreſentate illibata obſeruetur, illique prorſus obediatis & adhereatis, prout de neceſſitate ſalutis aſtringimur, obedire, & omnia decreta ſic pro reformacione eccleſie in capite & in membris per ſanctam ſynodum Baſilienſem univerſalem eccleſiam repreſentantem edita more Chriſtianiſſimi *Conſtantini* Romanorum Imperatoris,

ris, qui ſentencias, quas in Nicena ſinodo approbatas audiuit, ita veneratus eſt, ac ſi eas de divine majeſtatis ſenſiſſet emanaſſe judicio. *preſertim* Itaque & vos veneremini hujusmodi decreta, ac ſi ea ſenſiſſetis, de diuine majeſtatis emanaſſe judicio, preſertim illud ſuper exactione pecuniarum ex indulgencijs proueniencium & ſpecialiter ciuibus Avenionenſibus abnegatarum editum, cujus vigore omnes impedientes dictam exactionem perturbantes aut detinentes ſunt excommunicati, & ſacrilegi reputandi. Et ideo inquiebat *Amatheus* papa qui abſtulerit patri & matri aliquid, particeps homicidij eſt, pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit, Mater vero noſtra ecclesia eſt, que nos in baptiſmo regenerauit; ergo qui Chriſti & ecclesie pecunias recipit, aufert, & fraudat, homicida eſt. cum itaque pecunie hujusmodi indulgenciarum ex ſanguine Chriſti & matris procedant, & ſit theſaurus in ſcrinio ecclesie reconditus, quem eciam aperit & communicat, cui uult, merito conſtet hujusmodi pecunias eſſe Chriſti & ecclesie, & ſic per aliquem non debent impediri, neque tolli, cum pro expenſis pro reductione Grecorum fiendis fuerunt ipſe indulgencie conceſſe; quamuis diligenter intuendum videatur, inuictiſſimum principem dominum Romanorum Regem ad fidei exaltationem & hujusmodi uniuerſalis celſitudinis aſſumptionem fuiſſe ecclesie deuotum filium, ut non longe progrediamur, pro extirpacione illius ſecte Bohemice, in Bohemie Regno actenus ſuborte conatus ſui ex eminencia celſi-

Digitized by Google

celſitudinis ipſo Duce Auſtrie & Marchione Moravie exiſtente dejurarunt evidenter, quanto autem magis hodierno in tempore preſumendum de eodem omnino exiſtat, qui ut Rex Romanorum catholicus eſt eccleſie filius & imo preſul & advocatus eccleſie ſeu defenſor, & poſt ſuam ad Imperialem celſitudinem aſſumtionem opera ejus indicarunt, qui illam bullam auream & ſalvum conductum per Dominum *Sigismundum* Romanorum Imperatorem conceſſam & conceſſum, more devoti filij, qui ſolet ſimilis eſſe patri, ab aperto approbauit, & confirmauit, promiſit etenim dominus *Sigismundus* concilio ſemper adherere, prout de facto adherebat, & promiſit ſemper adherere, quam diu duraret, & continuatum fuerit concilium Baſilienſe, promiſit ſe facturum, & non fieri permittere, quod ſit, vel eſſe poſſit directe, vel indirecte contra ipſius ſacri concilij auctoritatem & libertatem ſeu impedimentum actorum in eodem, vel agendorum in futurum, quoad ea, propter que eſt conuocatum. Requirentes in fine Reſponſionis per dictos ambaſiatores domini Regis Romanorum & electorum inſeri & continuari & publicum inſtrumentum exinde confici.

Lecta in generali congregacione per me Thomam Theſuelon die Veneris XXVII^{va}. Novembris 1438.

XLII.

INSTRVMENTVM ACCEPTATIONIS DECRETORVM CONCILII BASILIENSIS MOGVNTIÆ PER PRINCIPES ALMANIÆ FACTÆ.

In Nomine Domini Amen. Anno a Nativitate ejusdem Milleſimo quadringenteſimo triceſimo Nono, Indictione ſecunda, Die vero Jovis viceſima ſexta menſis Martij, hora veſperorum vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini *Eugenij* divina providentia Papæ *Quarti* Anno nono, In noſtrum Notariorum Publicorum & teſtium infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum preſencia perſonaliter conſtituti Reverendiſſimi in Chriſto Patres, nec non Venerabiles & circumſpecti viri Domini Domini *Leonardus* Pataviensis & *Petrus* Auguſtenſis Epiſcopi, *Joannes* Abbas *Beate Marie* Scotorum in *Wienna* ſancti *Benedicti*, *Georgius* Prepoſitus ſancte *Marie* Virginis in *Nuenburg* ſancti *Auguſtini* ordinum Canonicorum Regularium Monaſteriorum Pataviensis Dioceſis, *Georgius Fiſchlin* miles & *Johannes de Eich* utriusque juris Doctores & *Theodericus Ebbracht* Canonicus Aſchaffenburgenſis Glorioſiſſimi & Invictiſſimi Principis & Domini noſtri Domini *Alberti* Romanorum Regis ſemper Auguſti ac *Hungarie*, *Bohemie*, *Dalamatie*, *Croatie &c.* Regis & Ducis *Auſtrie*, *Lucemburge* &c. Ambaſiatores & oratores, Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Illuſtriſſimi Principes & Domini Domini

Theo-

Theodericus ſancte Maguntine ſedis & *Theodericus* ſancte Colonienſis Eccleſie Archiepiſcopi, ſacri Imperii per Germaniam & Italiam Archi-Cancellarij & Principes Electores, Nec non Venerabiles & Egregij Domini *Andreas de Lapide*, *Rutgerus de Lucemburgo* in ſacra pagina Majoris & *Hugo* Dorre utriusque juris Doctores ſancti *Germani* extra muros Spirenſis Eccleſiarum Canonici, Reverendiſſimi in Chriſto Patris Illuſtriſſimique Principis & Domini Dñi *Rabbani* ſancte Treverenſis Eccleſie Archiepiscopi dicti Imperii per Galliam & regnum Arelatenſe Archi-Cancellarij & Principis Electoris Venerandi Domini *Gaſpar de Schonenberg* Decanus Misnenſis, *Otto de lapide* Canonicus Wormatienſis Decretorum Doctores & ſpectabilis ac Egregius *Widekindus de Lo* miles, Illuſtriſſimorum Principum & Dominorum Dominorum *Ludovici* Comitis Palatini Reni, Bavarie Ducis Archi Dapiferi & *Frederici* Saxonie Ducis Archi Mareſcalli &c. Sacri Imperij Principum Electorum *Johannes Duſter* Licentiatus in Decretis Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini *Johannis* Saltzburgenſis ſancte ſedis Apoſtolice Legati & *Henricus* *Toke* ſacre Theologie Profeſſor, Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini *Guntheri* Magdeburgenſis Archiepiscoporum ambaſiatores, oratores & Procuratores aſſerentes ſe & quemlibet ipſorum ad infra ſcripta habere ſpecialiter in mandatis, quandam Papiri cedulam Capitulorum circa acceptationem Decretorum ſacroſancti generalis Baſilienſis jam ſtantis Concilij univerſalem Eccleſiam repræſentantis ipſis per

Reve-

Reverendiſſimum ac Reverendos in Chriſto Patres & Dominos Dominos *Ludovicum* Patriarcham Aquilegienſem, *Georgium* Vicenſem & *Joannem* Argenſem Epiſcopos, ceterosque alios venerandos Doctores & Magiſtros dicti ſacri Baſilienſis Concilij oratores ſub ejusdem Sacri Concilij Bulla plumbea impendente in hoc loco dicti Concilij parte pridem ut aſſeruerunt publice & ſolempniter exhibita, oblata & preſentata per certos ſuos ad hoc deputatos conceptam & in medium productam per prefatum Dominum *Theodericum Ebbracht* aule Romane Regie prothonotarium de verbo ad verbum publice legi mandarunt & fecerunt, cujus quidem cedule, lecte tenor ſequitur in hunc modum: Nos oratores Romani Regij Principes Electores hic preſentes aliorumque Electorum ſacri Imperij & Almanie Metropolitanorum abſentium Oratores Decreta ſacri Baſilienſis Concilij acceptamus cum omni honore, reverentia & devotione, qua decet, ſalvis tamen in quibusdam ex eis declarationibus, modificationibus & limitationibus noſtre Germanice Nationi ac cuilibet noſtrorum ſingulariter in ſuis provincijs, Diocefibus ſeu territorijs congruentibus & accomodis factis & fiendis ſuis loco & tempore oportuno exprimendis ac per ſacrum Concilium Decretandis. Decretum tamen ſuſpenſionis ſanctiſſimi Domini noſtri Pape & aliorum que illam ſuſpenſionem concernunt vel quomodolibet reſpiciunt pro preſenti non acceptamus, ſed & circa illud & alia certa dicti ſacri Concilij decreta ſtare volumus in prioribus noſtris & natio-

nis

nis noſtre Germanice proteſtationibus pridem factis nec ab illis recedere, donec aliter duxerimus deliberandum, de quo ſolempniter proteſtamur. Et primo Decretum per ſacrum Conſtancienſe Concilium factum & per ſacrum Baſilienſe Concilium renovatum de auctoritate & poteſtate ſacrorum generalium Conciliorum temporibusque & modis eadem convocandi & celebrandi, quod eſt *prime ſeſſionis & incipit: Frequens Generalium Conciliorum celebratio agri Dominici precipua cultura eſt &c.* (1) Item Decretum de Electionibus *duodecime ſeſſionis, quod incipit: ſicut in conſtruenda domo precipua eſt architectoris cura &c.* (2) Sed quia lex ſic clare condi non poteſt, quin aliquam poſſit recipere dubitationem, petimus, quatenus ſacrum Concilium declarare dignetur, quod Electiones Pontificum & Abbatum fiant ſervata forma in hoc decreto tradita, quodque in ceteris inferioribus dignitatibus electivis quibuscunque ſufficiat modus & forma juramenti in eodem decreto expreſſi; ceterum ſtatuere dignetur ſacrum Concilium, quod promovendus per Papam ſecundum quandam clauſulam hujus Decreti, que incipit: *niſi ex magna &c.* remittatur conſecrandus aut benedicendus ad ſuum ſuperiorem immediatum, niſi forſan talis promovendus fuerit preſens in Romana curia, quo caſu nichilominus remittatur, ut hujusmodi ſuo immediate ſuperiori preſtet debitum juramentum; Quodque etiam confirmatio Electionum fiat per immediatum ſuperiorem, ad quem ſpectat jus confirmandi, & ſi ipſe ſine cauſa rationabili confirma-

re

re diſtulerit, ſeu recuſaverit, mediatus ſuperior deſuper adiri poterit. Inſuper, quodſi etiam contingat proviſionem per ſacrum Concilium Domino Pape non fieri, nichilominus electiones ſecundum formam hujus decreti & ſupra declaratam valeant fieri & robur obtineant; nec propterea, quod ſibi per ſacrum Concilium proviſum non fuerit, quovis modo valeant impediri. Item *Decretum quinte decime ſeſſionis de Concilijs ſinodalibus & provincialibus obſervandis*, *quod incipit: Pridem hec ſancta ſinodus quoddam &c.* (3) Item *Decretum Decime none ſeſſionis de judeis & Neophytis*, *quod incipit: ſalvatoris noſtri Jheſu Chriſti ſequens veſtigia &c.* (4) Item *omnia* ſaluberrima *Decreta viceſime ſeſſionis*, quorum *primum* diſponit *de publicis Concubinariis* & incipit: *Quicunque Clericus cujuſcunque &c.* (5) *ſecundum: de modo communicandi hijs, qui dicuntur excommunicati, ſuſpenſi vel interdicti* & incipit: *Ad vitanda ſcandala &c.* (6) *Tertium: de modo & forma ponendi interdictum in loco & divina reſumendi*, & incipit: *Quoniam ex indiſcreta &c.* (7) *Quartum: de modo appellandi vel non appellandi ante ſententiam* & incipit: *Ut lites citius terminentur;* (8) ſimiliter *omnia decreta viceſime prime ſeſſionis*, quorum *primum tollit Annatas;* (9) circa hoc tamen dignetur ſacrum Concilium declarare, quod non intendit per hoc decretum prohibere, quin licite exigatur & ſolvatur, ſi quid tempore receptionis beneficiati ſolitum ſit ſolvi fabricæ, aut pro ornamentis Eccleſie, vel ſimili caſu, ad uſum tamen divini cultus, & non ad privatum commodum perſona-

ſonarum convertendum. *Secundum Decretum viceſime prime ſeſſionis* diſponit *de pacificis poſſeſſoribus non moleſtandis* & incipit: *Quicunque non violentus &c.* (10) *Tertium* docet: *quomodo divinum officium in Eccleſia ſit celebrandum* & incipit: *ſi quis Principem ſeculi &c.* (11) *Quartum* oſtendit *quo tempore quisque debet eſſe in choro* & incipit: *Qui in matutinis &c.* (12) *Quintum*: *Qualiter extra chorum hore canonice ſunt dicende* & incipit: *Quoscumque &c.* (13) *Sextum de hijs, qui tempore divinorum vagantur per Eccleſiam* & incipit: *Quicunque in Eccleſia &c.* (14) *Septimum, quod tabula pendeat in choro* & incipit: *Ut cuncta in Domo Dei ordinate &c.* (15) *Octavum, quod in Miſſa compleatur Credo & quod non baſſe legatur miſſa* & incipit: *Abuſum aliquarum Eccleſiarum &c.* (16) *Nonum de pignorantibus cultum divinum* & incipit: *Abuſum etiam illum cultui divino &c.* (17) *Decimum, de capitulis tempore Miſſe non tenendis* & incipit: *Prohibet hec ſancta ſinodus &c.* (18) *Undecimum de ſpectaculis in Eccleſia non faciendis* & incipit: *Turpem etiam illum &c.* (19) Similiter Decretum *de numero & qualitate Cardinalium, de quo in viceſima tertia ſeſſione,* & incipit: *Cum ſummo Pontifici.* (20) Item *Decretum ejusdem viceſime tertie ſeſſionis de Electione caſſanda, ex qua turbari poſſet Eccleſia,* & incipit: *Dudum hec ſancta ſinodus.* (21) Item *Decretum ejusdem ſeſſionis per quod Reſervationes tolluntur* & incipit: *Et quia multiplices &c.* (22) circa hoc tamen dignetur ſacrum Concilium jus commune renovare, quod Papa hujusmodi beneficia in dicto Decreto ſibi reſervata conferat infra ſpatium unius Menſis, alioquin

quin Ordinarij conferre valeant, quodque proviſi a Papa infra quatuor menſes Ordinarijs ſuam proviſionem ſub pena amiſſionis juris inſinuare debeant. Item *Decretum ejusdem ſeſſionis tollens clementinam litteris de probationibus*, & incipit: *Licet in Apoſtolicis &c.* (23) Inſuper *Decretum Triceſime ſeſſionis de Communione ſacramenti Eukariſtie* & incipit: *Ut lucidius videatur*, *pro declaratione &c.* (24) Item *Decretum de collationibus beneficiorum in triceſima prima ſeſſione* & incipit: *Placuit Divine pietati:* (25) *cum alijs Decretis de qualificationibus & ordine promovendorum loquentibus;* (26) ſupplicatur tamen ſacro Concilio, ut declarare dignetur, quod vigore horum Decretorum non intendit tollere inferioribus ordinarijs tempus Lateranenſis Concilij, quodque ante ipſius lapſum non habeat locum preventio; Ceterum, quod in natione noſtra in gratijs, quas Dominus noſter Papa adhuc facere habet, preferatur Theutonicus non Theutonico in Eccleſia Theutonicali, preſertim Parochiali. Similiter Decretum ultimum triceſime prime ſeſſionis diſponens de cauſis & de appellationibus, quod incipit: Eccleſiaſtice ſollicitudinis ſtudium &c. Ceterum Decreta, quæ ſimpliciter ſunt acceptanda, ſimpliciter acceptamus, alia cum ſuis modificationibus & Declarationibus ſub ſpe, quod per ſacrum Concilium approbentur & decretentur, acceptamus ſic modificata & declarata, verum quia ſunt nonnulla in quibusdam noſtre Germanice nationis Eccleſijs ſtatuta & conſuetudines, abuſus & diverſa alia incommoda, non ex caritate ſed ambitione,

avari-

Digitized by Google

avaritia & cupiditate omnium malorum radicibus introducta, que per decreta ſacri Baſilienſis Concilij nondum ſunt reformata, inter alia videlicet, quod gravantur noſtre nationis fideles in quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncti matrimonium contrahere volentes, dum ad hoc diſpenſandū, ubi leviter diſpenſatur, ſedem Apoſtolicam conſulere ſunt aſtricti, multa denique exhorbitantia per exemptos commiſſa tranſiunt impunita in grave ſcandalum multorum, eo quod contra diſpoſitionem c. volentes de privilegijs li. VI. per ſedem Apoſtolicam cottidie privilegia eis conceduntur, conſervatores etiam per ſedem Apoſtolicam nimis multiplicantur & ad loca diſtantia contra formam juris communis paſſim conceduntur, in Curia Romana frequenter extraneis & advenis indignis ordines ſacri conferuntur, ſuper quibus dignetur ſacrum Concilium providere Qua quidem cedula ſic ut premittitur per prefatum Dominum *Theodoricum Ebbracht* alta & intelligibili voce publice lecta, inclitiſſimi & Excellentiſſimi Domini Romanorum Regis Oratores prefati nomine ipſius Domini Regis ac pro eo & tota Almania cunctisque ſuis Principibus & ſubditis Eccleſiaſticis & ſecularibus cujuscunque ſtatus, gradus, conditionis ſeu preeminentie fuerint, deinde Dominus Archiepiſcopus Maguntinus pro ſe, Eccleſia & cunctis Comprovincialibus & Clero ſuis, ac Illuſtriſſimo Principe & Domino Domino *Frederico* Marchione Brandeburgenſi ſacri Imperij Archi-Camerario Principe Electore, & Burggravio Nu-

 rem-

remburgenſi, cujus ad hoc ſe ſpeciale habere mandatum aſſeruit, Dominus Archiepiſcopus Colonienſis pro ſe & Eccleſia ſua, Domini vero Archiepiſcopi Treverenſis pro ipſo ac Eccleſia Treverenſi & Clero ſuis, dehinc Dominorum Salsburgenſis & Magdeburgenſis Archiepiſcoporum Oratores, Ambaſiatores & Procuratores ſupranominati pro eisdem Dominis ac Eccleſiis, Provincijs & Clero ſuis juxta pre inſerte cedule Capitulorum continentiam & tenorem prefati ſacri Baſilienſis Concilij Decreta ſolempiter acceptarunt & quilibet eorum ſingillatim expreſſe acceptavit, ſalvis tamen in quibusdam ex eis modificationibus, declarationibus & limitationibus ipſis & Germanice nationi & cuilibet eorum ſingulariter in ſuis provincijs Diocesibus ſeu territorijs congruentibus & accomodis factis & fiendis ſuis loco & tempore oportunis exprimendis & per dictum ſacrum Baſilienſe Concilium, prout ſperant, decretandis; Demum vero *Georgius Fiſchlin* & *Theodericus Ebbracht* oratores antedicti dixerunt ſe fuiſſe rogatos per Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum *Johannem* Epiſcopum Lubicenſem predicti Invictiſſimi Romanorum Regis etiam oratorem, cum ipſe hac vice propter ſue perſone diſtemperantiam hic adeſſe perſonaliter nequiret, quatenus ipſe ex parte Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini *Balduvini* Archiepiſcopi Bremenſis Metropolitani ſui, cujus ad hoc ſpeciale mandatum habere aſſeruit, hujusmodi decreta nomine ejusdem Domini Archiepiſcopi & ſuffraganeorum ſuorum

rum

rum cum alijs Principibus & Prelatis acceptare & de ratihabendo cautionem preſtare deberent, & ſic mox ijdem Domini *Georgius Fiſchlin* & *Theodoricus Ebbracht* hujusmodi decreta nomine quo ſupra juxta dicte cedule capitulorum formam & tenorem ſuperius recitatorum acceptarunt & quilibet eorum acceptavit addicientes, quod præfatus Reverendus pater Dominus Epiſcopus Lubicenſis actum hujusmodi acceptationis coram nobis aut aliquibus ex nobis Notarijs infra ſcriptis paratus eſſet reiterare & ad cautelam renovare. Super quibus omnibus & ſingulis premiſſis ſepefati Reverendiſſimi Reverendique Patres Illuſtriſſimi Principes ac Venerabiles Magiſtri, Doctores & oratores ſibi & eorum cuilibet a nobis Notarijs infraſcriptis & quolibet noſtrum petierunt & quilibet eorum petijt unum vel plura publicum ſeu publica fieri & confici tot, quot fuerint neceſſaria inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hec *Maguntie* in ſtuba Capitulari majoris Eccleſie Maguntine ſub anno Indictione, die, menſe, hora & Pontificatu, quibus ſupra, Prefato Domino noſtro Invictiſſimo Dominorum Romanorum &c. Rege feliciter regnante, Preſentibus ibidem Reverendis Patribus ac Venerabilibus & Egregijs viris Dominis & Magiſtris *Petro Echter* Decano, *Petro de Udenheim* ſcolaſtico & *Conrado Ruwe* ſeniori & *Richardo de Cleen* Canonicis Maguntine, *Wernhero de Seyn* comite de *Wyttingenſtein* ſancti Gereonis, *Hinrico de Erpel* ſancti *Severini*, *Joanne de Creyfelt* ſanctorum Apoſtolorum Colonienſis Prepoſitis & *Lamperto van*

 dem

dem langenhoeff ſancti *Andree* Colonienſis & *Johanne Chriſtiani* ſancte crucis Hildeſemenſis Decanis Eccleſiarum, *Johanne de Spul*, *Joanne de Lyns* & *Henrico Lobnick*, *Alberto Schenck* de *Limpurg*, *Hinrico de Xanetis*, *Tilmanno Zigler* & *Hermanno Roſenberg* Decretorum, legum & utriusque juris Doctoribus & Licentiatis, pluribusque alijs Venerabilibus viris tam religioſis quam ſecularibus Clericis & perſonis teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Deinde eisdem anno, indictione, menſe & Pontificatu quibus ſupra die vero ſabbati viceſima octava menſis Marcij predicti hora veſperorum vel quaſi prelibatus Reverendus in Chriſto pater & Dominus Dominus *Johannes* Epiſcopus Lubicenſis antedictique glorioſiſſimi & Invictiſſimi Romanorum Regis Ambaſiator in noſtrum notariorum publicorum teſtiumque infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum preſencia perſonaliter conſtitutus ſupra memoratum actum acceptationis Decretorum, ſic ut premittitur, inſertorum per prelibatos Dominos *Georgium Fiſchlin* & *Theodericum Ebbracht* Oratores nomine ejus pro prenominato ſereniſſimo Romanorum Rege Domino ſuo ac prenarrato Reverendiſſimo Patre & Domino Domino *Baldewino* Archiepiſcopo Bremenſi Metropolitano ſuo, cujus ad (vocabulum *hoc* omiſſum) ſpeciale mandatum ſe habere aſſeruit, factum reiteravit, ratificavit & ad cautelam renovavit, ſuper quibus premiſſis idem Reverendus pater & Dominus Epiſcopus Lubicenſis unum vel plura publicum ſeu publica ſibi a nobis notarijs

rijs

Digitized by Google

rijs infra ſcriptis & quolibet noſtrum fieri atque confici petijt inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hec *Maguntie* in domo habitationis dicti Reverendi patris Domini Lubicenſis preſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis viris Domino *Johanne. Coggenſtiger* Canonico Eccleſiæ Utinenſis, *Joanne Genſtendorffer* Notario Reverendi Patris Domini Epiſcopi Patavienſis antedicti, *Theodorico pickart* & *Hinrico Virogge* Clericis Mindenſis & Verdenſis Dioceſium teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego *Johannes Bracht* Clericus Monaſterienſis publicus Imperiali auctoritate Notarius dictique Reverendi patris Domini Johannis Epiſcopi Lubicenſis ſcriba juratus, Quia ſupradicte cedule lectioni, publicationi & Decretorum acceptationi omnibusque alijs & ſingulis premiſſis dum ſic ut premittitur per Reverendiſſimos Reverendosque patres Dominos Archiepiſcopos & Epiſcopos ac Venerabiles & circumſpectos viros, Prelatos, Doctores, Ambaſiatores, Oratores & procuratores prenominatos agerentur & fierent una cum prenarratis teſtibus preſens interfui eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, Jdeo preſens publicum inſtrumentum per alium me alijs occupato negotijs fideliter ſcriptum una cum connotarijs meis infraſcriptis exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum.

Et Ego *Johannes Rumelfels* de *Vorcheim* Clericus Bambergenſis Dioceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius ſancteque Maguntine ſedis Cauſarum ſcriba juratus, Quia ſupradicte cedule lectioni, publicationi & Decretorum acceptationi omnibusque alijs & ſingulis premiſſis, dum ſic ut premittitur per Reverendiſſimos Reverendosque patres Dominos archiepiſcopos & Epiſcopos ac venerabiles & circumſpectos viros prelatos, Doctores, Ambaſiatores, oratores & procuratores prenominatos agerentur & fierent una cum prenarratis teſtibus preſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, Ideo preſens publicum Inſtrumentum per alium me alijs occupato negotijs fideliter ſcriptum una cum connotarijs meis ſupra & infra ſcriptis exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum.

Et Ego *Hermannus Butenweg* Clericus Paderburnenſis dioceſis Publicus Imperiali auctoritate notarius. Quia ſupradicte cedule lectioni, publicationi & Decretorum acceptationi omnibusque alijs & ſingulis premiſſis, dum ſic ut premittitur per Reverendiſſimos Reverendosque Patres Dominos Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac Venerabiles & circumſpectos viros, Prelatos, Doctores, Ambaſiatores, Oratores & Procuratores prenominatos agerentur & fierent, una cum prenominatis teſtibus

ſtibus preſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi; Ideo preſens publicum Inſtrumentum per alium me alijs occupato negotijs fideliter ſcriptum una cum connotarijs meis ſupra ſcriptis exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum premiſſorum.

Deſumptum eſt hoc Inſtrumentum e Chartario Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. ad gradus Moguntiæ, cujus Canonicus Capitularis erat Theodericus Ebbracht Alberti Regis Romanorum Orator huic acceptationi præſens.

(1)

Decretum Conſtantienſe de Celebratione Conciliorum. *)

Frequens generalium Conciliorum Celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinos & tribulos hæreſum, errorum & ſchismatum exſtirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit: illorum vero neglectus, præmiſſa diſſeminat atque fovet. hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium Conſideratio, ante oculos noſtros ponant. qua propter hoc edicto perpetuo ſancimus, decernimus, atque ordinamus, ut amodo Concilia generalia celebrentur: ita quod primum a fine hujus Concilii in quin-

*) In Conſtantienſis Concilij ſeſſ. XXXIX.

quennium immediate ſequens, ſecundum vero a fine illius immediate ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur, in locis quæ ſummus Pontifex per menſem ante finem cujuslibet Concilii approbante vel conſentie Concilio vel in ejus defectum ipſum Concilium deputare & aſſignare teneatur: ut ſic per quamdam Continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam exſpectetur: quem terminum liceat ſummo Pontifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium Conſilio, ob emergentes forte caſus, abbreviare, ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum, absque evidenti neceſſitate non mutet. Sed ſi forte Caſus aliquis occurrerit, quo neceſſarium videretur, ipſum locum mutari, puta obſidionis, guerrarum, peſtis, aut ſimilis; tunc liceat ſummo Pontifici de prædictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium ipſorum Conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum prius deputato Loco viciniorem & aptum, ſub eadem tamen natione ſubrogare, niſi idem vel ſimile impedimentum per totam Illam nationem vigeret: tunc ad aliquem alium viciniorem alterius nationis locum aptum hujusmodi Concilium poterit convocari; ad quem prælati, & alii qui ad concilium ſolent convocari, accedere teneantur, ac ſi a principio locus ille fuiſſet electus & deputatus. quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem, per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus Pontifex

ſex legitime & ſolemniter publicare & intimare, ut ad ipſum Concilium celebrandum prædicti poſſint ſtatuto termino convenire.

Atque pro ipſius exſecutione decreti Civitas Papia apud Italiam fuit electa, pro generali Concilio in fine tunc proxime ſequentis quinquennii celebrando. quod quidem Concilium ſuo Decreto tempore in dicta civitate Papienſi celebrari exſtitit inchoatum, & inde certis ex cauſis ad civitatem Senenſem tranſslatum. in quo quidem generali Concilio Papiæ inchoato, & in Senenſi Civitate celebrato, hæc Baſilienſis Civitas pro celebratione tunc futuri generalis Concilii poſt ſeptennium a fine ipſius Senenſis Concilii celebrandi fuit electa & debite aſſignata, ut conſtat in inſtrumento publico inde confecto hujusmodi ſeriei.

(2)

Decretum de Electionibus & Confirmationibus Epiſcoporum & Prælatorum ſub eadem duodecima ſeſſione *expeditum.*

a) Quemadmodum in conſtruenda domo præcipua eſt Architectoris cura, ut tale jaciat fundamentum, ſuper quo firmum perduret ædificium; ita in generali eccleſiæ reformatione potiſſimum eſt hujus ſanctæ ſynodi ſtudium, ut tales eccleſiis præficiantur paſtores, qui tamquam Columnæ & Baſes ipſam Eccleſiam doctrinæ & meritorum viribus firmiter ſuſtentent. quanta autem in eligendis

Y 5

a) Sacro ſancta &c. ad perpetuam rei memoriam &c.

dis prælatis diligentia adhibenda ſit, officium eis injunctum evidenter oſtendit. ad regimen enim aſſumuntur animarum, pro quibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus mortuus eſt, & ſanguis ejus pretioſus effuſus. propterea ſacri Canones ſpiritu Dei promulgati, provide ſtatuerunt, ut unaquæque eccleſia ac collegium ſeu conventus ſibi prælatum eligant. quibus hæc ſancta ſynodus eodem Spiritu congregata inhærens, ſtatuit & diffinit, generalem reſervationem omnium eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & monaſteriorum, ac dignitatum electivarum, per Romanum Pontificem De cetero fieri, aut facta uti non debere: reſervationibus in corpore juris clauſis, & his quas in terris Romanæ eccleſiæ ratione directi ſeu utilis Dominii mediate vel immediate ſubjectis fieri contigerit, ſemper exceptis: ſed quod per Electiones & confirmationes Canonicas, ſecundum Juris communis diſpoſitionem, prædictis metropolitanis, Cathetralibus, monaſteriis, & collegiatis eccleſiis ac dignitatibus electivis vacantibus, debite provideatur: non derogando propterea ſtatutis, privilegiis & conſuetudinibus rationabilibus, quibuſcumque poſtulacionibus in diſpoſitione Juris Communis remanentibus. decernitque hæc ſancta ſynodus rationi fore conſentaneum & reipublicæ accomodum, ut contra hoc ſalutare decretum Romanus Pontifex nihil attentet, niſi ex magna rationabili ac evidenti cauſa, in Litteris apoſtolicis nominatim exprimenda. & ut eo firmius hoc ſalubre decretum cuſtodiatur,

vult

vult eadem ſancta ſynodus, ut inter alia, quæ Romanus Pontifex in ſua aſſumptione profitebitur, Juret decretum hoc inviolabiliter obſervare. & quoniam tales (ut prædictum eſt) oportet eſſe prælatos, hi ad quos jus pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactamque proinde apponant ſolicitudinem, ut tales eligant qui tanto officio valeant ſatisfacere. ſcientes quod ſi vel doloſe vel negligenter, ac timore Domini poſtpoſito, in re tam gravi ſe geſſerint; ſicut auctores erunt & cauſa malorum paſtorum, ita participes fient pænarum, quos ipſi mali paſtores in diſtricto Dei judicio patientur. & cum humanæ fragilitatis conatus nihil ſine omnipotentis Dei ſuffragio queat efficere, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit adveniente die electionis, hi; ad quos Pontificis vel Abbatis ſpectat electio, in eccleſia conveniant, magna cum devotione Miſſam de Spiritu ſancto audituri: quem humiliter exorabunt, ut eos ad dignum eligendum Paſtorem inſpirare dignetur. & ut eo facilius hanc gratiam obtinere mereantur, quo devotius ad actum electionis accedant, contriti & confeſſi ſacramentum Euchariſtiæ reverenter ſuſcipient. ad Locum vero electionis ingreſſi pro quocumque prælato, qui per electionem aſſumitur, Jurabunt in manibus ejus qui Capitulo præſidebit, & ipſe præſidens in manibus eum immediate ſequentis, ſub hac forma: Ego N. Juro & promitto omnipotenti Deo & tali Sancto vel Sanctæ, vel cujus vo-

cabulo

Digitized by Google

cabulo dedicata eſt ecclefia, eum eligere quem credam futurum eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus utiliorem; nec illi vocem dare quem veriſimiliter ſcivero promiſſione aut datione alicujus rei temporalis, ſeu prece per ſe aut alium interpoſita, aut alias qualitercumque directe vel indirecte, pro ſe electionem procurare. idem Juramentum præſtet, confiteaturque Et communicet, qui conſtituit procuratorem ad eligendum certam perſonam. nec non & procurator generaliter ad eligendum conſtitutus in caſibus, in quibus ſecundum Juris Communis diſpoſitionem in hujusmodi electionis negotio procurator conſtitui poteſt. quod etiam Juramentum præſtetur ab his, in quos continget ſuper electione futuri Prælati fieri compromiſſum, qui etiam confiteri & communicare teneantur, quod ſi prædicta non fecerint, pro illa vice eligendi ſint ipſo Jure poteſtate privati. deinde eligant in præfatum prælatum virum ætatis Legitimæ, moribus gravem, Litterarum ſcientia præditum, in ſacris ordinibus conſtitutum, & alias idoneum, ſecundum Canonicas ſanctiones. quodſi aliter & de alia perſona, quam ut prædictum eſt, aut per Simoniacam pravitatem electionem fieri contigerit, electio ſit ipſo Jure irrita & inanis. & ſic Simoniace eligentes, præter alias pænas, perpetuo ſint ipſo facto Jure eligendi privati. alii vero Canonicis pænis ſubjaceant. Simoniace autem electi, & qui hujusmodi ſimoniacæ electionis participes fuerint, taliterque eligentes, & confirmati, in horrorem tanti criminis pænam ipſo

ipſo facto excommunicationis incurrant: nec a tali reatu & excommunicatione electi & confirmati abſolvi poſſint niſi eccleſias & dignitates, ad quas turpiter aſſumpti ſunt, libere reſignaverint: & ad eas obtinendas, quas nefario ingreſſu adepti ſunt, perpetuo reddantur inhabiles. ad Tollendam autem omnem ambitionis radicem, obſecrat per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti hæc ſancta ſynodus, ac inſtantiſſime exhortatur reges & principes, Communitates & alios, Cujuſcumque gradus & dignitatis exiſtant, eccleſiaſticæ vel mundanæ, ne electoribus Litteras ſcribant, aut preces porrigant pro eo qui per ſe vel per alium tales preces ſeu litteras procurabit: multoque minus comminationes, impreſſiones, aut aliud faciant, quo minus Libere ad electionem procedatur. Similiter in virtute ſanctæ obedientiæ ipſis electoribus præcipitur, ne ad hujusmodi litteras vel preces, comminationes vel impreſſiones (ut præmittitur) quemquam eligere præſumant. facta autem electione, & ei ad quem jus pertinet, confirmandi præſentata, ſi appareat Coëlectus, vel ſe opponens electioni, nominatim vocetur, ad videndum diſcuti electionis negotium Et nihilominus generaliter edictum publicum in eccleſia, in qua facta eſt electio, proponatur Juxta conſtitutionem felicis recordationis Bonifacii VIII. Comparentibus autem aliquibus vel non, nihilominus ipſe confirmator ex officio tamquam in negotio inquiſitionis procedat; omnem adhibiturus diligentiam, ut tam forma electionis quam merita electi, & omnes circumſtan-

tiæ

tiæ debite examinentur & diſcutiantur. & ſi ele-
ctio confirmanda ſit vel infirmanda, Judicialiter
confirmetur vel infirmetur. & ut omnia munde &
ſine labe ac Labis ſuſpicione procedant, non ſo-
lum exigere aliquid quantumcumque parvum, ſed
etiam gratis oblata, confirmator ratione confirma-
tionis ſub nomine ſubjectionis, ſubſidii, gratitu-
dinis, aut alio colore, prætextu cujusvis conſue-
tudinis aut privilegii, per ſe vel alium nullatenus
recipere præſumat. Notariis autem, & his qui
ſcripſerunt in hujusmodi cauſis, emolumentum ali-
quod moderate taxetur, habendo reſpectum ad La-
borem & operam ſcripturæ, non ad fructuum
prælaturæ valorem. ſi vero Confirmatores prædi-
cti electionis, non ſervatis ſuperius ordinatis, &
de perſonis non idoneis (ut præmittitur) factas,
vel alias per ſimoniacam pravitatem confirmave-
rint, eo ipſo confirmationes hujusmodi ſint nullæ.
confirmantes autem alias perſonas, quam ſupra
dictum eſt, pro ea vice: per ſimoniacam autem
Labem, ſi eam Commiſerint, etiam ſententiam
Excomunicationis incurrant eo ipſo, a qua niſi per
Romanum Pontificem, præterquam in mortis arti-
culo, abſolutionis beneficium obtinere non poſſint.
Summum vero Pontificem hæc ſancta ſynodus ex-
hortatur, ut, cum ſpeculum & norma omnis ſan-
ctitatis & munditiæ eſſe debeat, pro confirmatio-
ne earum electionum, quas ad eum deferri conti-
gerit, nihil penitus exigat aut recipiat: alioquin,
ſi ſecus faciendo notorie & incorrigibiliter ex hoc
eccleſiam ſcandalizet, futuro concilio deferatur.

pro

pro oneribus autem quæ ipſum pro regimine univerſalis eccleſiæ ſubire oportet, proque ſuſtentatione Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium & aliorum neceſſariorum officialium, hoc ſacrum Concilium ante ſui diſſolutionem omnino debite & congruenter provideat. quod ſi contingat aliquam circa hoc proviſionem non facere, tunc ille Eccleſiæ & beneficia, quæ usque nunc ex novi prælati aſſumptione certam taxam ſolverint, deinceps medietatem hujusmodi capere per annum poſt adeptam pacificam poſeſſionem ſolvere in partibus teneantur: duratura hujusmodi proviſione, Donec prædictis Papæ & ſuſtentationi cardinalium fuerit aliter proviſum. per hæc eadem ſancta ſynodus non intendit in aliquo præjudicare ſanctæ Romanæ & univerſali Eccleſiæ, nec alteri cuicumque.

Datum in ſeſſione publica ejusdem ſanctæ ſynodi in Eccleſia majori Baſileenſi ſolemniter celebrata, die Lunæ decima tertia Julii, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio.

(3)

SESSIO XV. *)

De Concilijs Provincialibus & Synodalibus.

Sacroſancta Generalis ſynodus Baſilieenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Pridem hæc ſancta ſynodus quoddam ſaluberrimum promulgavit decretum, pro ſtabilitate & robore

*) Huic ſeſſioni interfuit imperator cum inſignus.

Digitized by Google

robore generalium conciliorum, quorum frequens celebratio præcipua eſt agri Dominici cultura. verum cum ad eamdem culturam non dubium ſit pertinere Epiſcopales ſynodos, & concilia provincialia, prout veteres Canones decreverunt frequentari: ideo eadem ſancta ſynodus antiquos & Laudabiles mores noſtris cupiens temporibus obſervari, ſtatuit atque præcipit ſynodum Epiſcopalem in qualibet Dioeceſi poſt octavas Dominicæ reſurrectionis, vel alia die ſecundum conſuetudinem dioeceſum, ad minus ſemel in anno, ubi non eſt conſuetudo bis, annuatim celebrari per diœceſanum propria in perſona, niſi Canonico impedimento fuerit præpeditus, & tunc per vicarium ad hoc idoneum. quæ ſynodus ſaltem Biduo vel triduo duret, vel prout neceſſarium epiſcopis viſum fuerit.

Prima autem die convenientibus dioeceſano & omnibus aliis qui hujusmodi ſynodo intereſſe tenentur, infra miſſarum ſolemnia, vel poſt, dioeceſanus vel alius ejus nomine verbum Dei proponat: exhortando omnes ad bonos mores ſectandum, abſtinendum a vitiis, & ad ea quæ pertinent ad eccleſiaſticam diſciplinam & officia ſingulorum: & præſertim ut hi, quibus animarum cura commiſſa eſt, diebus Dominicis & aliis ſolemnitatibus plebem ſubjectam doctrinis & monitis ſalutaribus inſtruant. poſtea legantur ſtatuta provincialia & ſynodalia, & inter alia aliquis Compendioſus tractatus, docens quomodo ſacramenta miniſtrari debeant, & alia utilia pro inſtructione ſacerdo-

cerdotum. deinde ipſe Diæceſanus de vita & moribus ſubditorum ſolerter inquirat: labem Simoniacæ pravitatis, contractus uſurarios, Concubinatum, fornicationem, & alia quævis crimina & exceſſus, debita correctione cohibeat. Alienationes rerum Eccleſiaſticarum a jure prohibitas revocet: Clericorum abuſus, & aliorum ſubjectorum, qui circa divinum officium Et delationem debiti habitus defecerint, in melius reformet & emendet. & quoniam multa ſcandala ſæpe contingunt, eo quod conſtitutio Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit, periculoſa, edita ſuper clauſura monialium, non ſervatur; ſtudeat ipſe Diæceſanus, ut omnino Juxta ipſius conſtitutionis tenorem executioni demandetur: nec non ut quicumque religioſi dioeceſano ſubjecti, regulas & conſtitutiones ſuarum religionum, præſertim ut ab eis omnis proprietas abdicetur, inviolabiliter obſervent. ne etiam in receptione ipſorum ad religionem quidquam per ſimoniam exigatur. præcipua autem in ipſa ſynodo epiſcopi Cura ſit, inquirere ac debitis remediis occurrere, ne aliquod dogma hæreticum, erroneum, aut ſcandaloſum, ſeu piarum aurium offenſivum; ſortilegia, divinationes, incantationes, ſuperſtitiones, & quævis Diabolica figmenta, diæceſim ſuam inficiant. inſtituanturque præterea teſtes ſynodales, viri graves, providi & honeſti, legis Dei Zelum habentes, Juxta Diæceſium Latitudinem in numero competenti, aut alii eorum poteſtatem habentes, ubi alii non ſunt ad hoc inſtituti: qui ſi Diæceſano minus idonei videantur,

 eos

eoſ amovendo, alios (prout ei videbitur expedire) inſtituat. hi autem in manibus ipſius Dioeceſani vel ſui vicarii Jurare teneantur, ut tradit Canon, Epiſcopus in ſynodo: qui per anni circulum luſtrantes ipſam dioeceſim, quæ corrigenda vel reformanda viderint, his ad quos talia corrigere vel reformare pertinet, referant. quæ niſi correcta vel reformata Jam fuerint, ad ſynodum ſubſequentem perferant, in qua debitis remediis occurratur. ſed & præter illa quæ a teſtibus ſynodalibus, vel aliis eorum officia exercentibus, dioeceſanus audierit, inquirat & ipſe diligenter de cunctis ſubditorum ſuorum exceſſibus: & taliter in delinquentes inſurgat Correctionis debitæ diſciplina, ut aliis malignari volentibus tranſeat in Exemplum. Celebretur quoque in ſingulis provinciis ſaltem infra biennium a fine Concilii generalis & deinde ad minus ſemel de triennio in triennium, provinciale Concilium in loco tuto: in quo tam Archiepiſcopus quam ſuffraganei omnes, & alii qui in hujusmodi conciliis provincialibus intereſſe tenentur, debite vocati interſint. quod ſi epiſcopus Canonico fuerit impedimento detentus, procuratorem ſuum deſtinet, non ſolum ad excuſandum & probandum abſentiæ cauſas, ſed etiam ipſius nomine Concilio intereſſendum, ſuſcipiendumque quidquid Concilium duxerit ſtatuendum. alioquin ipſe epiſcopus a perceptione medietatis fructuum unius anni ſuæ eccleſiæ ſuæ, qui per perſonam in ipſo concilio deputandam in ipſius eccleſiæ ſuæ fabricam effectualiter convertantur, eo ipſe

ſit

Digitized by Google

ſit ſuſpenſus. alii vero venire negligentes Concilii arbitrio puniantur, aliis juris pænis in ſuo robore duraturis. Concilio autem generali durante, & per ſex menſes ante, hujusmodi provincialia concilia non celebrentur. porro in hujus inchoatione concilii ipſe metropolitanus, vel alius ejus nomine, infra Miſſarum ſolemnia, vel poſt, exhortatorium ſermonem faciat, ea quæ ad ſtatum eccleſiaſticum, & præcipue ad Pontificale officium pertinent, ſerioſe memorando: Comminandoque ſingulis, quod juxta prophetæ (a) ſententiam, ſi eorum culpa cujusvis anima petierit, illius ſanguis de manibus eorum a Domino exigetur. præcipue autem fiat tunc monitio exacta, ut dignis & bene meritis, quorum vita ſufficienti teſtimonio nota ſit, ordines & beneficia ſine ulla ſimoniaca Labe conferantur. & ſuper omnia, ut in animarum cura committenda, ſumma diligentia & matura inquiſitio adhibeatur. & ut bona eccleſiaſtica nullatenus ad uſus illicitos, quinnimmo ad honorem Dei, eccleſiarum conſervationem, (habendo ſecundum ſacros Canones præcipuam curam pauperum & indigentium) Laudabiliter convertantur: ſcientes quod de his omnibus apud tribunal æterni Judicis (Matth. 5.) usque ad minimum quadrantem rationem redituri ſunt. in quibus quidem conciliis De corrigendis exceſſibus, moribusque ſubditorum reformandis, & præcipue qualiter epiſcopi in conferendis beneficiis & confirmandis electionibus, miniſtrandis ordinibus, deputandis confeſſoribus, prædicando ad

 popu-

(a) Ezech. 5.

populum, & puniendo exceſſus ſubditorum, obſervationeque epiſcopalium ſynodorum, cæterisque ad officium epiſcopale ac jurisdictionem & adminiſtrationem eorum in ſpiritualibus, & temporalibus quomodolibet ſpectantibus ſe geſſerint, & præſertim an a ſimoniaca Labe manus innoxias ſervent, diligens inquiſitio ſecundum juris diſpoſitionem fiat. aut omnes, qui in præmiſſis deliquiſſe comperti fuerint, per ipſum Concilium corrigantur, & puniantur. ſimili modo de ipſo metropolitano circa omnia ſupradicta diligenter inquiratur. Cujus exceſſus & defectus ipſum concilium eidem ſpecialiter exprimat; ipſum admonendo & obſecrando, ut cum aliorum pater vocetur & eſſe debeat, a talibus omnino deſiſtat. & nihilominus inquiſitionem de ipſo habitam, in ſcriptis redactam, ad Romanum Pontificem vel alium ejus ſuperiorem, ſi quem habeat, ſine mora transmittat, ut ab eo punitionem & reformationem ſuſcipiat condecentem. inter cetera, ſi quæ diſcordiæ, contentiones & inimicitiæ, inter quoſcunque viguerint, quæ quietem & tranquillitatem provinciæ poſſent perturbare, curet omni ſtudio ſacrum Concilium illa ſedare: & more piorum patrum ad pacem concordiamque filiorum vigilanter intendat. & ſi inter regna provincias & principatus hujusmodi diſcordias ſuſcitari contingat, mox ſancti Dei antiſtites Concilia provinciarum ſuarum ſimul congregari procurent; & ſibi invicem Conſilium & auxilium impendentes cuncta diſcordiarum fomenta amputare ſtudeant: neque hoc alicujus amore vel

odio

Digitized by Google

odio prætermittant, ſed ad Deum ſolum & ſalutem populi mentis oculos erigentes, ad ſanctum pacis opus omni tepiditate ſemota invigilent.

Cogitentur inſuper in provinciali ſynodo, quæ immediate generale Concilium ſubſequens antecedit, omnia quæ in eodem generali Concilio viſa fuerint proſequenda, ad Dei gloriam & provinciæ commodum, ſalutemque Chriſtiani populi. ibidemque eligantur in numero competenti qui ad proximum generale Concilium vice totius provinciæ debeant proficiſci; quibus per ſubſidium vel alias provideatur, prout de Jure & Concilio provinciali fuerit viſum expedire: ita tamen, quod illi qui ultra perſonas (ut prædictum eſt) deputatas ad ipſum Concilium generale accedere voluerint, aut eorum clerus, nullatenus propterea graventur. relegantur quoque in unoquoque provinciali concilio, quæ ſecundum Canonicas ſanctiones in eiſdem legi præcipiuntur; ut ea & inviolabiliter obſerventur, & transgreſſoribus poenæ Debitæ inferantur. quod ſi metropolitani vel Diæceſani prædictis terminis in celebrandis provincialibus & epiſcopalibus ſynodis, ceſſante legitimo impedimento, fuerint negligentes; medietatem omnium fructuum & obventionum, ratione ſuarum eccleſiarum ad eos pertinentium, fabricæ ipſarum eccleſiarum applicandam eo ipſo amittant. qui ſi in eadem negligentia per tres proximos menſes perſeveraverint, ab officiis & beneficiis ſint ipſo facto ſuſpenſi. quibus transactis temporibus, ſub anteſcriptis poenis, antiquior in provin-

cia ordine epiſcopus ipſius Metropolitani epiſcopi, aut major in dignitate poſt Pontificalem in ſacris conſtitutus, niſi ad alios forſan de conſuetudine vel privilegio pertineat, negligentiam in celebrandis prædictis provincialibus & epiſcopalibus ſynodis ſupplere teneantur. Jubet inſuper hæc ſancta ſynodus omnibus prælatis religionum & ordinum quorumcunque, ad quos celebrare Capitula pertinet, quod illa ſtatutis temporibus ſub prædictis pænis ſervent, & ſervari faciant, in quibus ſecundum Canonicas ſanctiones & religionum conſtitutiones, cum omni ſtudio & diligentia ad veram ſingularum religionum & ordinem reformationem intendant: ita ut deinceps in ſingulis monaſteriis Juxta proprias regulas & conſtitutiones debite regularis vigeat obſervantia; & præcipue, ut tria ſubſtantialia profeſſionis vota omnino obſerventur, per præmiſſa autem hæc ſancta ſynodus non intendit Juribus quorumcumque quomodolibet derogare.

Datum Baſileæ in ſeſſione publica celebrata in eccleſia majori Baſileenſi, ſexto Kalendas Decembris, anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio.

(4)

Seſſionis Decimæ Nonæ Decretum quintum: de judæis & neophytis.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto Legitime congregata, univerſalem eccle-

eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſequens veſtigia hæc ſancta ſynodus illud gerit potiſſime in viſceribus caritatis, ut omnes evangelicam veritatem agnoſcant, & in ea poſtquam agnoverint, fideliter perſeverent, proinde, & Judæi aliique infideles ad orthoxam convertantur fidem, quique ad ipſam converſi fuerint in illa conſtanter permaneant, his ſalubribus inſtitutis providere decernens; in primis ſtatuit, ut omnes Diæceſani quosdam in Litteris divinis bene eruditos aliquot vicibus annuatim deputent in Locis ubi Judæi aut alii infideles degunt, ad prædicandum & explanandum taliter chatolicæ fidei veritatem, ut ipſi infideles qui audiunt, ſuos valeant errores recognoſcere. ad quam prædicationem ſub pænis tam commercii per fideles illis interdicendi, quam aliis ad hoc opportunis, ipſos infideles cujuscumque ſexus in annis diſcretionis conſtitutos accedere compellant. ipſi autem Dioeceſani ac prædicantes ita ſe erga illos propitios ac caritate plenos exhibeant, ut non ſolum propalatione veritatis, ſed & aliis humanis officiis ipſos Chriſto lucrifaciant. Chriſtianos autem cujuſcumque dignitatis aut ſtatus, quomodolibet impedientes, ne Judæi ad hujusmodi predicationem conveniant, aut arceantur, notam fautoriæ infidelitatis incurrere ipſo facto decernit. ut autem hæc prædicatio eo ſit fructuoſior quo prædicantes linguarum habuerint peritiam, omnibus modis ſervari præcipimus conſtitutionem editam

Digitized by Google

in Concilio Viennenſi, de duobus docere debentibus in ſtudiis ibidem expreſſis linguas Hebraicam, Arabicam, Græcam, & Chaldæam. quæ ut efficacius obſervetur, rectores ipſorum ſtudiorum inter alia, quæ in aſſumptione rectoratus jurant, hoc etiam addi volumus, operam ſe pro ipſius conſtitutionis obſervatione daturos, in conciliis etiam illarum provinciarum, in quibus hujusmodi ſtudia conſtituta ſunt omnino diſponatur, ut hi, qui predictas linguas docturi ſunt, ſtipendia debita percipere valeant. Sacros inſuper Canones renovantes, præcipimus tam dioeceſanis, quam poteſtatibus ſæcularibus, ut modis omnibus prohibeant, ne Judei aut alii infideles, aut Chriſtianos, aut Chriſtianas in familiares, ſeu ſervientes, aut filiorum ſuorum nutrices, habeant: ac ne Chriſtiani cum ipſis in eorum feſtivitatibus, nuptiis, & conviviis, aut Balneis ſeu nimia Converſatione communicent; aut medicos, vel matrimoniorum prokenetas, ſeu aliorum contractuum mediatores de publico conſtitutos aſſumant, ne aliis publicis præponant officiis, aut ad gradus quoſcumque ſcholaſticos admittant nec eis locentur prædia, vel alii reditus eccleſiaſtici. prohibeantur etiam libros eccleſiaſticos, calices, cruces, & alia eccleſiarum ornamenta, ſub poena perditionis rei emere, aut pignori ſub poena amiſſionis peccuniæ mutuatæ accipere. ſub gravibus quoque poenis cogantur aliquem deferre habitum, per quem a Chriſtianis evidenter diſcerni poſſint. quorum ut evitetur nimia converſatio, in aliquibus civitatum

&

& oppidorum Locis a Chriſtianorum Cohabitatione ſeparatis habitare compellantur, & ab Eccleſiis longius quantum fieri poteſt. nec diebus Dominicis & aliis ſolemnibus feſtivitatibus apothecas apertas tenere, vel in publico laborare præſumant.

(5)

SESSIO XX.

Decretum de concubinariis in ſeſſione vigeſima promulgatum.

Sacroſancta Baſileenſis generalis ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Tanto ſumus ad concedendum petentibus Laudabili per nos ordinatione ſtatuta & decreta ſub forma Authentica pronitores, quanto ex hoc ſtatutis & decretis hujusmodi circa eorum obſervationem valeat fides certior adhiberi. hinc eſt quod nos tenores conſtitutionum inferius deſcriptarum, per nos dudum editarum, & in ſeſſione publica per nos in majori eccleſia Baſileenſi undecimo Kalendas Februarii, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto celebrata publicatarum, & apud acta noſtra de mandato noſtro deſcriptarum, ad dilectorum eccleſiæ filiorum, &c. N. & N. qui tenores hujusmodi ſe in judicio & extra aſſerunt indigere, ſupplicationis inſtrumentum de actis ipſis extrahi & præſentibus annotari fecimus, quæ ſequuntur in hæc verba. Quicunque

Clericus, Cujuſcumque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, etiamſi Pontificialis vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt hujus Conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur, per duos menſes poſt publicationem ejusdem in eccleſiis cathedralibus, quam ipſi diæceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem Conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus: quos ſuus ſuperior in fabricam vel aliam evidentem eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat: nec non & hujusmodi publicum concubinarium, ut primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus ſuperior monere teneatur, ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat. quam ſi non dimiſerit, vel dimiſſam aut aliam publice reſumpſerit, Jubet hæc ſancta ſynodus ut ipſum ſuis omnibus beneficiis omnino privet. & nihilo minus hi publici concubinarii, usquequo cum eis per ſuos ſuperiores, poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem, fuerit Diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque bonorum, dignitatum, beneficiarum vel officiorum ſint inhabiles. qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. quod ſi hi, ad quos talium correctio pertinet eos (ut prædictum eſt) punire neglexerint, eorum ſuperiores tam ipſos de neglectu quam in

illos

illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. in Conciliis etiam provincialibus & ſynodalibus adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem a collatione beneficiorum vel alia condigna poena ſeveriter procedatur. & ſi hi, quorum deſtitutio ad ſummum Pontificem ſpectat, per concilia provincialia aut ſuos ſuperiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi ſummo Pontifici deferantur. eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcumque Capitulis generalibus & provincialibus quoad ſuos ſervetur, poenis aliis contra prædictos & alios non publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris, publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi quorum concubinatus per ſententiam aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, notorius eſt; ſed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & infamatam tenet, & per ſuum ſnperiorem admonitus ipſam cum effectu non dimittit. quia vero in quibusdam regionibus nonnulli Jurisdictionem eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus a concubinariis percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fæditate ſordeſcere: ſub poena maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps ſub pacto, compoſitione aut ſpe alicujus quæſtus, talia quovis modo tolerent aut diſſimulent: alioquin ultra præmiſſam negligentiæ poenam, duplum ejus quod propterea acceperint, reſtituere ad pios uſus omnino teneantur

tur & compellantur. ipſas autem concubinas, ſeu mulieres ſuſpectas, prælati modis omnibus curent a ſuis ſubditis etiam per Brachii ſæcularis auxilium, ſi opus fuerit, penitus arcere: qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres ſuos cohabitare non permittant. Jubet inſuper hæc ſancta ſynodus, ut etiam in prædictis ſynodis & capitulis hæc conſtitutio publicetur, & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligenter. Injungat præterea omnibus viris, etiamſi regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæſito colore, prælatis qui ratione ſui officii adverſus ſuos ſubditos pro hujusmodi concubinatu procedant. & cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum ſit, & ſub peccati mortalis poena neceſſario evitandum, monet omnes Laicos tam uxoratos quam ſolutos, ut ſimiliter a concubinatu abſtineant. nimis enim reprehenſibilis eſt qui uxorem habet, & ad alienam mulierem accedit: qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, Juxta Apoſtoli conſilium, (1 Cor. 7.) uxorem ducat. pro hujus autem divini obſervatione præcepti, hi, ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omnino ſtudio Laborent.

(6)

De Excommunicatis non vitandis certo modo non vocatis.

Ad vitandum ſcandala & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, ſtatuit etiam quod

Digitized by Google

quod nemo deinceps a communione alicujus in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque ſententiæ aut cenſuræ eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis, ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum eccleſiaſticum obſervare; niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio vel cenſura hujusmodi, fuerit in vel contra perſonam, collegium, univerſitatem, eccleſiam aut Locum certum aut certam a Judice publicata & denuntiata ſpecialiter aut expreſſe: aut ſi aliquem ita notorie excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo Juris ſuffragio excuſari. nam a communione illius abſtineri vult Juxta canonicas ſanctiones. per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

(7)

De Interdictis non leviter ponendis.

Quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueverunt ſcandala evenire; ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quod nulla civitas, oppidum, caſtrum, villa, aut Locus, eccleſiaſtico ſupponi poſſint interdicto, niſi ex cauſa, ſeu culpa ipſorum Locorum aut Dominii ſeu rectorum vel officialium propter culpam autem, ſeu cauſam alterius cujuſcumque privatæ perſonæ, hujusmodi loca

Digitized by Google

loca interdici nequaquam poſſint auctoritate quacumque ordinaria vel delegata; niſi talis perſona prius fuerit excommunicata ac denunciata, ſeu in eccleſia publicata, ac domini ſeu rectores vel officiales ipſorum Locorum, auctoritate Judicis requiſiti hujusmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint: qua etiam poſt biduum ejecta, recedente vel ſatisfaciente, mox divina reſumi poſſint. quod etiam in pendentibus locum habeat.

(8)

Contra frivole apellantes.

Ut lites citius terminentur, ſuper eodem gravamine, aut ſuper eadem interlocutoria vim diffinitivæ non habente, nullatenus liceat ſecundo apellare. quodque ante diffinitivam frivole vel injuſte apellans, ultra condemnationem expenſarum, damnorum & intereſſe, in quindecim florenis auri de camera parti appellatæ per appellationis Judicem condemnetur.

Datum in ſeſſione publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia majori Baſileenſi ſolemniter celebrata, undecimo Kalendas Februarii, anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

(9)

SESSIO XXI.

De Annatis.

Sacroſancta Baſileenſis generalis ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, univerſalem eccle-

eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

In Nomine Spiritus ſancti Paracleti ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quod tam in curia Romana quam alibi, pro ſeu in confirmatione electionum, admiſſione poſtulationum, præſentationum proviſione, collatione, diſpoſitione, electione poſtulatione, præſentatione, etiam a Laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione, & inveſtitura, de eccleſiis etiam cathedralibus & metropolitanis, monaſteriis, dignitatibus, Beneficiis, officiisque eccleſiaſticis quibuscumque, nec non ordinibus ſacris & benedictione ac pallio, de cetero nihil penitus ante vel poſt exigatur ratione litterarum bullæ ſigilli, annatarum Communium, & minutorum ſervitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine prætextu cujusvis conſuetudinis, privilegii vel ſtatuti, aut alia quavis cauſa vel occaſione, directe vel indirecte: ſolum ſcriptoribus, abbreviatoribusque & regiſtratoribus litterarum ſeu minutarum, pro ipſorum Labore competenti ſalario ſolvendo. huic autem ſacro canoni ſiquis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pænam incurrat adverſus ſimoniacos inflictam, & in ipſis dignitatibus ac beneficiis taliter obtentis nullum Jus ac titulum acquirat. obligationes quoque, promiſſiones & cenſuræ ac mandata, & quidquid in præjudicium decreti hujus ſaluberrimi fieri contingit, nullas obtinere vires atque irrita cenſeantur. & ſi (quod abſit) Romanus Pontifex, qui

præ

præ cæteris univerſalium conciliorum exſequi & cuſtodire canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo eccleſiam ſcandalizet, generali concilio deferatur. Ceteri vero pro modo culpæ juxta canonicas ſanctiones per ſuos ſuperiores digna ultione puniantur. *)

(10)

De Pacificis Poſſeſſoribus.

Quicumque non violentus, ſed coloratum titulum, pacifice & ſine lite prælaturam, dignitatem, beneficium, vel officium triennio proximo hactenus poſſedit, vel in futurum poſſidebit, non poſſit poſtea in petitorio vel poſeſſorio a quoquam etiam ratione juris noviter impetrati, moleſtari: excepto hoſtilitatis caſu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo proteſtari, & juxta concilium Viennenſe illud intimare teneatur. lis autem hoc caſu quoad futuras controverſias intelligatur, ſi ad exſecutionem citationis, jurisque ſui in judicio exhibitionem, ac terminorum omnium obſervationem, proceſſum fuerit. ordinarii autem diligenter inquirant, ne quis ſine titulo beneficium poſſideat. quod ſi talem quandocumque repererint, declarent jus illi non competere, vel huic (ſi ſibi videatur) niſi ſit intruſus, ſeu violentus, aut alias indignus, vel alteri idoneo provideant.

(11)

*) Conferatur Subſidior. Diplom. Tomi VI. Nrus I. pag. 1. ſq.

(11)

Quomodo divinum officium in Eccleſia celebrandum ſit.

Si quis principem ſæculi rogaturus, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non præcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente, ſeipſum ac verba ſtudet componere, quanto diligentius in ſacro Loco omnipotentem oraturus Deum, hec omnino facere curare debet? ſtatuit igitur ſancta ſynodus, ut in cunctis cathetralibus ac collegiatis eccleſiis, horis debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſſis, Laudes divinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter, ſed aſiatam ac tractim, & cum pauſa decenti, præſertim in medio cujuslibet verſiculi pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne ac feriale, officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvantur. horas canonicas dicturi, cum tunica talari ac ſuperpelliciis mundis ultra medias tibias longis, vel Cappis Juxta temporum ac regionum diverſitatem, Eccleſias ingrediantur; non Caputia, ſed almucias vel birreta tenentes in capite. qui cum in choro fuerint, gravitatem ſervent, quam & locus & officium exigunt; non inſimul aut cum aliis confabulantes ſeu colloquentes, aut Litteras ſeu ſcripturas alias legentes. & cum pſallendi gratia ibidem conveniant, Juncta ac clauſa Labia tenere non debent, ſed omnes, præſertim qui majori funguntur honore, in Pſalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. cum dicitur, gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto,

ĉto, omnes conſurgant. cum nominatur glorioſum illud nomen Jeſus, (Philipp. 2.) in quo omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum horæ in Communi publicæ cantantur, legat vel dicat privatim officium: nam non ſolum obſequium, quo obnoxius eſt choro, ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. ſuper his debite obſervandis, aliisque ad divini officii proſecutionem ac chori diſciplinam ſpectantibus, decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumſpiciens. horum autem transgreſſores, illius horæ in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia majori, prout transgreſſionis gravitas exigit, plectentur poena.

(12)

Quo tempore quisque debet eſſe in Choro.

Qui in matutinis ante finem Pſalmi, venite exultemus, in aliis horis ante finem primi pſalmi, in miſſa ante ultimum Kyrie eleiſon, usque in finem divino officio non interfuerit, niſi forte neceſſitate cogente ac petita & obtenta a præſidente chori Licentia diſcedere oporteat, pro illa hora abſens cenſeatur, ſalvis eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ forte circa hoc arctiores exiſtant. idem in his obſervetur, qui a principio usque in finem in proceſſionibus non permanſerint, pro cujus executione deputetur aliquis onus habens notandi perſonas ſingulas ſtatuto tempore non convenientes, Juramento adſtrictus agere fideliter, & nulli par-

parcere. Jubet etiam hæc ſancta ſynodus, quod in illis eccleſiis, in quibus ſingulis horis certæ diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omnino etiam De groſſis fructibus (ſi opus ſit) deputentur, ut juxta menſuram Laboris plus minusve quisque capiat emolumenti: tollens prorſus abuſum illum, quo in una dumtaxat hora præſens totius diei diſtributiones uſurpat: & illum quo præpoſiti, vel Decani, aut alii officiales, ex hoc ſolum quod officiales ſunt, licet actualiter pro utilitate eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.

(13)

Qualiter horæ Canonicæ extra Chorum dicendæ ſint.

Quoscumque etiam alibi beneficiatos, ſeu in ſacris Conſtitutos, cum ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc ſancta ſynodus, ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo aut ſyncopando dictiones nec colloquia, vel riſus intermiſcendo, ſed ſive ſoli, ſive aſſociati, diurnum nocturnumque officium reverenter verbisque diſtinctis peragant: ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur: ad quam ſe diſponere & præparare debent, juxta id quod ſcriptum eſt: ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi qui tentat Deum. (Eccl. 18.)

(14)

De his qui tempore divinorum vagantur per ecclesiam.

Quicumque in ecclesia beneficiatus, præſertim de majoribus, divinorum tempore pro eccleſiam vel foris circa ipſam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari viſus fuerit, non ſolum illius horæ, ſed totius Diei præſentiam ipſo facto amittant. qui ſi ſemel correctus non deſtiterit, per menſem diſtributionibus careat, vel graviori (ſi pertinacia exegerit) pænæ ſubjaceat, ita ut tandem deſiſtere cogatur. prohibeatur etiam ne divina officia tumultuoſi quorumcunque per eccleſiam diſcurſus impediant aut perturbent. regulares qui in conventualibus eccleſiis circa prædicta exceſſerint, gravi ſuperioris arbitrio caſtigentur.

(15)

De Tabula pendente in Choro.

Ut cuncta in domo Dei ordinate procedant, & quilibet ſciat quid ſibi agendum imminet, ſtatuatur tabella aliqua continue pendens in choro, in qua quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis beneficiatis, in ſingulis horis per hebdomadam aut majus tempus, legendum cantandumve ſit ſcribatur. qui autem ſecundum quod ibi deſcriptum fuerit facere per ſe vel alium neglexerit, pro qualibet hora diſtributiones unius diei amittat.

(16)

(16)

De his qui in Miſſa non complent Credo, vel cantant cantilenas, vel nimis Baſſè Miſſam legunt, aut ſine miniſtro.

Abuſum aliquarum eccleſiarum, in quibus Credo in unum Deum, quod eſt ſymbolum & confeſſio fidei noſtræ, non Complete usque ad finem cantatur, aut præfatio ſeu oratio Dominica obmittitur, vel in Eccleſiis cantilenæ ſæculares voce admiſcentur, ſeu Miſſa etiam privata ſine miniſtro aut per ſecretas orationes ita ſubmiſſa voce dicitur, quod a circumſtantibus audiri non poteſt, abolentes; ſtatuimus ut qui in his transgreſſor inventus fuerit, a ſuo ſuperiore debite caſtigetur.

(17)

De Pignorantibus Cultum Divinum.

Abuſum etiam illum cultui divino manifeſte derogantem, quo nonnulli eccleſiarum Canonici contrahentes debita, ſic ſe creditoribus obligant, ut niſi ſtatuto tempore ſatisfaciant, a divinis ceſſetur officiis, abolentes, & obligationem hujusmodi, etiamſi jurejurando firmata ſit, irritam decernentes; ſtatuimus ut qui talem illicitum contractum fecerint, trium menſium fructus ipſi eccleſiæ applicandos ipſo facto amittant. & quamdiu divina non reſumpſerint, nullos ex ipſa eccleſia proventus percipiant.

(18)

De tenentibus Capitula tempore Miſſæ Majoris.

Prohibet hæc ſancta ſynodus, ut tempore Miſſæ, majoris, præſertim ſolemnibus diebus, capitula ſeu actus capitulares, aut alii tractatus, per canonicos non celebrentur, niſi forte urgens & evidens incrueret neceſſitas. qui vero ad talem horam capitulum indixerit, à diſtributionibus quotidianis per hebdomadam ſit ſuſpenſus, neque ipſi canonici pro hora illa diſtributiones ipſas lucrentur.

(19)

De ſpectaculis in Eccleſia non faciendis.

Turpem etiam illum abuſum in quibusdam frequentatum eccleſiis, quo certis anni celebrationibus nonnulli cum mitra, Baculo, ac veſtibus pontificialibus more Epiſcoporum benedicunt; alii ut reges ac duces induti, in quibusdam regionibus nuncupatur; alii Larvales, & theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium ac mulierum facientes homines ad ſpectacula & cachinnationes movent; alii commeſſationes & convivia ibidem præparant: hæc ſancta ſynodus deteſtans, ſtatuit & Jubet tam ordinariis, quam eccleſiarum decanis & rectoribus, ſub poena ſuſpenſionis omnium proventuum eccleſiaſticorum trium menſium ſpatio, ne hæc aut ſimilia Ludibria neque etiam mercantias ſeu negotiationes nundinarum in eccleſia, quæ Domus orationis eſſe debet, ac etiam cæmeterio, exerceri amplius permittant; transgreſſoresque per

Digitized by Google

per cenſuram eccleſiaſticam, aliaque juris remedia punire non negligant. omnes autem conſuetudines, ſtatuta ac privilegia quæ his non corcordant circa hæc decretis, niſi forte majores adycerent pænas, irritas eſſe hæc ſancta ſynodus decernit.

Datum in ſeſſione publica, in eccleſia majori Baſileenſi ſolemniter celebrata, die Jovis nona menſis Junii, anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

(20)

SESSIONIS XXIII[a].

Decretum IV.

De Numero & Qualitate Cardinalium.

Cum ſummo Pontifici ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales in dirigenda republica collaterales aſſiſtant. neceſſe eſt, ut tales inſtituantur qui ſicut nomine, ita re ipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia univerſalis verſentur & ſuſtententur eccleſiæ ſtatuit igitur ſancta ſynodus, ut deinceps eorum numerus adeo ſit moderatus, quod nec ſit gravis eccleſiæ, (quæ nunc ob temporum malitiam plerisque gravibus affligitur incommodis) nec ſuperflua numeroſitate viteſcat. qui de omnibus chriſtianitatis regionibus, quantum commode fieri poterit, aſſumantur, ut notitia rerum in eccleſia emergentium facilius haberi, & ſuper his maturius deliberari poſſit: ſic tamen, quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc ſunt & aſſumendos non excedant, ita quod de una natione ultra tertiam par-

tem reſpectu Cardinalium pro tempore exſiſtentium, ac de una civitate & Dioeceſi ultra unum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc ultra tertiam partem habet usque ad ipſius tertiæ partis reductionem eſſe nequeant. ſint viri in ſcientia moribusque ac rerum experientia, excellentes, non minores triginta annis, magiſtri, Doctores ſeu Licentiati Cum rigore examinis in Jure divino vel humano. ſi ſaltem tertia vel quarta pars de Magiſtris aut Licentiatis in ſacra ſcriptura. inter hos autem viginti quatuor eſſe aliqui poterunt, admodum pauci, filii, fratres aut nepotes regum ſeu magnorum principum, in quibus cum circumſpectione & maturitate morum competens litteratura ſufficiat.

Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel ſorore Romani Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis, non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicujus criminis aut infamiæ nota reſperſi. prædicto autem numero viginti quatuor, pro magna Eccleſiæ neceſſitate vel utilitate, duo alii in quibus vitæ ſanctitatis vel eximiæ virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant, ac de Græcis (cum Romanæ Eccleſiæ uniti fuerint) inſignes aliqui viri adyci poterunt.

Non fiat Cardinalium electio ſolum per auricularia vota: ſed illi ſolum aſſumi poſſint, in quos, facto vero ſcrutinio ac publicato, majorem partem Cardinalium per ſubſcriptionem manus propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. deſuper etiam Apoſtolicæ Litteræ cum ſubſcriptione Cardinalium

nalium conficiantur, decreto hujus ſacri concilii in quarta ſeſſione ſolemniter publicato: quod incipit: Item cum multiplicatio Cardinalium, &c. in ſuo robore inviolabiliter permanſuro. cum recipient Cardinales ſuæ dignitatis inſignia, quorum ſignificatio eſt, ut pro bono univerſalis eccleſiæ ſanguinem proprium (ſi opus ſit) non vereantur effundere, Jurabunt in publico conſiſtorio, ſi ſint in curia; ſi vero abſentes, in manibus alicujus epiſcopi, & publice, cui per litteras Apoſtolicas, in quibus forma Juramenti inſerta ſit, commiſſum fuerit, in hunc modum:

Juramentum Cardinalis recens electi. Ego N. nuper aſſumptus in ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalem, ab hac hora inantea ero fidelis beato Petro, univerſalique & Romanæ eccleſiæ ac ſummo Pontifici, ejusque ſucceſſoribus canonice intrantibus: laborabo fideliter pro defenſione fidei catholicæ, exſtirpationeque hæreſum & errorum ac ſchiſmatum, reformatione morum, ac pace in populo Chriſtiano. in alienationibus rerum & bonorum eccleſiæ Romanæ, aut aliarum eccleſiarum & beneficiorum quorumcumque, non conſentiam, niſi in caſibus a Jure permiſſis: & pro alienatis ab eccleſia Romana recuperandis pro poſſe operam dabo. non conſulam quidquam ſummo Pontifici, nec ſubſcribam me, niſi ſecundum Deum & conſcientiam meam. quæ mihi per ſedem Apoſtolicam commiſſa fuerint fideliter exſequar. cultum divinum in eccleſia tituli mei, & ejus bona conſervabo, ſic me Deus adjuvet.

Digitized by Google

Pro conſervandis Cardinalium titulis, quorum aliqui tam in divino cultu quam ædificiis nimium, proh dolor, in opprobrium ſedis Apoſtolicæ & ipſorum Cardinalium collapſi ſunt; ſtatuit hæc ſancta ſynodus, ut de reditibus ſeu proventibus terrarum Romanæ Eccleſiæ, quorum medietas juxta conſtitutionem Nicolai Papæ ad Cardinales (ut prædictum eſt) pertineat, decima pars ejus quod ſpectat ad quemlibet Cardinalium proprio titulo ſingulis annis applicetur. et nihilo minus vel in vita vel in morte quilibet Cardinalis tantum proprio titulo relinquat, unde communiter una perſona ſuſtentari poſſit. quod ſi non fecerit, tam pro hoc, quam pro dicta decima parte, bona omnia ipſius Cardinalis obligata ſint usque ad debitam ſatisfactionem. et ad exſecutionem hujus, oneramus primum Cardinalem illius ordinis, de quo ille defunctus erat. viſitet per ſe quilibet Cardinalis præſens in curia, abſens vero per vicarium idoneum ſingulis annis titulum ſuum, clericosque & populum eccleſiarum ſubjectarum, & cum diligentia inquirat, & ſalubriter provideat ſuper cultu divino bonisque ipſarum eccleſiarum, ac vita & moribus Clericorum & Parrochianorum, de quibus, cum ſuæ ſint oves, in diſtricto Dei Judicio rationem redditurus eſt. & tam quoad tempus viſitandi, quam quoad alia, ſervet quæ inſtituta ſunt in Decreto noſtro de Conciliis ſynodalibus. etſi quemlibet Cardinalium tam ipſæ dignitas quam propria perurgeat. pollicitatio pro memoratis ſanctis Laborare operibus; nihilo minus ut eo efficacius res

fiant,

ſiant, quo ſingulis quaſi peculiariter diſtribuuntur, epiſcopi Cardinales indagare curent, quæ regiones hæreſibus, erroribus, ſuperſtitionibus novis aut veteribus infectæ ſint: presbyteri, ubi mores & divinorum mandatorum obſervantia, ac eccleſiaſtica diſciplina deficiant: diaconi, qui reges & principes ſeu populi bellis agitentur, vel agitari timeantur: & tamquam apes argumentoſæ tam apud ſummum Pontificem, quam inter ſeipſos diligenter ac acurate negotia hæc ſancta promoveant operam dantes, ut ubi neceſſarium fuerit, ſalubri remedio provideatur. ipſe autem ſummus Pontifex, tamquam Communis omnium Pater & Paſtor, non ſolum rogatus ac ſolicitatus, ſed proprio motu ubique inveſtiget inveſtigarique faciat, & quam poteſt omnibus filiorum morbis ſalutarem conferat medicinam. ſi quando Papam (quod abſit) negligentem aut remiſſum, ſeu agentem quæ ſtatum illius non decent, ipſi Cardinales inſpexerint; filiali reverentia & caritate tamquam patrem obſecrent, ut officio paſtorali honorique ac debito ſuo ſatisfaciat. & primo quidem aliquis vel aliqui de per ſe, deinde ſi ſe non corrigat omnes collegialiter accerſitis quibusdam notabilibus prælatis, prædicentes quod ſi non abſtinuerit, proximo generali Concilio deferent: nec pro ſalute ipſius ſummi Pontificis & bono publico ejus odium vel quidquam aliud timeant, dum tamen reverenter & caritative idagant. multo magis ſi quem ex Cardinalibus aliquid perperam ſeu reprehenſione dignum facientem Papa cognoverit, paterna ſemper cari-

tate

tate & Juxta Doctrinam evangelicam corrigat: ut ſic alter in alterum, pater in filios, & filii in Patrem caritatis opera exercentes, eccleſiam exemplari ac ſalubri moderamine Gubernent. Prælatos & quoſcumque alios, inſignes præſertim viros ad Curiam Romanam proficiſcentes, Cardinales benigne & honorifice tam publice quam private pertractent, & apud ſummum Pontificem eorum negotia gratis ac liberaliter recommiſſa faciant. et cum ei qui communis eſt omnium Pater, Cardinales aſſiſtant, perſonarum acceptatores fieri vel advocatos valde indecens eſt. propterea interdicit hæc ſancta ſynodus, ut tamquam judicis collaterales partialitatem nullam accipiant; etiamſi de terra partiali originem ducant. nec ſint principium aut communitatum, ſeu aliorum contra quemquam, cum pretio vel ſine, partiales protectores, aut defenſores; ſed exuti omnem paſſionem, in ſedandis concordia vel Juſtitia litibus Papæ aſſiſtant. principum autem & quorumcumque, præſertim pauperum ac religioſorum, gratis & ſine ullo quæſtu promovere Juſta negotia, tamquam caritatis opus, perſuadet ſancta ſynodus, & commendat. cum affabilitate & benignitate ſervent Cardinales gravitatem ac modeſtiam, quæ huic congruunt dignitati: pietatem autem quæ (ſecundum Apoſtolum) (2 Tim. 4.) ad omnia utilis eſt, ſervent ad omnes. Affines ſuos, præſertim bene meritos ac pauperes, quamquam negligere non debeant, non tamen ita ipſos opum aut beneficiorum multitudine accumulent, ut alii inde ſcandalum patiantur.

Caveant

Caveant ne bona ad ab eccleſiis profecta, ultra quam neceſſitatis ratio poſtulat, in carnem & ſanguinem effundant. cum tales ſic ambulare in magnis Pontifex inſpexerit, arguat atque obviet, ut decet: neque enim culpæ erit expers, ſi Juxta officium ſuum corrigenda non corrigat. familia menſa, ſupellex rerum & equorum tam Papæ quam Cardinalium, nec numeroſitate, nec faſtu, aut pompis, neque aliquo exceſſu reprehenſibilis ſit: ita domum & quæ in Domo ſunt Moderate componat, ut alii non ſcandalum, ſed frugalitatis capere exemplum poſſint. Tam ſummus Pontifex & Cardinales, quam ceteri epiſcopi, conſtitutionem beati Gregorii in generali ſynodo editam ſervare ſtudeant, cujus tenor hic eſt, quam hæc ſancta ſynodus innovat.

„Cum Paſtoris vita exemplo debeat eſſe diſcipulis, plerumque clerici, qualis in ſecreto ſit vita ſui Pontificis neſciunt, quam tamen ſæculares pueri ſciunt: de qua re præſenti decreto ſtatuimus, ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi, in miniſterio cubiculo Pontificali obſequantur, ut is qui in Loco regiminis eſt, tales habeat teſtes, qui veram ejus in ſecreto converſationem videant, & ex ſedula viſione exemplum profectus ſumant.„

„Paſchalis etiam Papæ verba advertant dicentis: Epiſcopi Lectioni & orationi vacent: & ſemper presbyteros & Diaconos, aut alios boni teſtimonii clericos habeant, ut ſecundum Apoſtolum,

lum, & ſanctorum patrum inſtituta, poſſint ireprehenſibiles inveniri. (1 Tim. 3.) non expedit reipublicæ, ut Cardinalibus, quos rebus arduis univerſalis eccleſiæ intentos fore oportet, aliæ cauſæ quam electionum eccleſiarum cathetralium, aut monaſteriorum, vel principum, aut univerſitatum, ſeu ſimiles, per Papam aut cancellariam delegentur. minores igitur litigoſæ cauſæ in auditorio Rotæ, quod ad hoc inſtitutum eſt, committantur. neque Papa, neque Cardinales familiares ſuos, quaſi munera accepturos, ad confirmatos vel proviſos prælatos de cetero mittant, ne quod per ſe facere non decet, per alios fieri patiantur. quod aliquando factum eſt, ut pro annullo in aſſignatione tituli Cardinalibus tradito poſt mortem ejus aliqua pecuniæ ſumma vel res alia de bonis ſuis arripiatur, de cetero non fiat: cum labores eorum pro republica impenſi exequias, ſi pauperes forent, potius de publico mereantur.

(21)

De Electionibus.

Licet dudum hæc ſancta ſynodus, abolita per eam generali omnium Eccleſiarum Et dignitatum electivarum reſervatione, provide decreverit, ut prædictis eccleſiis & dignitatibus per canonicas electiones & confirmationes provideri deberet, volens etiam ſpeciales ſeu particulares ipſarum eccleſiarum & dignitatum electivarum prohibere reſervationes, per quas libera in eisdem eligendi & confirmandi facultas impediri poſſet; quodque adverſus

verſus hoc Decretum Romanus Pontifex nihil attentaret, niſi ex magna rationabili & evidenti cauſa, in Litteris Apoſtolicis nominatim exprimenda: quia tamen contra ipſius Decreti mentem non pauca ſine hujusmodi cauſa geſta ſunt, unde gravia hactenus ſucceſſerunt, & graviora in dies timentur ſcandala: Cupiens hæc ſacro ſancta ſynodus his obviare, nolensque ut ipſius Decreti mens, quæ fuit omne obſtaculum a canonicis electionibus & confirmationibus tollere, ſuo fruſtretur effectu; ſtatuit ut electiones in dictis eccleſiis ſine impedimento aut obſtaculo omnino fiant, quæ cauſa cognita juxta Juris communis & dicti noſtri decreti diſpoſitionem confirmentur. verum tamen ſi forte aliquando contingat electionem aliquam etiam alias canonicam fieri, quæ in perturbationem eccleſiæ aut Patriæ vel boni publici vergere timeatur; Summus Pontifex, cum adipſum confirmatio delata fuerit, ſi talem urgentiſſimam cauſam adeſſe manifeſte cognoverit, ea prius mature diſcuſſa, ac parte plene defenſa, accedente poſtea Romanæ eccleſiæ, Cardinalium, aut majoris partis ſubſcriptione, hujusmodi cauſam veram ſufficientemque fore atteſtantium, rejecta tali electione, ad capitulum vel conventum remittat, ut vel infra tempus Juris vel aliud, Juxta loci diſtantiam, ad aliam, ex qua evenire talia non formidentur, electionem procedant.

(22)

De Reſervationibus.

Et quia multiplices eccleſiarum & beneficiorum hactenus factæ per ſummos Pontifices reſervationes non parum eccleſiis oneroſæ exſtiterunt; ipſas omnes tam generales quam ſpeciales ſive particulares de quibuſcumque eccleſiis Et beneficiis, quibus tam per Electionem, quam collationem, aut aliam diſpoſitionem provideri ſolet, ſive per extravagantes, ad regimen, & exſecrabilis, ſive per regulas cancellariæ, aut alias Apoſtolicas conſtitutiones introductas, hæc ſancta ſynodus abolet: ſtatuens ut de cetero nequaquam fiant, reſervationibus in corpore Juris expreſſe clauſis, & his quas in terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi ſeu utilis dominii, mediate vel immediate ſubjectis fieri contigerit, dumtaxat exceptis.

(23)

De Clementina, Litteris.

Licet in Apoſtolicis vel aliis Litteris quibuscumque aliquem dignitati, beneficio, aut juri cuicumque renuntiaſſe, aut privatum eſſe, ſeu aliquid egiſſe, per quod Jus proprium auferatur, narratum ſit, hujusmodi Litteræ in his non præjudicent, etiamſi ſuper ipſis gratia vel intentio narrantis fundetur, niſi per teſtes aut alia legitima conſtiterit documenta.

Datum

Digitized by Google

Datum in ſeſſione publica hujus ſacræ ſynodi, in eccleſia majori Baſileenſi ſolemniter celebrata, octavo Kalendas Aprilis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto.

(24)

SESSIO XXX.

Super modo Communionis.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto Legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Ut Lucidius videatur pro declaratione catholicæ veritatis, quid circa perceptionem ſacræ euchariſtiæ tenendum ſit, & agendum pro utilitate & ſalute populi chriſtiani, poſt diligentem perſcrutationem divinarum ſcripturarum, ſacrorumque canonum Et Doctrinarum a ſanctis patribus & doctoribus Traditarum, in hac ſancta ſynodo Longis temporibus habitam, conſideratisque omnibus quæ pro declaratione hujus rei conſideranda fuerunt. decernit & declarat eadem ſancta ſynodus, quod fideles Laici ſive clerici communicantes, & non conficientes non adſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum. ſed Eccleſia, quæ regitur ſpiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet usque ad conſummationem ſæculi, (ſicut ait divina ſcriptura (Matth. 28.) ordinare habet, quomodo ipſis non conficientibus miniſtre-

tur prout pro reverentia ipſius ſacramenti & ſalute fidelium viderit expedire. Sive autem ſub una ſpecie, ſive ſub duplici quis communicet, ſecundum ordinationem ſeu obſervantiam eccleſiæ, proficit digne communicantibus ad ſalutem. nec ullatenus ambigendum eſt, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integre totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſueto communicandi Laicum populum ſub una ſpecie ab eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſime obſervata, & a Doctoribus divinæ legis ſacrarum ſcripturarum atque canonum multam peritiam habentibus, Jam a Longævo tempore commendata, pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt reprobare, aut ſine auctoritate eccleſiæ ipſam immutare.

Datum Baſileæ in noſtra ſolemni & publica ſeſſione decimo Kalendas Januarii, anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

(25)

SESSIONIS XXXI.

Decretum de Collationibus beneficiorum.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto Legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Placuit divinæ pietati hoc tempore animos hominum qui variis abuſibus irretiri cæperant vehemen-

mentius excitare, ut ſalus quæreretur cunctorum, & per ſynodum univerſales mores eccleſiæ in melius reformarentur, cum ſalutari directione capitis & membrorum in viam Juſtitiæ & ſanctitatis. quod ut facilius atque ordinatius fieret, & ne ſub prætextu variarum opinionum aut Romani Pontifices, aut alii quicumque, non ſatis univerſalibus conciliis obedirent; prædiſpoſuit eadem divina pietas in ſacro Conſtantienſi Concilio ſynodorum univerſalium Jurisdictionem ita Declarari, ut nulli relinqueretur ambigendi occaſio, cum decreto ſolemni diffinitum exſtitit, univerſale concilium habere auctoritatem immediate a Chriſto, cui quilibet, cujuscumque ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis fuerit, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad exſtirpationem ſchiſmatis, & reformationem eccleſiæ Dei in capite & in membris ac pertinentibus ad ea. Dum autem hæc cura reformandæ eccleſiæ huic ſanctæ univerſali ſynodo Baſileenſi incumbit, hoc unum ſingulari ſolicitudine proſequendum arbitratur, ut per ſingulas eccleſias miniſtri inſtituantur idonei, qui ſcientiis & virtutibus effulgeant, ad Chriſti gloriam & univerſi populi Chriſtiani ædificationem ſalutarem: cui rei grave impedimentum hactenus afferre viſa eſt gratiarum exſpectativarum multitudo quæ gravem ordini & ſtatui eccleſiaſtico perturbationem, variasque inordinationes ac plurima diſcrimina comperitur injeciſſe. ex his enim frequentius dati ſunt eccleſiis miniſtri non probati, nec cogniti: vacaturorumque beneficiorum exſpectatio, quæ,

 ſicut

ſicut antiqua Jura teſtantur, occaſionem deſiderandæ mortis alienæ preſtare ſolet, quod plurimum præjudicat animarum ſaluti; ſed & inſuper lites innumeræ & contentiones inter ſervos Dei excitantur, rancores & Jurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorum fovetur ambitio, facultates ac pecuniæ regnorum & provinciarum mirum in modum exhauriuntur, pauperes diſcurrendo ad Romanam Curiam innumerabiles vexationes ſubeunt, & inter viarum diſcrimina nonnumquam ſpoliantur, occiduntur, ac variis affliguntur peſtibus: atque etiam ſuis patrimoniis ac parentum opibus exhauſtis gravi egeſtati ſubjacere coguntur. plurimi absque Juſto titulo beneficia ſibi vindicant; & non quibus de Jure debentur illa obtinent, ſed nonnumquam ſic, quibus aut circumveniendi proximum major aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit uberior: ſub involutionibus quoque prærogativarum antelocutionum, aliorumque hujusmodi gratias Concomitantium, fraudes plurimas & deceptiones Contingit inveniri. juvenibus etiam, qui ſtudio litterarum & virtuoſis operibus intendere deberent, datur materia evagandi, qui ſæpius per litium anfractus & varios diſcurſus ratione gratiarum ipſarum turbantur & inquietantur. ordinariis Collatoribus ſuum miniſterium ſubtrahitur, & confunditur ordo eccleſiaſticus, dum unicuique ſua Jurisdictio non ſervatur. romanique Pontifices, dum officia inferiorum nimium ſibi vindicant, a majoribus & magis fructuoſis operibus univerſale bonum concernentibus retrahuntur,

nec

Digitized by Google

nec inferiorum directioni atque correctioni invigilant, ſicuti publica utilitas expoſcit. quæ omnia gravem confuſionem ſtatui clericali & ſacerdotali in diſpendium divini cultus & præjudicium publicæ ſalutis afferunt: poſſentque graviorem in futurum afferre ruinam, rebus his in deteriora Jugiter prolabentibus, niſi provideretur in adverſum. volens itaque hæc ſancta ſynodus ſuper his opportunum remedium adhibere, ſtatuit & decernit, ut Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, eas deinceps gratias exſpectativas aut nominationes nullo modo nullave ex cauſa concedat; cum ipſe præ cæteris, ne ſit tantorum occaſio malorum, abſtinere debeat. fruſtra enim inferioribus inhiberetur, ſi ipſe, qui talis aliis debet eſſe omnium bonorum & virtutum exemplar, non abſtineret. ut enim ille ſanctiſſimus & doctiſſimus Leo Papa *) inquit, totius familiæ Domini ſtatus & ordo mutabitur, ſi quod inquiritur in corpore non invenitur in Capite. integritas etiam præſidentium, ſalus dignoſcitur eſſe inferiorum. Ceſſentque de cetero Jam factæ: & tam ipſæ, quam etiam fiendæ, ſi quæ fiant, nullæ ſint ipſo facto: exceptis illis gratiis & nominationibus ſuper quibus proceſſus jam ſint expediti, quas ex certis rationabilibus cauſis in octo menſibus, quibus hactenus curſum conſueverunt habere tolerandas duximus, donec aliter fuerit ordinatum. reſervationes etiam particulares, quæcumque fuerint, beneficiorum

 vaca-

*) In Epiſtola 65. ad Africanos epiſcopos, cujus initium eſt: Cum in ordinationibus.

vacaturorum, tam per Romanos Pontifices quam per legatos ſedis Apoſtolicæ, de cetero nullæ ſint ipſo facto. non tamen intendit prohibere hæc ſancta ſynodus hoc præſenti decreto, quo minus futuri Romani Pontifices tempore Pontificatus ſui, modo honeſto & convenienti, de uno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem beneficia, & de duobus ubi fuerint quinquaginta, & ultra, disponant: ita tamen ut in eadem eccleſia Cathedrali, vel collegiata, duas præbendas ſuo tempore non conferant, ut qualificationes Graduatorum inferius deſignatæ in ipſis præbendis ſuum valeant ſortiri effectum. neque etiam collationes per præventionem fiendas intendit impedire, decreto noſtro de Reſervationibus, quoad cetera, & aliis decretis hujus ſanctæ ſynodi in ſuo robore duraturis. ut vero cæteri ad quos beneficiorum dignitatum, perſonatum, officiorum, & adminiſtrationum Collatio, ſeu quævis diſpoſitio ſpectat, ad providendum litteratis viris & ſcientia perornatis ſpecialius adſtringantur, voluit eadem ſancta ſynodus certas qualitates vivorum litteratorum & graduatorum deſignari, quibus certo ordine debeat provideri, prout inferius annotatur. adyciens quod ſi per Prælatos & doctores alicujus nationis in hoc concilio conſiſtentes pro bono ſuæ nationis aliter circa hujusmodi qualificationes diſponendum videatur in futurum, quidquid per illos fuerit ordinatum, & in generali congregatione præſentis concilii concluſum, extunc prout extunc ratum & firmum habeatur, & vim decreti habeat, ac ſi

in

in præſenti decreto de verbo ad verbum expreſſum foret. quod ſi quis cujuſcumque ſtatus, etiamſi Cardinalatus, patriarchalis, pontificalis, aut alterius cujuslibet dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes (ut præmittitur) deſignatas vel deſignandas, de ipſis beneficiis, dignitatibus, perſonalibus, officiis & adminiſtrationibus quovis modo diſpoſuerit, eo ipſo ſit irritum & inane. Collatioque hujusmodi ac proviſio, ſeu quævis diſpoſitio, ad ſuperiorem proximum devolvatur, qui ſimiliter habeat providere: quod ſi non fecerit, ad alium ſuperiorem proximum devolvatur, gradatim usque ad ſummum Pontificem aſcendendo. non volumus tamen ordinarios collatores, & eos ad quos præſentatio ſeu alia quævis diſpoſitio beneficiorum ſpectat, in quatuor menſibus, quibus præfatæ gratiæ exſpectativæ vel nominationes curſum non habent, donec ipſæ gratiæ & nominationes ad eorum collationem, proviſionem, præſentacionem ſeu diſpoſitionem conceſſæ ceſſaverint, ad qualificationes infra ſcriptas obſervandas adſtringi.

(26)

Sequuntur qualificationes & ordo in conferendis beneficiis per ordiuarios, de quibus ſupra tactum eſt.

Primo cum generalis Concilii ſtatuta ſancte ordinatum exſiſtat, quod quælibet eccleſia metropolitica teneatur & debeat unum habere Theologum, qui ſua doctrina & prædicationibus fructum ſalutis afferat; ordinat hæc ſancta ſynodus, quod ex-

tendatur hujuſmodi ordinatio ad Eccleſias Cathedrales, taliter videlicet, quod quilibet collator ipſarum præbendarum teneatur & debeat Canonicatum & præbendam, quam primum facultas ſe obtulerit, & inveniri poterit, uni magiſtro Licentiato, vel in Theologia baccalaureo formato conferre, qui per decennium in univerſitate privilegiata ſtuduerit, & onus reſidentiæ ac lecturæ & prædicationis ſubire voluerit; quique Bis aut ſemel ad minus per ſingulas Hebdomadas, Ceſſante legitimo impedimento, legere habeat; & quoties ipſum in hujuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli in ſubtractione diſtributionum totius hebdomadæ puniri poſſit. & ſi reſidentiam deſeruerit, de alio provideatur. verum tamen, ut liberius ſtudio vacare poſſit, nihil perdat cum abſens fuerit a divinis. inſuper quod in qualibet eccleſia cathedrali vel collegiata, ultra prædictam præbendam Theologo (ut præmittitur) aſſignandam, tertia pars præbendarum conferatur graduatis alias idoneis modo & forum infra ſcriptis: ſic quod prima vacatura hujuſmodi graduata, & deinde poſt alias duas ſequens eo modo conferatur, & ſic deinceps. videlicet magiſtris aut licentiatis ſeu Bacalaureis formatis in Theologia, qui per decennium in aliqua univerſitate privilegiata: doctoribus ſeu licentiatis in altero Jurium vel medicina, qui per ſeptem annos in ſua facultate ſtuduerint in univerſitate ut ſupra: magiſtris ſeu licentiatis in artibus, cum rigore examinis, qui per quinquennium in aliqua univerſitate a logicalibus

bus incluſive & ſupra in artibus, vel in alia ſuperiori facultate ſtuduerint: nec non in Theologia, qui per ſex annos; vel in utroque aut in altero Jurium, Bacalaureis, qui per triennium, ſi nobiles ex utroque parente, & ex antiquo genere, alias autem per quinquennium Conſimiliter in aliqua univerſitate privilegiata ad minus ſuum ſtudium fecerint: qui de prædictis gradibus, tempore & nobilitate ſupra dictis fidem facere teneantur collatori per legitima documenta. exhortamur tamen ordinarios collatores, quod in conferendis beneficiis hujusmodi, præſertim quoad dignitates, reſpectum habeant ſingulariter ad Magiſtros, nec non licentiatos & Bacalaureos formatos in Theologia in dignitatibus vero non electivis, perſonatibus, adminiſtrationibus & officiis dictarum Eccleſiarum, idem ordo, modus & forma in omnibus obſerventur, quod ſi quis exdictis qualificatis, tempore vacationis præbendæ ſeu dignitatis hujusmodi alias duas obtineat præbendas, ſeu dignitates & præbendas, vel aliud ſeu alia beneficium aut beneficia, quod vel quæ, reſidendo in altero ipſorum & horis divinis intereſſendo, valeret ſeu valerent usque ad ſummam ſeu æſtimationem ducentorum florenorum Cameræ; ſimiliter quicunque duas præbendas Cathedrales obtinuerit, nullatenus in ipſa tertia parte includi ſeu comprehendi cenſeatur. in eccleſiis autem parochialibus, quæ in civitatibus aut villis muratis exiſtunt, inſtituantur perſonæ, ſic ut ſupra qualificatæ, aut ad minus qui per tres annos in Theologia, vel in altero

Jurium, ſeu Magiſtri in artibus, qui in aliqua univerſitate privilegiata ſtudentes fuerint, & hujusmodi gradum adepti fuerint, ſi tales potuerint inveniri, qui voluerint hujusmodi beneficiis deſervire. & ut facilius inveniri poſſint ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quod quolibet anno, durante tempore quadrageſimæ, omnes & ſinguli hoc modo qualificati, de ipſa dioeceſi & alii qui voluerint, habeant per ſe vel per procuratorem ſua nomina exhibere illis ad quos beneficio rum Curatorum collatio vel præſentatio ſpectat, ſeu eorum vicariis. quod ſi non fecerint, collatio ſeu præſentatio, vel diſpoſitio aliter, quam, (ut præmittitur) facta, non propter hoc irrita cenſeatur. & ſimiliter in collatione tertiæ partis præbendarum ſuperius memorata intelligatur, ſi tot graduati ſeu qualificati modo præmiſſo potuerint inveniri: teneanturque (ut præmittitur) ipſi graduati & qualificati ſua nomina tempore prædicto ipſis ad quos beneficiorum diſpoſitio ſpectat, ſeu eorum vicariis, exhibere per ſe vel per procuratorem. quod ſi non fecerint, collatio ſeu præſentatio vel diſpoſitio aliter quam (ut præmittitur) facta non propter hoc irrita cenſeatur. ſi autem illi, ad quos beneficiorum quævis diſpoſitio, ſpectat, contra ſupradictarum qualificationum deſignationem & ordinem aliquod beneficium contulerint, ſeu ad ipſum præſentaverint, & quomodolibet diſpoſuerint, ſit ipſo facto irritum & inane, velut ſuperius præmiſſum eſt. & nihilominus per conſilia provincialia, cum in his defecerint, aut etiam perſonis non idoneis quoquo

modo

modo providerint, juxta tenorem conſtitutionis Concilii generalis, quæ incipit, grave de præbendis, corrigantur & debite puniantur. illi vero, ad quos beneficiorum regularium ſpectat collatio ſeu diſpoſitio, prætermiſſis indignis, eadem religioſis idoneis conferant & aſſignent. quod ſi aliter fecerint, per eorum ſuperiores & capitula provincialia corrigantur, & debite puniantur.

Datum in ſeſſione noſtra publica, in majori eccleſia Baſileenſi ſolemniter celebrata, nono Kalendas februarii, anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo.

XLIII.

TRACTATVS DE NEVTRALITATE.

Frequens generalium Conciliorum celebracio agri dominici precipua cultura eſt, que vepres, ſpinas & tribulos hereſum, errorum & ſciſmatum exſtirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam domini ad frugem uberrime fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus premiſſa diſſeminat atque fouet. Hæc preteritorum temporum recordacio & preſencium conſideracio ante oculos noſtros ponunt. Quapropter ſancimus hoc edicto perpetuo, decernimus atque ordinamus; ut ammodo generalia Concilia celebrentur, ita quod primum a fine hujus Concilij in quinquennium

nium immediate ſequens, ſecundum vero a fine illius immediate ſequentis concilij in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis, que ſummus pontifex per Menſem ante finem cujuslibet Concilij approbante & conſenciente concilio, vel in ejus defectum ipſum concilium deputare & aſſignare teneatur, ut ſic per quandam continuacionem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendenciam exſpectetur; quem terminum licet ſummo pontifici de fratrum ſuorum ſanctе Romane eccleſie Cardinalium conſilio ob emergentes forte cauſas aliquas abbreuiare ſed nullatenus prorogetur, locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum absque euidenti neceſſitate non mutet; ſed ſi forte Caſus aliquis occurreret, quo neceſſarium videretur, ipſum locum mutari, puta obſidionis guerrarum, peſtis aut ſimilium, tunc liceat ſummo pontifici de predictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione alium locum prius deputato loco viciniorem et aptum ſub eadem tamen nacione ſubrogare niſi idem vel ſimile impedimentum per totam illam nacionem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem alterius nacionis locum aptum hujusmodi concilium poterit conuocari, ad quem prelati & alij, qui ad Concilium ſolent convocari, accedere teneantur, ac ſi a principio locus ille fuiſſet deputatus, quam tamen loci mutacionem vel termini abbreviacionem teneat ſummus pontifex legitime & ſollempniter per annum ante prefixum terminum publicare et intimare,

Digitized by Google

mare, ut ad Concilium predictum celebrandum predicti poſſint ſtatuto termino conuenire. Si vero, quod abſit, in futurum ſciſma oriri contingeret, ita quod duo vel plures pro ſummis pontificibus ſe gererent, a Die quo ipſi duo vel plures inſignia pontificatus publice aſſumpſerint, vel miniſtrare ceperint, intelligatur ipſo jure terminus concilij tunc fore ultra annum pendens ad annum proximum abbreviatus. Ad quod omnes prelati, & ceteri, qui ad Concilium ire tenentur ſub penis juris & alijs per concilium imponendis absque alia vocacione conueniant, nec non Imperator ceterique Reges & principes vel perſonaliter aut per ſolempnes nuncios tanquam ad commune incendium extinguendum per viſcera miſericordie Domini Jeſu Chriſti ex nunc exhortati concurrant, & quilibet eorum ſe pro Romano pontifice gerencium infra menſem a Die, qua ſcienciam habere poterit alium vel alios aſſumpſiſſe papatus inſignia vel in papatu adminiſtraſſe, teneatur ſub interminacione maledictionis eterne & amiſſione juris, ſi quod forte ſibi queſitum eſſet in papatu, quam ipſo facto incurrat; & ultra hoc ad quaslibet dignitates actiue vel paſſiue ſit inhabilis. Concilium ipſum ad decennium predictum loco prius deputato celebrando indicere & publicare & per ſuas literas congregare; & competitori vel competitoribus ipſum vel ipſos prouocando ad cauſam & ceteris prelatis & doctoribus & principibus, quantum in eo fuerit intimare, nec non in termino prefixo ſub penis predictis ad locum concilij perſonaliter ſe transferre,

ferre, nec inde diſcedere, donec per concilium cauſa ſciſmatis plenarie ſit finita. hoc adjecto: quod nullus eorum contendencium de papatu in ipſo concilio ut papa preſideat. Quinymmo ut tanto liberius eccleſia unico & indubitato paſtore gaudeat, ſint ipſi omnes de papatu contendentes, poſtquam dictum concilium inceptum fuerit, auctoritate hujus ſancte ſynodi ipſo jure ab omni adminiſtratione ſuſpenſi nec eis aut eorum alteri, donec Cauſa ipſa per Concilium terminata fuerit, quomodolibet a quocunque ſub poena fautorie ſciſmatis obediatur. Quod ſi forte electionem Romani pontificis. &c. &c.

Ex ſupradicto capitulo nonnulli minus attente conſiderantes dicunt fundari, quod in caſu rebellionis moderne, quam *Gabriel de Condulmario*, vocatus olim *Eugenius* papa IIII fecit, & continue facit contra ſacrum Baſilienſe Concilium, ſicut ordinatum eſt tempore ſciſmatis duorum aut plurium ſummorum pontificum, quod neutri eorum obediatur, donec cauſa ſciſmatis per concilium terminetur. Ita ergo nunc licet ipſe *Gabriel* fuerit per Concilium depoſitus tamquam hereticus & multipliciter criminoſus a papatu, tamen quia nolens acquieſcere ſciſma fecit in eccleſia Dei, quod licitum eſt, &, ut dicunt, ſic impedit ad pacem eccleſie, quod nec obediatur ipſi ſacro Concilio, nec papæ depoſito, ſed, quod licet, animos tenere in ſuſpenſo, donec Principes temporales perſonaliter vel per oratores ſuos in unum conueniant locum & ibi videatur, quid ſit agendum, hoc autem quod

necdum

necdum verum ſed nec veriſimile judicari poſſit ex tenore dicti decreti deducitur quadruplici conſideracione: *Prima* ex conditione et proprietate generalis concilij, conſtat namque, quod pena non obveniente imponitur pro cauſa ſcismatis, proprietas autem ſive conveniens operacio Generalis Concilij eſt exſtirpare ſcisma non facere, unde nullatenus propter ſcisma debet ei non exhiberi obediencia, ymmo ut per generale concilium omne ſcisma tollatur, omnis veneracio & reverencia ei debetur a quibuscunque fidelibus. ſi vero aliquis dicat, quod Concilium facit ſcisma, qui hoc aſſerit, ſimili modo dicere poterit, quod introducit errores vel hereſes in eccleſia dei. Qui autem ſic loquitur, animadvertat de periculo; Etenim cum ab orrigine militantis eccleſie ex declaratione in generalibus concilijs facta, quantum ad ea, que ſunt credenda & operanda ab omnibus Catholicis pro ſtatu ſalutis eterne ſit tradita forma & menſura; ita ut, quod admodum conſtat ex bulla *Martini* pape *quinti* ſacro approbante Conſtancienſi Concilio ſub dato VIII Kalendas Marcij pontificatus ſui anno primo, quod generale Concilium approbauit & approbat in favorem fidei & ad ſalutem animarum, hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum, & quod condempnat eſſe fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem eſt pro condempnato tenendum & aſſerendum, ſi quis imponit generali Concilio, quod facit ſcisma, introducit hereſim vel errores, cum id, quod contempnit, contempnit, determinat Generale Con-

cilium

cilium ab univerſis fidelibus te●ndum ſit & credendum. Iam ergo aſſerendum eſſet, quod omnes Catholici obligarentur de neceſſitate ſalutis ſcisma facere, ſequi & credere hereſim vel errorem; Equidem omnis tenentur acquieſcere determicacioni generalis Concilij in hijs, que pertinent ad fidem vel animarum ſalutem. Nam ut dicitur illa famoſa reſponſione ſynodali, quae incipit: *cogitanti beredicus.* ille fateri debet, qui putant in hijs, que ad fidem ſeu bon s mores pertinent, errare poſſe generale Concilium. Quod igitur generale Concilium introducat in eccleſia Dei ſcisma, hereſim vel errorem nullus dicere poſſet, niſi qui vellet fidem Catholicam exponere fluituacioni & incertitudini, que quidem tunc exponitur, quando imponitur generali Concilio, quod ſcisma facit, introducit hereſim vel errorem. Et enim ſi generali Concilio non creditur, cui erit credendum? cum Apoſtolus doceat Galath. I. quod eciam ſi Angeli de celo aliud Ewangelicent, quam quod eccleſia ewangelizauit anathema ſit. Unde cum proprie ad generale Concilium pertineat exſtirpare ſcisma, errores, hereſes, nullatenus generali Concilio competit, ſcisma facere. Hoc autem manifeſte probatur ex principio dicti C. *Frequens*; ſic enim dicit: Frequens Generalium Conciliorum celebracio agri dominici precipua cultura eſt, que vipres, ſpinas, tribulos hereſium, errorum & ſcismatum exſtirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrime fertilitatis adducit, illorum vero neglectus premiſſa diſſeminant

nant

nant atque fovent. Itaque cum ex premiſſis conſtet, quod generali Concilio competit exſtirpare ſcisma hereſes & errores. Nullatenus recte judicat, qui imponit generali concilio facere ſcisma; ſi enim ex hoc quod deponit ſummum pontificem unus vel plures adhuc viventes & contradicentes, elegitque alium, per quem eccleſia Dei utiliter gubernetur, diceretur ſcisma facere. jam ergo ſacrum Conſtancienſe Concilium diceretur ſcisma feciſſe, eo quod immeritos depoſuit duos; videlicet *Joannem XXIII.* & *Benedictum* XIII ſe gerentes pro ſummis pontificibus, elegitque alium in papam videlicet *Martinum*, eo tempore, quo adhuc vivebant predicti duo & alius tercius, ſuo tempore nominatus *Gregorius XII.* ſimili modo diceretur de ſacro Pyſano Concilio. Non enim generale Concilium declarans juſticiam & veritatem dicitur ſcisma facere, ſed qui nolunt acquieſcere ſentencie generalis concilij ſunt cauſa ſcismatis nec ſufficienter excuſat, quod generale Concilium tunc ſolum debeat proferre ſentenciam contra ſummum pontificem, quando ad ſtatim execucio parata exiſtit. ſic namque *Samuel* propheta diceretur ſcisma feciſſe in Regno Jſraelitico, quando ex mandato Dei vivente adhuc *Saul* Rege unxit *David* in Regem ejusdem Regni. Equidem plene execucio non fuit facta, per multos annos poſtea, & quod majus eſt, quia, licet poſt mortem *Saulis* filius ejus fuerit in Regem ſusceptus, nichilominus tamen ipſe *David*, ad quem de jure pertinebat Regnum, quam ſui fautores proſecuti ſunt conſtanter electionem di-

vina inſpiratione factam de perſona ſua, donec obtinuit Regnum pacifice. Aliud Exemplum eciam ſuffragatur de *Abachar* ſummo ſacerdote depoſito, adhuc eo vivente, Rex *Salomon*, qui eum abjecit, conſtituit *Sadoch* in ſummo ſacerdocio III Regum II Simile legitur de *Helizeo* propheta, qui vivente Rege *Achab* & pacifice regnante fecit inungi in Regem *Iſrael* yen filium *Joſaphat* eo occiſo cum uxore ac LXX filijs ſuis obtinuit Regnum ejus. Eſt etiam aliud exemplum de *Joiada* ſummo pontifice, qui *Athalia* Regina pacifice regnante conſtituit *Joran*, cui de jure Regnum debitum erat in Regem *juda*, & occiſa eſt ipſa *Athalia* & violenter extracta de templo domini IV. Reg. Non licet amplius extendere Sermonem, quoniam ſi predicta excuſacio locum haberet, vix aut nunquam aliqua policia poſſet ſubſiſtere. Item arguendo ex conditione generalis Concilij manifeſte patet, quod dictum C. *frequens* non habet locum in præſenti caſu, dicit enim quod in caſu ſcismatis uterque contendencium tenetur venire ad generale Concilium, & ſuum competitorem ad cauſam provocare. Certum eſt namque, quod generale Concilium non poteſt eſſe competitor in papatu, quoniam eſſe non poteſt, & ſic nullatenus ad concilium Generale extenditur pena predicti capituli, quod determinat neutri competitorum eſſe obediendum. Item patet, cum dicitur, quod ſub poena amiſſionis juris, ſi quod forte in papatu queſitum foret, & namque generale Concilium, quia papa eſſe non poteſt, nec poteſt acquirere jus in papatu, nec amittere jus

quod

quod ſibi queſitum eſſet in illo. Amplius idem probatur ex verbo & ad quaslibet dignitates active & paſſive ſit in habile. Et enim quia generalia Concilia ſicut papa neque Cardinalis, patriarcha, archiepiſcopus vel Epiſcopus &c. eſſe non poteſt, ita nec poteſt ei competere pena, quod ad hujusmodi dignitates active vel paſſive ſit inhabile. Sicque ergo patet ex condicione concilij, quod cum ei non competat, ſcisma facere, nec papa eſſe poteſt, nec amittere jus in papatu, aut eſſe inhabile ad quaſcumque dignitates, que pena imponitur contra ſcisma facientes, quod nullatenus ex dicto C. *frequens* poteſt fundamentum aſſumi, ut in caſu preſenti non obediatur ſacro Concilio Baſilienſi.

Secundo hoc patet ex parte remedij, quod in caſu ſcismatis adhibetur per dictum C. videlicet, quod ſi terminus inchoacionis Concilij ſit forte tunc pendens ultra annum, quod intelligatur infra annum abbreuiatus. Conſtat igitur ex ipſius intencione, quod ſi tempore, quo dicitur, eſſe ſcisma in eccleſia Dei, quod, ſi tunc concilium actu celebretur, ad illud debet recurri pro extinquendo ſcismate. Nam cum diſponat abbreviacionem fieri per inchoacionem Concilij, multo magis intendit eſſe recurrendum ad Concilium, quod actu celebratur, patet eciam hoc ex clauſula; in eodem cap: ſubjungitur: Videlicet quod ſi infra annum, infra diem indicti Concilij ſcisma contingeret, vel aliquis eſſet electus in ſummum pontificem per metum aut impreſſionem, quod teneatur ſtatim ve-

nire ad Concilium, itaque voluit, quodcumque ſcisma contingeret, ſtatim recurri debere ad generale Concilium, quod actu celebraretur, vel cujus proxima immineret celebracio. Item hoc patet ex verbo, quod infra ſcribitur, quod omnes tenentur venire ad generale Concilium, tamquam ad commune incendium extinguendum; equidem quanto ardet domus, pro extinguendo igne recurritur ad aquam, que in fonte vel flumine actu exiſtit, nec exſpectatur futura de celo pluvia ut primo paludes repleat. Ex predicto verbo tamquam ad commune incendium extinguendum verificatur conſideratio ſuppoſita„ quod non recte imponitur generali concilio facere ſcisma. Nam per omnes fideles debet recurri ad generale concilium pro tollendo ſcismate, tamquam ad commune incendium extinguendum. Itaque generale Concilium videtur eſſe extinctio ſcismatis. 3°. ex dicto C. ſi in caſu preſentis ſcismatis applicari deberet, manifeſte haberetur, quod quia jam tranſivit annus, & ipſe olim *Eugenius* numquam perſonaliter comparuit in ſacro Baſilienſi Concilio, quod ergo jam multo tempore perdidit adminiſtrationem, ſi quam habebat in ipſo papatu. Eſt enim plus quam annus, quod ipſe manet in ſcismate & juxta diſpoſicionem dicti C. gerens ſe pro ſummo pontifice tempore ſcismatis, poſtquam incepit Concilium auctoritate ſancte ſynodi Conſtancienſis ipſo jure eſt ab adminiſtratione ſuſpenſus; propterea non ſolum, quod adminiſtrationem perdidit, ſed elici poſſet, quod amiſit omne jus, quod ei umquam forte compecijt

Digitized by Google

pecijt in papatu, quia a tempore per eum cauſati ſcismatjs numquam comparuit in Concilio generali, quod ipſe ſcit actu celebrari, & ſic a Catholicis Epiſcopis, principibus & alijs fidelibus reputari.

Tercio quod in congrue hijs diebus inducatur dictum C. *frequens* ad faciendam predictam animorum ſuſpenſionem, racione tenoris patet, ibi namque dicitur: quod infra annum poſtquam inceperit Concilium, ſint ipſi contendentes ab adminiſtracione ſuſpenſi, & quia Baſilienſe Concilium ceperit adminiſtrare ea, que ad ſedem apoſtolicam pertinent, a tempore ſuſpenſionis facte de ipſo olim *Eugenio* ab anno cum dimidio & amplius quomodo ergo nunc primo agitur de ſuſpenſione animorum. Nec opponi ab eis poteſt, quod culpabiliter egerit, tanto tempore adminiſtraſſe in hijs, que pertinent ad apoſtolicam ſedem; hoc enim fecit concilium ſuperſedendo in proceſſu ad inſtancias Regum ac principum.. Præterea ſi ob hoc, quod Concilium Baſilienſe intromiſit ſe de hijs, que pertinent ad papam, dicitur facere ſcisma, jam ergo feciſſe ſcisma dicetur ab octo annis vel amplius; equidem conſtituit collatores a tempore premiſſo annatarum, recepitque ex ipſis pecunias, conceſſitque diſpenſaciones, beneficia & indulgencias plenarias, fecitque alia quam plurima, que ſolita erant fieri per ſummum pontificem. Item cum ſacrum Concilium Conſtancienſe poſt depoſicionem pape *Joannis XXIII.* usque ad electionem *Martini*

ni pape quinti, que ſecuta fuit poſt annum cum dimidio, manum appoſuit in quam multis pertinentibus ad ſummum pontificem; jam ergo dicetur, ſcisma feciſſe. Habet tamen in hoc pre ceteris Concilijs laudem ſingularem, quod exſtirpavit ſcisma de eccleſia Dei, hoc eciam idem dicetur de Senenſi Concilio, quod equidem conceſſit indulgencias plenarias capientibus hereticos vel bannientibus de domibus ſuis. Non enim in bulla dicti *Martini* pape ad oratores ſuos expreſſe continebatur, quod concedere poſſent indulgencias plenarias; unde ſi ob hoc, quod generale concilium facit aliunde ea, que pertinent ad ſummum pontificem, dicitur ſcisma facere. Vix aut numquam aſſignari poteſt, generale Concilium, cui opponi non poteſt, quod ſcisma introduxerit. Legitur namque in hyſtoria tripartita lib. I. C. III. de primo Nyceno Concilio ſub *Criſpo* & *Conſtantino* Ceſaribus atque conſulibus, Romane quidem eccleſie *Silueſtrius* preſidebat, *Alexandrie* autem *Alexander* & Iheroſolymorum, *Macarius* Antiochie, que eſt apud orientem poſt Romanum nondum quisque fuerat ordinatus perſecucionibus prohibentibus, non longo poſt tempore hy, qui in Nycena collecti ſunt eloquijs ammirantes *Euſtachium* dignum approbarunt ſedi apoſtolicæ preſidere. Et cum eſſet Epiſcopus Nycene eum in Antiochiam tranſtulerunt. Simili modo poſſet allegari de alijs Concilijs generalibus, quomodo diſpenſaciones, indulgencias eccleſias beneficia & officia conceſſerunt, ſed compendij gratia ſubſiſtitur. Hec eſt

enim

enim veritas, prout habetur in ſynodali reſponſione, que incipit: Sperauit hactenus; quod de quibuscunque negocijs tocius eccleſie facultatem habet Concilium Generale. Nam quemadmodum poteſt condere ſtatuta & raciones, quibus ordinat de modo, forma & tempore, in quibus tam papa, quam alij deberent de negocijs Eccleſie diſponere, ita & per ſe ipſum diſponere poſſit. Itaque allegacio illa, quia Baſilienſe Concilium facit ea, que pertinent ad ſummum pontificem; Ideo tamquam ſcisma facienti poteſt ei non obediri, ſimiliter & ex ipſo inferetur, omnia generalia concilia feciſſe ſcisma, & tamen nobis non eſt alia fides Catholica, niſi que declarata & confirmata eſt per hujusmodi generalia Concilia. Nec fideles Catholici ſperant, ſe ſalvandos in alia fide, niſi in ea, quam firmarunt & declararunt generalia Concilia, que ſedente eciam unico ſummo pontifice indubitato fecerunt quam plurima de hijs, que dicuntur pertinere ad apoſtolicam ſedem.

Quarto quod ſubtractio obediencie in caſu ſciſmatis, ſiue dicatur per modum pene, ſiue per modum remedij, non extendatur ad Concilium generale, in caſu preſenti inducitur ex preeminencia judicij, ut enim patet ex dicto C. quibus eorum, qui gerit ſe pro ſummo pontifice, vel in papatu adminiſtrat. Et ſic dicitur fieri ſciſma, citatur, aut comparere tenetur in generali concilio ad ſuſcipiendum judicium, Generale autem concilium non habet ſuperiorem judicem in terris, coram

 quo

quo debeat comparere; unde ab ipſo nullatenus appellatur, nec eciam ad Chriſtum ſedentem in celo. Nam hujusmodi appellacio, quod ſit erronea & ſcandaloſa, diffinitum eſt per ſacrum Conſtancienſe concilium in ſeſſione. Item quod non liceat in Generali Concilio appellare expreſſe habetur XI actione Calcedonenſis concilij; ita enim dicitur: declaratum eſt, ut ab electa ſynodo non liceat appellari; Jſti igitur hic ipſa electione ſunt dampnati, hec eſt fides patrum, qui preter iſta ſapit, hereticus eſt; Qui vero aliter ſapit, anathema ſit. Ceſſet igitur jam prophana contencio, nam vere impius, atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſentenciam opinioni ſue tradendum aliquid relinquit quisquis enim poſt veritatem repertam aliquid uberius diſcutit, mendacium querit. De hoc enim expreſſius dicitur actione nona in VIII Toletano Concilio, itaque cum generale Concilium non habeat ſupra ſe judicem in terris, nullatenus poteſt argui contra ipſum ex dicto C. *frequens*, quod diſpoſuit ſciſma facientes debere comparere in generali Concilio tamquam coram competenti judice ſuo. Præterea ibi agitur, quod debeat terminari ſciſma per Concilium jam indictum per eccleſiam primo, hodie autem nullum eſt generale Concilium eccleſie, niſi ſacrum Baſilienſe Concilium, nec locus aliquis expreſſe aſſignatus eſt per eccleſiam, ubi concilium celebrari debeat in futurum, ut ad illud recurratur, tamquam ad commune incendium extinguendum. Item quando ſunt plures facientes ſciſma tunc per

C.

C. *frequens* diſponitur, eis non eſſe obediendum, poſtquam Concilium inceptum fuerit. Si igitur fortaſſis aliquis locus aſſignatus dicatur, pro futuro celebrando Concilio, ad quod debet recurri per omnes tamquam ad commune incendium extinguendum, & hoc reſpectu dicatur non eſſe obediendum Concilio Baſilienſi, donec cauſa ſciſmatis per illud aliud Concilium futurum terminetur. Jam ergo hoc fieri non deberet, donec illud Concilium inciperet celebrari. Amplius non obediatur tempore ſciſmatis duobus aut pluribus contendentibus de papatu hoc recepimus determinatum, quod quando fiet hoc, fiet auctoritate ecclesie videlicet ſancte ſynodi Conſtancienſis, ut patet ex dicto C. *frequens.* Quod autem nunc non obediatur ſacro Concilio Baſilienſi, ſed liceat obedienciam ſuſpendere; hoc non fit aliqua auctoritate ecclesie. Non enim umquam reperitur determinatum, quod in caſu quo per Generale Concilium papa propter ſua determinata a papatu deponitur, liceat uni vel pluribus archiepiſcopis vel alijs exemptis aut jurisdictione ordinaria ſubtrahere ſe ab obediencia, ad quam tenentur racione ſuarum ecclesiarum vel perſonarum. Item quod in eorum arbitrio conſtitutum ſit pro tempore ſibi placito eſſe vel non eſſe obediendum; Tunc enim inferior ſuo tenetur obedire ſuperiori, quando precipit ei. Ex premiſſis igitur omnibus euidentiſſime patet, quod dictum capitulum *frequens* nullatenus eciam apparenter probat illud, ad quod allegatur, quod moderno tempore, quia dictus *Gabriel* facit rebel-

lionem, & non vult acquieſcere ſentencie Baſilienſis concilij, quod ideo liceat profitentibus ſacrum Baſilienſe concilium ſuſpendere animos, ut ipſi concilio non obediatur. Quinymo ex intencione dicti C. euidenter habetur, quod omnes tenentur recurrere ad dictum concilium pro tollendo ſciſmate tamquam ad extinguendum commune incendium, & ibidem exiſtens una cum eodem concilio prouidere de bono & ſalutari regimine eccleſie. Illud autem precipue attendendum eſt, quod ſi dictum C. *frequens* reciperet ſenſum, prout illi opinabantur, numquam poſſet reformacio fieri per Concilium Generale. Nam cum nullus Doctus Chriſtianus ignorat ſtatutum Generalis ſynodi nullam ſedem magis exequi oportere quam primam, quodque Romanus pontifex pre ceteris cuſtodire debet canones univerſalium conciliorum, ſi contingat, ſicut jam in olim *Eugenius* Experiencia demonſtrauit, quod ſummus pontifex obſeruare contempnit decreta Generalis Concilij, & transgreſſoribus tribuit fauores indebitas. Ex qua re plurima turbacio & ſcandala vexabunt eccleſiam. Unde tunc neceſſe erit procedere aduerſus eum, ſi alias ſpontanea trahi non poſſit eciam pro depoſicione. Et quia nec per minimum tempus licet in Eccleſia deficere ſupremam poteſtatem ad providendum ſaluti animarum & debito juſticie ipſo depoſito poteſtas prouidendi in hijs eciam, quantum ad exercicium competeret generalibus Concilijs. Si ergo, quia generale Concilium in eo caſu exerceret ea, que pertinent ad papam, diceretur, facere ſciſma,

nun-

Digitized by Google

numquam ergo procedere deberet adverſus ſummum pontificem. Unde apparet, quod ceſſaret effectualis reformacio eccleſie, niſi vocetur illa reformacio, que fieret pro libito ſummi pontificis. Equidem vix aut nullus ſummus pontifex ſpontanee aſſentiret ſue depoſicioni, ad quam neceſſe eſt, per eccleſiam veniendi, quomodo ſummus pontifex reſiſtit reformacioni, que pertinet ad fidelium ſalutem & regimen Eccleſie. Preterea ſi ob hoc, quod Concilium procedit aduerſus ſummum pontificem, cujus perſona, ut effectualiter depellatur a ſede, in poteſtate non habet, ſciſma facere, dicitur: jam igitur numquam liceret, ferre ſentenciam, niſi quando perſona pape teneretur in carcere; ex quo euidenter quisque intelligere poteſt, quod manifeſta datur occaſio ad ſediciones, ut videlicet, poſtquam Generale Concilium, quod eſt legitimus judex pape, examinauerit cauſam, quam primum ſe facultas obtulerit, ut apponatur manus fortaſſis priuata in perſona ſummi pontificis; & qui ſic apponetur, priuatam manũm in ſummum pontificem ſperare, aut preſumere poſſet, de immunitate ſibi concedenda a concilio, ex quo per operam ipſum concilium a ſciſmate excuſatur valde, quodcunque concilium congregabitur ad reformacionem eccleſie in capite & in membris, ex ea re euidens occaſio preſtabitur ad hujusmodi faciendum ſediciones. Preterea ex hujusmodi intellectu manifeſte preſtatur occaſio, quod generale Concilium eo ipſo, quod deponit ſummum pontificem, debet immediate concedere ad electionem

alte-

Digitized by Google

alterius, qui potens ſit ipſum, qui depoſitus eſt, violenter expellere, nec exſpectare vel per pauciſſimos dies, ut ſentencia primo ſit notificata, vel quod informacio fiat, quam juſte lata ſit, aut quod depoſitus expellatur a ſede, vel non obediatur eidem. ſi enim ex dicto C. velint predicti concludere, quod tempore medio inter depoſicionem ſummi pontificis & electionis alterius licet tenere animos in ſuſpenſo, ut non obediatur pape depoſito, vel generali Concilio ob hoc, quod quia providet eccleſie in hijs, quæ pertinent ad ſedem apoſtolicam, dicitur facere ſciſma. Tunc igitur, ut hujusmodi occaſionem preſcindat, ſtatim procedet ad electionem. Preterea dicta ſuſpenſio animorum, ut non obediatur pape nec generali concilio, cum non ſit licita, nec diuine legi conformis, ſed fortaſſis illi contraria, vel alias multiplicitur erronea aut ſcandaloſa manifeſtum eſt, quod nunquam fuit, nec eſt de intencione dicti capitis, *frequens*: Non enim eſt de intencione dicti canonis editi per ſanctam generalem ſynodum, ille ſenſus, qui non eſt licitus, nec divine legi conformis, ſed fortaſſis illi contrarius, vel alias erroneus aut alias ſcandaloſus, de quo ſtatim infra dicetur. Ex hijs igitur euidentiſſime patet, quod nullatenus ex dicto C. *frequens* elici poſſit ille ſenſus, quod in Caſu rebellionis & ſciſmatis, quod predictus olim *Eugenius* fecit & facit contra ſacrum Baſilienſe concilium liceat quibuſcunque fidelibus, cujusuis dignitatis ſint, tenere animas in ſuſpenſo, ut non obediatur ipſi concilio, vel quod idem liceat ipſis, ſubtra-

ſubtrahere ſe ab obediencia ſacri Baſilienſis Concilij, ad quam tenentur ex declaratione facta in concilio Conſtancienſi. Equidem qualicumque vocabulo ſeu nomine conentur aſſerere, non obedire ſacro generali concilio apoſtolica ſede vacante, non multum diſtat a ſubtractione obediencie; utrum autem ſit cauſa juſtificatiua hujusmodi inobediencie & contemptus, quia dicitur quod non perpetuo ſed ad incertum tempus videlicet usque quo diffiniatur per ſacrum Generale vel aliud Baſilienſe concilium, non erit facile ut ſic fore licitum defendatur.

Ad probandum, quod in caſu moderni ſciſmatis & rebellionis, quam facit dictus *Gabriel* contra ſanctum ſynodum Baſilienſem non liceat quibuscunque fidelibus, ſubtrahere ſe ab obediencia dicti ſacri Baſilienſis Concilij, quaſi per quandum viam neutralitatis aſſerentibus, quod tempore moderno licet tenere animum in ſuſpenſo, donec per aliud Concilium generale diffiniatur, cui ſit obediendum, videlicet an ipſi *Gabrieli* depoſito, vel ſynodo univerſali, que eum depoſuit, quodque tempore medio liceat cuique metropolitano tenere in ſua dioceſi vel provincia ſupremum tribunal judicij, ad quod debeat recurri per omnes ſubditos pro habenda juſticia, nec interim obediatur proceſſibus generalis Concilij tam in factis Eccleſie, quam ſingularium perſonarum; Si ex parte ipſius *Gabrielis* contrarij proceſſus fulminati fuerint & fulminentur. Itaque tempore prelibato non ſit

danda

danda aliqua certa ſuprema auctoritas judicij, ad quam debeat per fideles recurſus haberi. Aduerſus hujusmodi neutralitatem videtur obſtare multipliciter rectum judicium racionis & quam plurime auctoritates ſacre ſcripture. Eſt namque notum ſcientibus principia moralia phiſice ſeu politice quod pro regimine ordinato alicuius multitudinis homini eſt neceſſario aſſignanda aliqua ſuprema auctoritas uel poteſtas, per quam legibus ſcriptis vel verbo ſimplices homines, quorum major eſt multitudo, quam ſapientum; debeant ſuas actiones & opera revelare, quemadmodum exemplariter videmus, quod hijs, qui eandem domum cohabitant neceſſaria eſt preſidencia patris familias, qui vel per ſe ipſum vel alium regat cohabitantes in domo. Simili modo videmus eſſe in quacunque civitate vel Regno. Et quem ad modum ad debitum Regimen multitudinis hominum neceſſaria eſt preſidencia, ita eciam ex parte ſubditorum neceſſaria eſt ſubjectio ad illam poteſtatem ſupremam. Iſta eſt doctrina Apoſtoli *Pauli* ad Roman. XIII. omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo ordinata ſit; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinacioni reſiſtit, qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnacionem acquirunt. Et quod hec ſubjectio non tam dependeat ex voluntate ſubditorum, quam ex doctrina ordinacionis, que diſpoſuit de neceſſitate ſalutis eſſe, omnem animam ſubditam fore ſublimiori poteſtati, patet non ſolum ex prædictis, ſed ex Concluſione quam idem Apoſtolus ſub-

ſubjungit, immediate dicens: ideo ex neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram ſed eciam propter conſcienciam. Nunc autem ex dicta neutralitate manifeſte ſequitur, quod non omnis anima ſubdita erit ſublimioribus poteſtatibus. Equidem anime omnium Patriarcharum, primatum, archiepiſcoporum, metropolitanorum, Epiſcoporum & omnium abbatum exemptorum, & aliorum quorumcumque, qui ex inſtitutione ſeu racione dignitatis vel officij, vel alias quomodolibet a jurisdictione ordinaria ſunt exempti, anime omnium iſtorum tempore medio non erunt ſubdite ſublimioribus poteſtatibus. Et cum magna multitudo iſtorum ſit in Chriſtiana Religione quin aſſueſcent in hujusmodi libertate foueri, ut ex hiis actibus nemini racionem cogantur reddere, ſuſpicio eſt, ut continuo ſciſma foueatur: Hoc a ſanctis omnibus docetur fuiſſe peccatum luciferi, quod noluit ſubjectus eſſe diuine poteſtati, ſed in ſua libertate manere, & nulli obedire, & cum hanc libertatem ſuggereret futuram eſſe hijs, qui ejus ſentenciam fouerent cupientes hujusmodi libertate gaudere, multi quaſi infiniti imitati ſunt eum, qui ſunt ex parte ejus. 2do neceſſaria eſt ſuprema preſidencia poteſtatis ad deciſionem queſtionum, que inter homines contingunt; etenim ut ſapiens teſtatur Eccleſiaſt. VII. Cum Deus fecit omne rectum, ipſe immiſcuit ſe infinitis queſtionibus. Itaque propria condicio hominum, prout modo exiſtit in ſtatu nature lapſe eſt diuerſas inter ſe opiniones fouere, & omnes niſi magna cum difficultate aut noto-

notoria rei evidencia in eandem concordare ſenten-ciam. Quoniam ergo tam in hijs, que ad fidem pertinent, vel ad bonos mores, quam eciam in multis alijs vix aliquod tempus aſſignari poteſt, in quo non ſit diuerſitas queſtionum vel ambigui-tatum inter fideles, ad hujusmodi queſtiones diri-mendas neceſſe eſt aſſignari ſupremum tribunal, per cujus diffinicionem inſtruantur omnes fideles, quid credendum, & quid operandum ſit juxta do-ctrinam Catholice fidei, cujus diffinicioni acquie-ſcere teneantur omnes fideles, alias ſi ſit dare plu-res ſupremas poteſtates videlicet omnium exemp-torum, de quibus ſupra facta eſt mencio, cum una judicio alterius acquieſcere non teneatur, nec ve-lit, ut ei ſubjecta non videatur; manifeſte ſequi poterit, ut quod iſta diffinierit, tenendum eſſe pro fide illa judicabit tamquam hereſim vel errorem, & ſic juxta numerum exemptorum hujusmodi con-tingit varietas in hijs, que pertinent ad Catholi-cam fidem, vel ad mores neceſſarios abſolute. Tali autem neutralitati manifeſte repugnare vide-tur ſacra ſcriptura Deutron. XVII. ſi difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris, & judicium inter partes videris, verbis variare, ſur-ge & aſcende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus, veniesque ad ſacerdotes leuitici gene-ris, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, que-rens ab eis, qui judicabunt tradi judicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui preſunt loco quem elegerit dominus, & docuerint te legem ejus, ſequerisque ſenteneiam eorum, nec decli-

nabis

Digitized by Google

nabis ad dextram nec ad ſiniſtram; qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis Imperio, decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de medio Iſrael: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Hec ubi ſupra Attendendum eſt verbum; Aſcende ad locum: ubi manifeſte docemur, quod non plura loca ſed unus & determinatus debet eſſe locus, ad quem debet recurri, quando inter fideles eſt aliquod difficile vel ambiguum. Ex dicta vero neutralitate manifeſte apparet, quod non unus locus, ſed multa, plura quam mille aſſignantur loca ad decidendum quarumcunque dubia queſtionum. Itaque euidenter ſcinditur connexio fidelis populi, & conſtituitur in diverſas partes. 3°. neceſſaria eſt ſupreme preſidencia poteſtatis ad offenſarum cohibicionem ſiue ſatisfactionem. Etenim quoniam inter homines facile contingunt offenſe; quoniam hij, qui ſunt potenciores, uſurpant aliorum bona, vel ipſorum offendunt perſonas, non alias conſiſtere poteſt humana ſocietas, niſi aſſignetur determinate ſuprema auctoritas judicij, que debeat cohercere improborum conatus, & querelantibus juſticiam miniſtrare, & liceat per eos, qui offenſi ſunt, dicere eidem, peccata eorum, qui offenderunt; hec eſt doctrina ſaluatoris Mathei XVIII. ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corrige eum, inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum; ſi autem te non audierit: adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum,

quod ſi non audierit eos, dic eccleſie; ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vóbis, quecumque alligaveritis ſuper terram &c. Ex hac doctrina manifeſte conſtat, quod peccata omnium fidelium, quando alias ſecreto corrigi nolunt, licet eccleſie dicere, ut ab ea judicium ſuſcipiant. Stante vero dicta neutralitate peccata dictorum exemptorum, quibus ſe invicem offenderent, aut ſubditos ſuos; jam non liceret eccleſie dicere, quia nullam poteſtatem eccleſie confitentur ſupra ſe eſſe, qua debeant judicium recipere. Et cum ex doctrina Ewangelij liceat peccatum fratris dicere eccleſie, omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, dicantur invicem fratres, quia credunt in nomine Dei, qui dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri Joan. primo.

Animadvertere poſſunt hujusmodi exempti, qui ſe ipſos Supremos in eccleſia conſtituunt, nec paciuntur, ut eorum peccata dicantur eccleſie, quomodo inter alios fideles reputandi ſunt tanquam fratres? et ſi dedignantur eorum fratres nominari, ne ipſorum peccata tamquam aliorum fratrum dicantur eccleſie, ſi non ſunt fratres filiorum Dei & eccleſie, cujus medio tempore dicentur filij? Equidem eccleſia, que mater eſt & magiſtra omnium fidelium, judicium habet & poteſtatem corrigendi ſuper omnes filios ſuos. Et ſi non ſunt filij eccleſie, in cujus ergo fide dicentur ſaluari? Non licet amplius extendere ſermonem, nam hujusmodi neutralitates, ex hoc ſolum reſpectu, quod nolunt ſe ſubmittere judicio eccleſie multi-

plici-

pliciter aggravari poſſunt. 4t°. eſt neceſſaria ſuprema preſidencia poteſtatis ad conſervationem ipſius Chriſtiane Religionis, nam diviſa contra ſe invicem ſtare non poteſt. ut enim ſalvator docet in Ewangelio Matthei XII. omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur. Conſtat autem ex dicta neutralitate, quod Religio Chriſtiana in tot partes dividitur, quot ſunt capita hujusmodi exemptorum; Unde merito ex ipſa populo Chriſtiano imminet periculoſus interitus; adeo autem periculoſus interitus, quod ex hujusmodi neutralitate videtur fieri illa diſceſſio, de qua loquitur Apoſtolus II. Theſſal. dicit namque glo. ordinaria ac multi ſancti & doctores, quod intelligitur de diſceſſione ab Imperii obediencia ſpiritualis; hoc autem Imperium primo competit univerſali eccleſie, a qua alibi vel in majori parte non legitur, quod hodie fuerit facta diſceſſio preteritis temporibus, etenim quantumcumque hodie in eccleſia fuerint plura ſciſmata, quando unus vel plures ſe gerebant pro ſummo pontifice, omnes illi fideles, qui obediebant alteri ex ipſis arbitrabantur, ſe obedire judicio univerſalis eccleſie. Itaque per hujusmodi ſciſmata non fiebat diſceſſio ab obediencia uniuerſalis eccleſie. Nunc autem, cum prædicti exempti non confiteantur ſupra ſe aliquam poteſtatem, nec unus alteri acquieſcat tamquam habendi poteſtatem univerſalis eccleſie, manifeſtum eſſe videtur, per hujusmodi neutralitatem diſceſſionem fieri ab obediencia univerſalis eccleſie. Ad premiſſa fortaſſis poterit ab aliquo reſponderi,

Digitized by Google

ri, quod licet dicta neutralitas non videatur ex ſe licita, poteſt tamen verificari ex quadruplici cauſa: prima quod hujusmodi exempti per quemcumque actum vel proteſtationem numquam intendunt recedere ab obediencia ſancte ſedis Apoſtolice & Sancte Matris eccleſie. 2da. quia cum conſtituerint mediatores pacis, per hujusmodi neutralitatem intendunt, quia volunt ſe abſtinere ab omni parcialitatis reſpectu 3a. quando ipſis apparet, quod hujusmodi controverſia inter Concilium & olim *Eugenium* ſit dubium probabile & ad preſens indiscutibile. 4ta. quia ſic neutralitatem ſervando dicunt ſe ſperare, cicius poſſe pervenire ad pacem.

Quantum ad primum dicunt hujusmodi exempti, quod nullatenus intendunt, per hanc neutralitatem ſeparare ſe ab obediencia univerſalis eccleſie, ymmo tamquam deuoti filij ejusdem intendunt ſemper, eam venerari, ipſiusque determinationibus ac Mandatis acquieſcere & obedire,, ut autem videatur, quod hec Reſponſio ſit effectualis, interrogandum eſt ab ipſis, ubi ſit illa eccleſia? cui obedire intendunt; cum enim non ſit, niſi duplex ſtatus eccleſie ſcilicet militantis & triumphantis, vel ergo dicunt, ſe velle obedire eccleſie, que militat in terris, vel que triumphat in celis. creditur quod non intelligant de eccleſia dupliciter dicta; hec enim eccleſia, quam Chriſtus fundavit, & cui credidit regnum coelorum in terris, dicitur militare, & non adhuc triumphare in celis; Equidem prout habetur Mathei XVI. eccleſia fundata

eſt

eſt ſuper petram immobilem vere confeſſionis fidei, & claves regni celorum, quas commiſit ſe daturum, exercicium ſuum habent in terra, dixit enim Chriſtus ad Petrum qui confeſſus fuit, eum eſſe filium Dei viui; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ſcilicet confeſſionis vere fidei, quam feciſti, edificabo eccleſiam meam. Conſtat autem ex doctrina apoſtoli I. ad Corint. XIII. quod fides non eſt in eterna beatitudine, & per conſequens eccleſia fundata ſit ſuper veram confeſſionem fidei, neceſſe eſt intelligi de eccleſia militante. Item patet ex verbo ſequenti, cum in perſona eccleſie ſalvator dixit ad Petrum, & tibi dabo claues regni celorum, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in celo &c. hoc eciam manifeſte apparet ex doctrina ipſius Mathei XVIII. cum dixit: dic eccleſie, ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus & publicanus, amen dico vobis, quodcumque ligaveritis in terra &c. Nec in alio quovis loco omnium Ewangeliorum reperitur a Chriſto dictum nomine eccleſie, niſi in hijs duobus tantum locis, in quibus manifeſte patet, quod loquitur de eccleſia, que eſt in ſtatu militante. Idem etiam evidenter apparet conſideranti doctrinam apoſtoli Pauli, ubicumque de eccleſia facit mencionem eciam I. Theſſal. III. ubi dicit, quod eccleſia eſt columpna & firmamentum veritatis. Si vero reſpondeatur ad iſta, quod hujusmodi neutralitatem ſervantes intendunt eſſe obedientes eccleſie non triumphanti, ſed militanti, cum ad preſens, qui ipſi ignorant, ubi ſit eccleſia, ut-

pote an in *Florencia*, aut in *Baſilea*; Hinc eſt quod ſuſpendunt animos ſuos in obediendo, donec illis eluceſcat, ubi ſit eccleſia; Taliter reſpondentes incidunt in majus inconveniens, videlicet quod eccleſia eſt ignotum & occultum. Nam doctrina Ewangelij & ſanctorum doctorum habet, quod eccleſia eſt quid notiſſimum & occulta eſſe non poteſt. Unde Auguſtimus in ſermonem Apoſtolorum Petri & Pauli & incipit: iſtum vobis diem dicit, quod eccleſia non eſt obſcura, neque cooperta, non enim poſſit ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta. Item Chriſoſt. ſuper Math. docet, quod eccleſia ciuitas Dei de qua dicta ſunt glorioſa, a Deo eſt poſita ſupra montem, qui eſt Chriſtus, quod eciamſi iſta latere voluerit, mons qui eam portat, faciet eam omnibus manifeſtam. Unde merito animadvertere debet qui taliter reſpondet, nam dicere, quod neſcitur, ubi ſit auctoritas eccleſie ſuprema in terris, cujus judicio acquieſcere teneantur omnes fideles; Iſtud eſt ſcutum, ad quod omnes errantes a fide ſe finaliter reſoluunt. Dicunt enim, quod ipſi tamquam filij deuoti volunt acquieſcere & obedire determinacioni & mandatis ſancte Matris eccleſie, ſed tamen, que aut ubi ſit illa ſancta Mater eccleſia, ubi debeant obedire, ipſi neſciunt. Et hoc eſt maximum periculum in Chriſtiana Religione. Nam ex hoc ſequitur, quod nullus poſſit corrigi ab erroribus ſuis vel alijs delictis, quinymmo ſacramenta eccleſie & articuli fidei conſtituuntur in dubio & vacillacione. In

cujus

Digitized by Google

cujus namque fide dicetur, quis baptizari, & cujus auctoritate a peccatis abſolui. Preterea ſupra dicta reſponſio eſt nimis periculoſa, eo quod facit ridiculoſam omnem preſidenciam jurisdictionis. Non enim ſufficit ſubditis alicui Archiepiſcopo Epiſcopo vel Abbati dicere, Ego volo obedire Archiepiſcopo Mediolanenſi, aut Epiſcopo Paduano, vel abbati ſancte Juſtine, ſed quod obediant tali vel tali ſic nominato. Ita ergo non ſufficit conſtituentibus hujusmodi neutralitatem dicere, quod volunt eſſe obedientes eccleſie militanti in terris, ſed oportet, cum ipſi profiteantur, ſe velle obedire eccleſia, que in terris militat, quod obediencia ſua ſit ad illam eccleſiam, quam illi pro tali reputant, & nominant eam. Et cum eciam poſt dpoſicionem pape olim *Eugenij* IV. ipſi nominant ſacrum ſynodum Baſilienſem; Generale autem concilium nihil aliud eſt quam eccleſia legitime congregata, excuſari non poſſunt, quin ejus determinacioni & mandato acquieſcere & obedire teneantur. ſi enim profitentur, ſe velle obedire eccleſie, cum ejus legitima congregacio, ſicut eſt, in generali Concilio non determinat eccleſie auctoritatem, ymmo adauget, quia virtus unita major eſt ſe ipſa diſperſa, neceſſe eſt ut obediant eccleſie legitime congregate in Generali concilio. Amplius ſi dicunt ſe credere, quod Concilium generale ſit illa eccleſia cujus judicio acquieſcere & obedire tenentur omnes fideles, quamquam ipſi eam ſic nolunt nominare & intendunt venerari, tamen ad preſens licet eis non obedire, nec ipſius

concilij facere voluntatem, ſed prout eis videbitur operari, ad pacem ecclefie, ac pro ſuo judicio obedire vel non obedire alteri vel neutri. Attendant, qui hoc dicunt, ad doctrinam Ewangelij Matth. VII. Non omnis, qui michi dicit, domine domine, ſaluus erit, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in celis eſt, ipſe intrabit in regnum celorum. Et infra ſubjungitur, ut quis ſalvus fiat, non ſatis eſt ipſi, quod prophetet in Chriſti nomine, aut demonia ejiciat, vel alias virtutes & miracula faciat, niſi humiliauerit ſe, quod obediat diuine Voluntati & impleat patris ſui voluntatem, cum juxta ſcripturam prorſus ſeruanda ſunt precepta patris & non pretergredienda lex Matris, & ſic neceſſe eſt omnibus fidelibus, obedire preceptis ecclefie ut ſalui fiant.

Allegabatur cauſa juſtificativa dicte neutralitatis, quia diſceptio inter concilium & papam eſſet dubium probabile, adeoque liceret animos in ſuſpenſo tenere usque ad deciſionem, quinymmo eſſet dubium indiſcutibile, & quaſi tenebroſa aqua in nubibus aeris, ut euidenter cognoſcatur, quantum prouidere valeat hec cauſa juſtificatiua, attendendum quod quatuor ſunt cauſe, ſuper quibus videtur principaliter eſſe hujusmodi diſceptatio; quia ipſe olim *Eugenius* noluit ſuſcipere decreta Concilij, & ab alijs facere obſeruari, quia delatus, notorie ſuper criminibus, quia absque ejus conſenſu diſſoluit concilium, & ipſo durante aliud erexit, & ſic introduxit ſciſma in ecclefia Dei, quia

quia repugnauit veritatibus fidei, quodlibet iſtorum dividitur in diſtinctionem juris & facti. Quantum ad primum, quod eſt in facto, ipſimet neutralitatem conſtituentes nullatenus dubitant, ſciunt enim per concilium facta eſſe decreta de electionibus, Annatis, cauſarum diffinicionibus, collacionibus beneficiorum, de ſublatis reſeruacionibus alijsque multis; quodque ipſe *Gabriel* tempore ſui pontificatus illa non ſeruauit, nec illa attendit, quinymmo ad ipſorum contraria leuando annatas utendo reſeruacionibus„ De jure autem eciam eisdem ſatis notum exiſtit, quod juxta declaracionem Concilij Conſtancienſis ſtatutis, mandatis ordinacionibus pertinentibus ad reformacionem eccleſie cujuſcumque generalis Concilij legitime congregati, quilibet fidelis, eciamſi papalis dignitatis, obedire tenetur. Quod autem dicta decreta per Concilium edita pertineant ad reformacionem eccleſie, patet manifeſte ex acceptationibus eorundem per inclitas Gallicanam & communiter Germanicam naciones factis ſollempniter. Item quo ad 2dum de jure nulli dubium eſt, quod ſi ipſe *Gabriel* taliter fuit criminoſus, quemadmodum fuit judicatus per concilium, quod merebatur juſte a papatu deponi, de facto fortaſſis ipſimet exemti non dubitant, ſed non poſſunt racionabiliter ignoranciam pretendere, cum ſciuerint, ſuper hoc agitur in Concilio Generali, cui tenentur, debent aut poſſunt per ſe vel per ſuos intereſſe, & vel intereſſe noluerunt, veritas autem criminum, prout in facto conſiſtit, coram judice debet conſtare,

 vix

vix aut numquam juſtitia locum haberet, ſi non primo fieret execucio, que de veritate criminum conſtaret omnibus regnicolis aut ciuibus. Preterea ad 3um multo minus poteſt allegari dubium probabile, nam poſtquam ipſe *Gabriel* dixit, ſe diſſoluiſſe concilium & erexit aliud, habuitque ſecum Imperatorem patriarcham & alios de eccleſia Grecorum, quam dicebant nonnulli fuiſſe legitimam cauſam diſſolutionis hujusmodi neutralitatem conſtituentes. Confeſſi ſunt & continue confitentur Baſilienſe concilium eſſe generalem ſynodum univerſalem eccleſiam repreſentantem, nec umquam Ferrarienſem aut Florentinam congregationem nominarunt tamquam Generale Concilium. Eſt enim determinatum in VIII ſeſſione tamquam pro articulo fidei catholice, quod durante Baſilienſi concilio aliud eſſe non poteſt, quodque erigentes aliud ſunt rei ſciſmatis, & aliud non generale concilium ſed debet appellari conuenticulum ſciſmaticorum. Quod autem non licuerit eidem *Gabrieli* diſſoluere generale Concilium & precipue Baſilienſem ſynodum, ſatis patet ex quampluribus allegacionibus factis tempore prime diſſolucionis ſpecialiter in dicta famoſa epiſtola ſynodali: *cog'tanti.* & in alia: *ſperauit.* ex alijsque multis ad preſens non recitandis; ſed ſpecialiſſime hoc apparet ex tenore ipſius adheſionis, per quam ſollempniter promiſſit, quod ipſum Baſilienſe concilium pure, ſimpliciter & cum effectu ac omni deuocione proſequeretur, & deinceps a novitatibus, grauaminibus ſeu prejudicijs inferendis ipſi ſacro Con-

Concilio, vel ſuppoſitis ejus & adherentibus eidem, realiter & cum effectu deſiſteret. Quod autem introduxit ſciſma in eccleſia Dei per hujusmodi diſſolucionem evidentiſſime omnibus patet; nullus namque negare poteſt duas congregationes actu ſimul eſſe in eccleſia ſub nomine generalis Concilij, multo grauius periculoſius, formalius & euidencius ſciſma eſſe, quam duos ſimul ſe nominantes ſummos pontifices & pro talibus ſe gerentes; & quoniam confitentes unum ex eis eſſe verum & legitimum papam, communiter dicere habent, alium & ſibi adherentes ſciſma facere. per omnes igitur profitentes Baſilienſem congregationem eſſe generalem ſynodum, univerſalem eccleſiam repreſentantem dicendum erit, olim *Eugenium* cum conſtituentibus ſuum conventiculum Ferrarienſe aut Florentinum, ſciſma introduxiſſe, & ſciſma continuare in eccleſia Dei; Non enim hec duo ſtare poſſunt, quod congregacio Ferrarienſis aut Florentina ſit ſciſmatica, & ipſe *Gabriel*, qui eam ex certa ſciencia erexit, nec amonitus deſiſtere voluit, ymmo ſpontaneus perſeuerat continuando non feciſſe ſciſma, dicatur itaque 3um ſupra dictum nec de jure aut de facto hujusmodi exemptis nominantibus ſacrum Baſilienſe eſſe generale Concilium poteſt eſſe probabile dubium. De quarto vero, quod ipſe *Gabriel* repugnauit pertinaciter veritatibus fidei non minus hoc evidentiſſime eſt notum tam in jure quam in facto, ſed de hoc fit mencio alias in tercia relacione, ubi declarantur quatuor puncta circa materiam fidei,

&

& tercium ipſorum tangit hoc propoſitum, facit eciam ad hoc, quod dictum eſt ſuper 2do notato dubio, quod nullatenus excuſat dubietas hujusmodi & exemptorum, vel ignorancia, cum ſciuerint, de hoc materiam agitari in generali Concilio, & intereſſe noluerunt, per premiſſa igitur ex inductione colligendo illa, ſuper quibus ipſe *Gabriel* repugnat, hactenus ſacro Concilio manifeſte apparet, quod nullum eorum eſt probabile dubium. ſi autem dicatur, quod nullum iſtorum eſt illud, quod pretendunt hujusmodi exempti probabile dubium. ſed quia in radice clare palam predicatur auctoritas, eo quod ſacrum Baſilienſe concilium confirmat, papam teneri obedire decretis, & ordinacionibus generalis Concilij. Ipſe autem *Gabriel* econtra, ſi de hoc intelligatur, manifeſtum eſt, quod nullatenus illud poteſt dici probabile dubium; nam dubium probabile dicitur, circa quod licet cuilibet fideli contrarie opinari. Abſit autem a mente cujuslibet Chriſtiani, quod circa declarationem fidei factam per eccleſiam liceat cuiuis catholico in contrarium diſſentire, vel quomodolibet dubitare. Et quoniam ut dictum eſt, in ſacro Conſtancienſi concilio facta eſt hec determinacio, quod generali Concilio, quilibet fidelis, eciamſi ſit ſummus pontifex, obedire teneatur, nullo modo igitur de hoc eſt probabile dubium, ex quo ſemel, ymmo pluries hec queſtio fuit per eccleſiam diffinita, & tota Chriſtianitas conquieuit in pace, acceptauitque ipſam declarationem, ut veritatem fidei. Eſto eciam ſi poſtea inſurrexit

contra

Digitized by Google

contra dictam declarationem fidei major pars, vel ſaltem magna multitudo Chriſtiane Religionis, eſſentque eciam de prelatis & principibus maxime, quomodo hujusmodi econtrario reſiſtentes eſſent illi, quorum honor uel ſtatus ex dicta declaratione purgaretur, liceret conſiderare, que ab antiquo geſta leguntur. Conſtat enim, quod poſt declaracionem fidei, quod filius Dei eſſet conſubſtancialis patri factam per eccleſiam in concilio Nyceno contra Arium & ſequaces ſuos ſubſtinentes oppoſitum, fortaſſis major multitudo Epiſcoporum in oriente & occidente tenuerunt pro aliquo tempore cum Arianis. Et Liberius ſummus pontifex hoc idem, quo tempore eciam per Arianos celebrata ſunt multa concilia ut dicta veritas jam euaneſceret. Sed Anaſtaſius in oriente, Euſebius autem in occidente, cum illis, qui permanſerunt in prius per eccleſiam determinatis, ſuſtinuerunt predictam declaracionem, nec paſſi fuerunt, ut ipſa determinacio denuo reuocaretur in dubium. Eſto igitur nunc, quod ipſe olim *Eugenius*, cujus ſtatum & cujuslibet alterius ſummi pontificis premiſſa declaracio tangit, quia determinat expreſſe, quod tenetur obedire concilio generali, reſiſtat huic veritati cum jam cauſa exiſtens in Conſtancienſi concilio, quod eciam per ſuam adheſionem expreſſe conſenſerit, quod autem majus eſt, quia, ſicut fuit dictum, eccleſia in hac veritate jam multo tempore conquieuit. Non preterea a quibuſcumque fidelibus debet in dubium reuocari, eadem racio eſt de ſibi adherentibus, qui omnes, vel ip-

ſorum

ſorum pars major per ſe, aut ſuos jurarunt huic ſacro concilio, non igitur excuſare videtur, eciamſi contraria in radice predicatur auctoritas maxime, quoniam nota eſt cauſa reſiſtencie, ut effugiat reformacionem, non enim ob hoc quod reus dicit contra notoriam juriſdictionem Archiepiſcopi Epiſcopi, aut Regis temporalis aſſerens eum non judicem, ut effugiat ſuper ſuis criminibus ſentenciam, eo ipſo dicitur probabile dubium, ut liceat ſubditis, qui confitentur ipſos ut tales non teneri ad obediendum, Id autem in fine hujus tercie cauſe juſtificatiue dici poteſt, quod licet in alijs nacionibus aliquis pretendere poſſet, ſe de hujusmodi ſuperioritate concilij ad papam probabile dubium habere, nullatenus tamen vel apparenter hoc dici poſſet in inclita nacione Germanica. Hec enim declarico facta fuit in concilio Conſtancienſi nacionis Germanice, ubi Imperator perſonaliter multique principes & prelati, & quod ſingulare, necdum in una ſeſſione, ſed & in duabus publicata eſt ſucceſſiue itidem primo tradita eſt execucioni. Equidem ex mandato concilij diue memorie *Sigismundus* multo tempore tenuit in Carceribus *Joannem* papam XXIII. poſtquam de mandato Concilij tradidit, & libertatus eſt per Concilium ab obligacione quam fecerat ſuper dicta detencione mandatum aut auctoritative factum ſuper detencione perſone pape, an denotet ſuperioritatem pape? quisque videt. Preterea in eodem Concilio vigore dicti decreti facta eſt per ſynodale judicium depoſicio duorum ſummorum ponti-

pontificum, videlicet dicti *Joannis* & *Benedicti XIII*. ut autem dicit Apoſtolus I. Corinth. IIII. Qui judicat me Deus eſt non dicitur ſe multis alijs geſtis in Concilio Conſtancienſi, per que ſole clarius hujusmodi ſuperioritas demonſtratur, tam in edicione decretorum, quam electione pape & alijs. Sed etſi pro tempore illius concilij aut poſt dubitatum fuiſſet, nullatenus vero in nacione Germanica hoc debet eſſe probabile dubium, quomodo poſt diſſolutionem primo attemptatam per olim *Eugenium* de Baſilienſi Concilio omnes Reverendisſimi patres & illuſtriſſimi principes ſacri Romani Imperij Electores ad quos ſicut ex parte eorum in hac re extitit allegatum tota Germania ſuum dirigit reſpectum, ſe incorporarunt Concilio, miſeruntque ad papam, ut ipſam diſſolucionem revocare deberet, non obſtantibusque contrarijs mandatis ipſius *Gabrielis* ſui oratores firmiter tunc in Concilio perſeveraverunt poſt notificatam 2dam per eum attemptatam diſſolucionem fortaſſis ipſi fuerunt primi qui ſcripſerunt nominando ſacrum Baſilienſe Concilium ut patet per literas eorum preſentatas in generali congregacione IX Januarij anno Domini MCCCCXXXVIII ſimiliter etiam poſt habitam noticiam de acceſſu Grecorum adhuc & poſt incorporacionem eorum, quoniam fuit tenta *Ferrarie* ſeſſio, quod ibi eſſet concilium ycumenicum, amplius ut patet per literam ſalvi conductus Imperialis ſub dato IIII Maij, nam eodem anno cum conſilio Oratorum ſuorum dominorum Electorum invictiſſimus Rex Romanorum *Albertus* conceſſit ſacro Concilio ſalvum conductum pleniſſimum;

ſimum; Et quod irrefragabile eſt, nec admittuntur condigna reſponſione oratores ipſorum, non una vice ſed quomodocumque propoſuerunt ex-parte ipſorum in generali congregacione & alias etiam in ſcriptis ſemper obtulerunt eorum profeſſionem, quod vellent protegere & manutenere auctoritatem Sacrorum Generalium Conciliorum & ſpecialiter Baſilienſis Concilij. Eſt etiam aliud multo irrefragabilius, quod nullatenus patitur in Germanica Natione allegari iſtud ut probabile dubium; quia licet, ut a quibusdam dicitur, per ipſos dominos Electores tempore Electionis Imperij de Menſe Marcij anno predicto fuerit facta Francofordia proteſtacio, quidam dicentes tunc, ſe neſcire, cui deberent obtemperare, videlicet concilio vel pape; In eadem tamen ſtatuerunt, quod ſi infra VI Menſes hec diſcordia non tolleretur, e medio vocatis principibus ſpiritualibus & temporalibus ſacri Romani Imperij conſulerent, cui parti fauendum & obtemperandum eſſe; hec eadem repetita fuerunt in dieta Nurenberge de feſto *Margarethe* obſecrando, ut concilium usque ad illam dietam in qua ſemper hec conſuli deberent, in manſuetudine juſticie & ad illam oratores mittere; fuit autem in termino dictorum ſex menſium tanta dieta ad feſtum *Galli* Nurenberge, ubi eciam convenerunt legati ſacri Concilij & nuntij ipſius *Gabrielis* in magno numero & ſollempnitate auditisque illis ſecutum eſt, ut invictiſſimus Rex Romanorum non ſine Concilio & aſſenſu dicte congregacionis, ut creditur, conſtituitur in protectorem

rem ſacri Baſilienſis Concilij magnificum Dominum *Conradum de Weinsberch* perpetuum Camerarium ſacri Imperij. Unde cum repetitis vicibus ipſi principales nacionis Germanice ſtatuerunt ſibi terminum ad conſulendum, cui favendum & obtemperandum foret per ipſos, preſentibusque & auditis oratoribus concilij & *Gabrielis* ſuper hoc deliberaverunt, conſultis non ſolum Rege Romanorum & Electoribus, ſed de ſpiritualibus & temporalibus quam plurimis principibus & alijs tocius nacionis Germanice. An liceat nunc allegari tamquam dubium probabile, facile induci poteſt. Accedit eciam huic raciocinacioni, quod, ſicut tunc dictum fuit, alia dieta fuit inſtituta in *Franckfordia* de menſe marcij, ubi oratores olim *Eugenij* erant comparituri, quaſi ipſis inſtantibus indicta fuit, & exhortantibus oratoribus Imperatoris & Electorum ſacrum concilium miſit in magno numero ſollempnes legatos & oratores ad prefatam dietam, que fuit tenta *Maguncie*, Ibique declararunt veritatem & juſtitiam ſacri concilij & exſpectaverunt Oratores *Gabrielis* per XXX dies. Itaque ſingulatim computando poſt attemptatam 2dam diſſolucionem per ipſum olim *Eugenium*, per ſacrum concilium fuit ſollempniter notificata veritas & juſticia ſua vel Regi Romanorum & menſe Septembris & Octobris *Baſilee* Anno Domini M°CCCC°37. 2do ibidem de Menſe Januarij IX & XVII. die ejusdem. 3°. de Menſe Marcij *Francfordie* anno Domini MCCCC38, quando erant congregati pro electione Imperij. 4to. & 5to. coram Rege Romanorum

per oratores concilij Magiſtros *Joan. Puliri* patris & *de Aroguſio* Item per bone memorie Reuerendiſſimum Dominum patriarcham Epiſcopum Vicenſem & *Jo. Bachesteyn.* 6to. Baſilee XIIII & XX & XXVIII. Junij. 7mo. In dieta *Nurenberge* de Menſe Julij, 8vo. In prenominata dieta de Menſe Galli. 9no. *Baſilee* de Menſe Septembris, Januarij, Februarij frequentiſſime. X°. In prefata dieta *Maguntina.* Illud autem nequit ſub ſilencio preteriri, quod cum omnibus hijs per ſacrum Concilium aut oratores ſuos facta fuerit informacio de veritate & Juſtitia, quam Concilium proſequitur. Vix aut numquam ut contrarium objectum eſt, quaſi non eſſet notorie verum, quod Concilium aſſerebat, vel ex parte ipſius Regis Romanorum aut Electorum vel aliorum ſpiritualium aut ſecularium principum Germanie. Nunc autem cum veritas & juſtitia debent tradi execucioni, quod allegetur, non eſſe obtemperandum, quoniam eſt probabile dubium, qui contendunt in judicio, non ignorant, an iſta ſit excepcio, que allegari debeat poſt latam ſentenciam diffinitiuam, aut ſi illa non obſtante ſentencia tradenda eſt execucioni. Utrum autem admittendum ſit in diuino judicio excuſacio, quod ideo oratores ipſorum obicere in contrarium aut intereſſe noluerunt, quomodo ſuper veritate fidei & Juſtitie, quas proſequitur ſacrum Concilium, in eo diſceptabatur, aut fiebat informacio, ne ex hoc parciales reputarentur, conſiderandum venit, ſi ſtudioſa & certa noticia de veritate juris reddit aut afficit inhabiles eos, qui ſe conſtituunt mediatores

tores ad componendum pacem inter diſceptantes. Adjungitur eciam huic raciocinacioni, quod poſt factas per Concilium & oratores ſuos predictos informaciones, ut nullatenus in Germanica Natione poſſit dici probabile dubium, quod in prefata dieta Maguntina, ut dictum eſt, facta eſt ſollempniter nomine Imperij optimatum & principum ſpiritualium & ſecularium nacionis Germanice acceptacio decretorum ſacri Baſilienſis Concilij magna, in quibus cum per Concilium regulentur manus ſummi pontificis tam quo ad confirmacionem electionum, collaciones beneficiorum, diffiniciones cauſarum, creacionem Cardinalium & alios multipliciter euidenter poſſet cognoſci de ejus ſuperioritate. Unde ex omnibus premiſſis euidenter poteſt percipi, quod de auctoritate generalium conciliorum ſupra papam & proxime Baſilienſis Concilij. Item de ejus veritate & juſtitia in cauſa, quam proſequitur contra olim *Eugenium* racionabiliter loquendo non poteſt, aut merito eſſe pro tali reputari non debet dubium probabile, ut autem non obediatur ſentencie late per ſanctam ſynodum Baſilienſem contra dictum *Gabrielem*, Utrum hec ſit ſufficiens & legitima excuſacio, attendatur doctrina Pauli apoſtoli Rom. X. Ubi non admittit excuſacionem illorum, qui non obedierunt Ewangelio, dicit enim ſic: ſed non omnes obediunt Ewangelio. Yſaias enim dicit: domine, quis credidit auditui noſtro, ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti numquid non audierunt, Equidem in omnem terram exiuit ſonus eorum. Non ſit

comparacio, utrum verba apoſtolorum inſonuerunt tempore ſuo tam diſtincte in omnem terram & ſpecifice aut in fines orbis terre, quantum in Germanica nacione ſit facta propalacio de veritate & juſticia, quam proſequitur ſacrum Baſilienſe Concilium, & de hujusmodi ſuprema auctoritate generalium Conciliorum.

Quarta cauſa juſtificativa dicte proteſtacionis allegabatur, quia ſic neutralitatem ſeruando dicunt, ſe ſperare cicius peruenire ad pacem, utrum hoc ſit veriſimile conſiderari poteſt. Conſtat namque ex doctrina philoſophiæ quod juſticia & pax oſculate ſunt, unde contempta ſive neglecta virtute juſticie pax haberi non poteſt. Et cum per hujusmodi neutralitatem non reddatur debitum generali Concilio pro ut determinatum eſt in declaratione concilij Conſtancienſis, quomodo preter aut contra virtutem juſticie ſperatur cicius peruenire ad pacem. Item negligi videtur virtus juſticie; Nam cum execucio ſentencie late ſuper criminibus, ne amplius remaneat eccleſia in tanto ſcandalo, exigat acceleracionem per hujusmodi neutralitatem differtur in incertum. Item quomodo ſeruatur Juſtitia ſi conſtituentes hujusmodi neutralitatem, qui per eam, quam ipſi nominant, ſanctam Generalem ſynodum condempnatus eſt tanquam hereticus & multipliciter criminoſus tempore medio ipſi nominant papam & ſanctiſſimum Apoſtolicum. Attendendum eſt enim, quomodo hec duo ſe compaciuntur, quod aliquis per eccleſiam declaratus ſit hereticus & nominetur pater omnium fidelium. Item

facile

Digitized by Google

facile videri poteſt, ſi ſeruatur juſtitia in ſua integritate, ſi ipſi, qui tenentur obedire generali Concilio conſtituent ſe ipſos judices mandando, ut non obediatur Concilio, donec ſentencia per modum auiſatum ab ipſis examinetur Luc. XII. legitur, cum quidam de turba dixiſſet Chriſto: Magiſter dic fratri meo, ut diuidat mecum hereditatem, reſpondit ei homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem inter vos, non unus fiet via debita ad componendam pacem. In eccleſia, qui ſe conſtituunt mediatores durante hujusmodi diſceptatione acquieſcerent & obedirent ſacro Generali Concilio. Non enim, qui facit, quod debet reputari ſuſpectus vel minus aptus ad pacem componendam, nec juſte denominari parcialis, qui adjuuat partes judicis, utque recta juſtitia diffiniuntur, tradantur. Eſt eciam, quod non nulla pericula confingantur, a quibus juxta doctrinam ſaluatoris veritas liberat. Sic enim Joan. VIII. dicebat Jeſus ad eos, qui crediderunt ei Judeos. ſi vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis & cognoſcetis veritatem & veritas liberabit vos. Equidem errare non poteſt, qui fauet debite juſtitie & veritati. Offertur autem oculis inſpiciendum, an hujusmodi via neutralitatis ſit manifeſte via pacis, aut diuiſionis majoris in eccleſia Dei, fortaſſis diuiſionis noue, qualis numquam in tanta uniuerſalitate fuit, nec veri ſimiliter per eam cito proueniatur ad unionem & pacem. ſed quod eccleſia conſtituetur in tres partes, quod dolenter referendum eſt, partes formales. Conſtat enim quod olim

Digitized by Google

Eugenius habet unam magnam adherenciam in Chriſtiana Religione. Equidem, prout jam apparet ex literis ſuis, hactenus ſtudioſe practicauit cum pluribus principibus, quod non obſtantibus decretis Baſilienſis Concilij in eorum patria obediretur eidem. Item ut per juramenta ſibi conſtitueret ſibi plures adherentes. Conſtat, quod ultra id quod conſuetum erat, a ſuis predeceſſoribus exegit Juramentum a multis alijs quam Epiſcopis & Abbatibus in proviſione facta per eum prepoſituris & decanatibus & alijs primis eccleſiarum & monaſteriorum dignitatibus. Conſtat etiam multitudine officialium ſedis Apoſtolice in exceſſiuo indiculo prioribus ſeculis inaudito tam in prothonotariatu, quam alijs officiis, a quibus communiter preſtatur juramentum fidelitatis. Quod autem innumerabiles conceſſit exſpectativas, prerogativas, & annullaciones, nominaciones & facultates, diſpenſaciones indulta, & alia quam plurima, non dicitur, ſcilicet exorbitancia, ut ſic ſuſcipientes obligaret ad perpetuo ſibi adherendum, non eſt facile explicare, unde tam predictis, quam alijs plurimis excogitatis vijs evidentiſſimum eſt, ſtudioſe eum laboraſſe, ut perpetuo ſibi retineret nomen papatus. Non dicitur autem de juramentis, que exegit ſuper hac re cum principibus & commitatibus ytalie fecit. Nec ſi aliqui aut aliquis principum publice ac frequenter proteſtatus fuerit, quod eo vivente nollet alium tenere in ſummum pontificem. Itaque attencius conſiderare volens manifeſte intuetur, ipſum olim *Eugenium* teneri

neri aut reputari, quod teneat unum magnum multitudinem Chriſtianorum volencium eum defendere in ſtatu papali. Eſt & multitudo alia non minor Chriſtianorum, que hactenus fauit & fauere intendit ſacro Baſilienſi Concilio, optatque, & quantum in ſe eſt, inclinata eſt agere, ut auctoritas ſacri Baſilienſis & aliorum generalium Conciliorum ſuo tempore non conculcetur, ſed quod execucioni tradantur, veritas & Juſtitia, quas ipſum Concilium proſequitur. Hanc autem ingentem multitudinem ſacrum Concilium habet in his favorem, cum ex juramentis per Reges & principes, prelatos & alios quamplurimos preſtitis Concilio, tempore incorporationis ipſorum, jurauerunt enim omnes fideliter laborare pro ſtatu & honore ſacri Baſilienſis Concilij. Habet eciam hunc favorem ex conceſſione graciarum diſpenſacionum, beneficiorum proviſione monaſteriorum, & eccleſiarum eciam metropolitanarum, item & indulgenciarum tam pro unione Grecorum conceſſarum uniuerſaliter, quam alios, & quod amplius hujusmodi gracie fuerunt libere, & ſuſcipientes ſpiritualius ſunt obligati, quia non oportuit ſoluere annatas, minuta ſeruicia, vel alias quaslibet actiones, non minus retinet hunc fauorem, quia prefati ſibi adherentes, alijque quam plurimi credunt ſacrum concilium pugnare juſticiam, ipſique fauendo arbitrantur, obſequium præſtare Deo. Exemplaris praterea racio multum inclinat, fideles ad fauendum ſacro Concilio, quoniam ocnlariter vident, quod ſi ſacrum Baſilienſe Concilium, quod Deus

 auer-

auertat, ſuccumberet in accepto certamine, & ipſe olim *Eugenius* triumpharet, actum eſſet de auctoritate eccleſie & fortaſſis de integritate & firmitate fidei deque certitudine morum & ritu ſacramentorum & quilibet ſummus pontifex conaretur eccleſiam regere pro libitu voluntatis, nec quiuis Chriſtianorum auderet ſe ei opponere, quomodo tale Exemplum probaretur, quod de hoc ſacro Concilio, quod ſuper hijs reſtitit, quaſi per nouem annos triumpharet ipſe *Gabriel*, qui tam notorium ſciſma introduxit in eccleſia Dei, tam notorieque & pertinaciter repugnat veritatibus fidei tam nepharijs & multis criminibus, notorie eſt hereticus incorrigibiliter ſcandalizans eccleſiam; Non licet extendere ſermonem. ſed intuentibus evidentiſſime patet, quod ſacrum Baſilienſe Concilium habet ſibi firmiter adherentem quam maxime multitudinem Chriſtianorum. Nunc autem ut ſupra premiſſum eſt non dicitur quod ita ſit, vel ad illud intentatur, ſed ſi, prout ab aliquibus dicitur a prefatis exemptis, ac non nullis ex majoribus ſecularibus principibus Chriſtiane Religionis predicta neutralitas conſtitueretur, & tam ipſi, quam eis adherere volentes nolunt intendere mandatis & ordinacionibus, vel proceſſibus ſacri Baſilienſis Concilij, nec ipſius olim Eugenij, ſed ſe neutrales conſtituere, faciendo tam in hijs, que ad fidem, vel ad ſalutem, quam in alijs, quod ſibi videretur, nec acquieſcerent judicio ſacri Baſilienſis Concilij. Non dubium, cum ipſi ſint magni domini habentes legitimam poteſtatem in ſpiritualibus & tempo-

temporalibus, tum in accepcione perſonarum, tum concupiſcencia graciarum beneficiorum & officiorum tum penarum continuationem tum eorundem ac eciam corporalium tormentorum execucionem habere poſſunt, quam ingentem multitudinem, tam ſubditorum ſuorum, quam aliorum ſibi adhærencium, unde manifeſte diuidetur Chriſtiana Religio in tres partes. Et utinam non intelligatur de hac diuiſione illud dictum Apocal. XII. Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, & exiuit vox magna de templo a throno dicens factum eſt, & facta ſunt fulgura & voces tonitrua, & terre motus factus eſt magnus & facta eſt ciuitas magna in tres partes. Noviter dicitur quod hujusmodi neutralitas videretur eccleſiam dividere in tres partes. Hec enim pars tercia per neutralitatem licet videatur magni ponderis & fortitudinis, quoniam, ut dicitur habebit majores principes ſeculares & ſpirituales in multis regionibus vix aut umquam poterit trahere, in ſuum Conſenſum, adherentes ſacro Concilio, ut judicent, juſtum eſſe, non obedire mandatis ſacri Concilij. Etenim cum hujusmodi mandata dicantur ſupra fidem fundari, principes, & ſi dominentur bonis aut corporalibus, non tamen fidei ſubditorum ſuorum. Dicit enim Apoſtolus II. Corinth. I. non dominamur fidei noſtre, unde quantumcumque per modos ſupra expreſſos, vel alios conarentur ſubditos, vel alios trahere in conſenſum hujusmodi neutralitatis, non poſſent. Et ſiquidem vellent ad execucionem procedere, eſt, ponere

ignem & gladium in medio Chriſtianorum fortaſſis eciam illi, qui eſſent adherentes ipſi olim *Eugenio* ex predicta vel alia qualibet cauſa ad aſſenciendum dicte neutralitati trahi non poſſent. Et cum facere diviſiones culpabiliter ſit in voluntate aut poteſtate hominum, unire autem diſperſa ſolius ſit diuine virtutis. Eſto quod actores hujusmodi neutralitatis haberent bonum animum, non diu videlicet permanendi in ipſa, ſed quam primum vel in Concilio Generali vel alius deliberacione habita tenendum eſſe, quod ſentirent veritati & juſtitie eſſe conforme, tamen quia multa ſolent accidere impedimenta, ut bonum publicum non tam celeriter proficiatur. Inſtigante etiam quam plurima diuerticula pararentur, multi etiam ex ipſis allecti libertate exemptionis ad id non tam ex animo laborent, contingere poſſet, ut hujusmodi tres partes diucius in eccleſia permanerent; Equidem qui ſub olim *Eugenio* ipſo mortuo, ut a pluribus veriſimiliter preſumitur, eligent ſucceſſorem fortaſſis adherentes Baſilienſi Concilio, ſimiliter aliquis in papam preficeretur, alio motiuo in idem declinarentur. Tercia vero pars conſtituencium neutralitatem ſi conaretur alias duas gubernare, judicando, eas debere tenere id, quod ſibi videretur eſſe ad ſalutem omnium Chriſtianorum, neſcitur ſi obedirent ei, quinymmo dicerent, ex conſciencia ad id non teneri, Illa autem cum vellet intencionem neutralitatis in lege diuina fundare, hoc eſt, quod ſupra dicebatur, quod hujusmodi diuiſio eſſet in tres partes formales. Eſto autem, quod tamen

men Deus auertat, ſic contingeret, in futurum liceret conſiderare de fundamentis iſtarum trium partium; Illa enim que ſub *Gabriele* foret, quot colores vel fidei racione allegate unionis Grecorum vel juſticie aut defenſionis auctoritate ſedis Apoſtolice, ſeu alias pro ſe pretenderet, quisque videt, de illis autem, qui adherent ſacro Baſilienſi Concilio dicere non eſt opus, equidem plenus eſt orbis decretis & epiſtolis ſynodalibus, quibus manifeſtatur, quod pro veritate fidei & juſtitie hactenus & continue ſuperſiſtit ſacrum Baſilienſe Concilium. Animadvertendum igitur erit illa trina pars eccleſie conſtituta tunc ſub neutralitate, quo jure divino ſcilicet aut humano fulcitur, hactenus non eſt viſum allegare aliam fundacionem, niſi de dicto capitulo *Frequens*, ſed utrum neceſſario ex illo probetur, ſupra in parte extitit allegatum. Merito igitur, antequam formetur hujusmodi diuiſio, cogitandum eſt de ſtabile fundamento; Equidem in hac re tanta concernente ſtatutum fidei & ſalutem tocius populi Chriſtiani omnis nouitas hactenus inſueta multum eſſet periculoſa. Eſto eciam quod in aliqua minima parte Religionis Chriſtiane, quomodocunque attemptata fuerit, oportet attendi non tantum, quod fit, ſed quod fieri debet. Excedet quidem magnitudinem propoſite allegacionis, ſi ſic inferrentur, copioſius aliarum motiua racionum, que euidenter remonſtarent hujusmodi neutralitatem non eſſe conueniens medium ad dandum pacem eccleſie, & non creditur, eſſe de intencione dictorum exemptorum aut principum, proſequi

effe-

Digitized by Google

effectualiter viam hujusmodi. Id autem ultimo memorandum eſt, quod inter ceteros articulos damnate memorie *Joh. Hus* condempnatos per ſacrum Conſtancienſe Concilium reperiuntur duo, unus eſt: non eſt ſcintilla apparencie, quod oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante eccleſia conuerſetur, quia Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem melius ſuam eccleſiam regularet. Attendatur, ſi per hujusmodi exemptos, qui ex hac neutralitate dicentur conſtitui non tanquam unum ſed tamquam plurima ſuprema capita ad regendum eccleſiam obuietur prime parti dicti Capitis, quam oportet intelligi affirmatiue, videlicet, quod oportet eſſe unum caput in ſpiritualibus regens eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante eccleſia conuerſetur. Nec obſtat quod papa aliunde moritur, vel generale Concilium, in quo eſt ſuprema poteſtas non ſemper actu celebratur, & ſic quod aliunde deficit illud unum caput. Aliud eſt namque pro neceſſitate nature ſummum pontificem aliunde mori & generale Concilium, prout rerum neceſſitas, aliunde diſſolui, quod viuente ſummo pontifice, vel actu ſedente generali Concilio per quosdam aſſeratur, non eſſe uni eorum obediendum tamquam ſupreme poteſtati eccleſie, ſed quod licet, prout eis videtur conſtituere in eccleſia plura ſuprema capita non coherencia dicte poteſtati ſupreme, quo ad ipſius judicium & obedienciam, ſed inhibentur, ne in ipſorum territorijs, jurisdictionibus,

nibus, aut dominijs mandata & judicia generalis Concilii debeant deportari, ſeu publicari. Jam ergo per tales diſperſos per orbem diceretur melius eccleſiam gubernandam. Sed attendere licet, utrum poſſent nominari veraces diſcipuli Chriſti, ſi contempnerent mandata & judicia ſancte matris eccleſie; 2dus. articulus eſt, obediencia eccleſiaſtica eſt obediencia ſecundum adinuencionem ſacerdotum eccleſie preter expreſſam auctoritatem ſcripture. Cumque iſte articulus ſit dampnatus tamquam erroneus, oportet intelligi, quod ei oppoſitus eſt Catholicus, videlicet, quod obediencia eccleſiaſtica, non eſt obediencia ſecundum adinuencionem ſacerdotum eccleſie ſed eſt ſecundum expreſſam auctoritatem ſacre ſcripture; itaque obediencia eccleſiaſtica eſt ex neceſſitate juris diuini, nec eſt tantum de jure poſitiuo, quod ſit imitabile tamquam ſtatutum ſecundum varietatem temporum. Huic ſenſui manifeſte fauet doctrina Apoſtoli allégata ſuperius Rom. XIII. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram ſed & propter conſcienciam. Cum igitur obediencia ſit de jure diuino, utrum per quas cumque intelligencias factas ab oratoribus principum, vel per appellaciones, aut proteſtaciones liberentur, qui obedire tenentur ex dictis percipi poteſt. Id autem certum eſt, quod obſequi Generali Concilio, proprie dici poteſt obediencia eccleſiaſtica, hoc enim nomen eccleſia a primo inicio celebracionis eorum quorumlibet Generale Concilium poſſidet. In primo namque Niceno concilio ſtatim poſt pronunciacionem

cionem ſymboli in ipſo editi ſubjungitur contra veritatem illius, eos autem, qui dicunt tempus erat, quo non erat &c. anathematizat Catholica & Apoſtolica. Idem verbum repetitur in ſequentibus concilijs generalibus, unde, quemadmodum dictum eſt, cum generale Concilium ſit eccleſia legitime congregata racione congregacionis, nullatenus derogat auctoritati eccleſie, ſic igitur, ſi obediencia eccleſieſtica non eſt ſecundum adinvencionem ſacerdotum eccleſie, ſed ſecundum expreſſam auctoritatem ſacre ſcripture, obediencia, que debetur ſacro Generali Concilio eccleſiaſtica proprie dici poteſt, & ſic videtur eſſe de neceſſitate juris diuini. Que autem Generali Concilio obediencia debeatur ab omnibus fidelibus, non decet multa allegare, cum iſte expreſſe ſit caſus ſepedicte declaracionis facte in Concilio Conſtancienſi. Et quoniam poſtmodum per eccleſiam determinatum extitit, quod veritas de poteſtate Concilij generalis univerſalem eccleſiam repreſentantis ſupra papam & quemlibet alterum declarata per Conſtancienſe & Baſilienſe generalia Concilia eſt veritas fidei Catholice, Attendere poſſunt dicentes neutralitatem licitam fore, ſi eam effectualiter obſervare, ſit in augmentum vel derogacionem fidei Catholice, hactenus populus Chriſtianus edoctus eſt in pertinentibus ad fidem vel ad mores neceſſarios acquieſcere judicio ſancte Matris eccleſie, & ſpecificando dicebatur prout tale Concilium vel eccleſia Romana determinat. Quod nunc dicatur in predictis non eſſe acquieſcendum, nec judicio generalis

lis Concilij aut Romane eccleſie, ſi ita contineretur dicta neutralitas, notiſſimum eſt, fluctuacioni exponeretur fides Catholica, ſuper illo vero, quod in Principio dicebatur, quod nunc liceret animos tenere in ſuſpenſo, donec Principes temporales perſonaliter aut per oratores ſuos in unum conuenirent locum, & ubi videretur, quid eſſet agendum, quaſi non ſit tenendum, quod declarat generale Concilium, ſed quod videretur ipſis principibus fore exequendum, vel in alio Generali Concilio, aut alias habita conſultacione ſuorum non eſt intencionis extendere ſermonem, ſed licet intuentibus conſiderare ſequencia quatuor ſcholaſtica aut catholica documenta, que ſummatim referuntur absque aliqua probacione racione compendij. Primum quod eccleſia prout eſt magiſtra omnium, & habet docere & regere fidelem populum in hijs que pertinent ad Chriſtianam Religionem conſiſtit auctoritatiue in Epiſcopis, Doctoribus, predicatoribus juris ac divini verbi ac in doctis presbiteris & alijs curam animarum habentibus, quocumque nomine appellentur. 2dum quod corpus eccleſiaſticum ex predictis conſtitutum eſt certa regula & menſura eorum, que credere & agere debet populus Chriſtianus, ipſiusque diffinicioni ac judicio omnes fideles acquieſcere obligantur. 3um quod hujusmodi corpus eccleſiaſticum, ſiue eccleſia ex hijs legitime congregata in diffinicionibus tangentibus fidem vel mores neceſſarios ad ſalutem culpabiliter errare non poteſt. 4tum quod eccleſia, que promulgans diffiniciones ad fidem, vel ad mores pertinentes

culpa-

Digitized by Google

culpabiliter errare non poteſt, eſt generale Concilium legitime congregatum & in libertate celebratum. Ex hijs IIII^or. documentis adjuncto, quod ſacra Baſilienſis congregacio eſt generale Concilium congregatum legitime ac celebratum in plena libertate, quodque materia, ſupra qua dicta neutralitas intendere haberet, eſt pertinens ad fidem & ad mores neceſſarios ad ſalutem. Eſtque jam determinata per ipſum ſacrum Baſilienſe Concilium euidenter conſtare poteſt, ſi licet animos tenere in ſuſpenſo, donec ſeculares principes per ſe vel ſuos in unum conueniant locum ad ſuper jam determinatum videndum. Qui autem ſtudioſius intenderit ad doctrinam veteris & noui Teſtamenti luce clarius videt, ſeculares principes & quoſcunque alios fideles non eſſe conſtitutos magiſtros & doctores ſacerdotum Leuitici generis & aliorum, qui ſupra ſunt nominati, ſed hijs commiſſum fuiſſe docere fidem omnes gentes in univerſo mundo ac docere eos obſeruare, quecunque a Deo obſeruari mandata fuerunt. jam ergo per predicta lucide animadverti poteſt, quam multiplex ſit periculum in dicta neutralitate, que omnia dicta eſſe intelligantur absque temeraria in ambiguis aſſercione juris vel facti, ac cum omnimoda ſubmiſſione ac correctione ſancte matris Eccleſie & cujuslibet melius ſencientis.

Explicit tractatus de neutralitate.

Digitized by Google

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

ÖNB
+Z150703902

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google